DE

# VITA ET SCRIPTIS APHRAATIS,

## SAPIENTIS PERSÆ,

### DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CONSTANTINI FRANC. JOS. PIERAERTS,

SS. D. N. PRÆLATI DOMESTICI,

ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCTORIS,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ,

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,

PUBLICE PROPUGNABIT

JACOBUS FORGET, CHINYACENSIS,

PRESBYTER DIŒCESIS NAMURCENSIS,

S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS,

COLLEGII S. SPIRITUS SUBREGENS.

Diebus XII, XIV et XVII mensis Julii, ab hora X ad I,
anno MDCCCLXXXII.

LOVANII,

EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

S. FACULTAS THEOLOGICA.
1881-82.

Nº DXIV.

# DE VITA ET SCRIPTIS
# APHRAATIS, SAPIENTIS PERSÆ.

DE

# VITA ET SCRIPTIS APHRAATIS,

## SAPIENTIS PERSÆ,

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CONSTANTINI FRANC. JOS. PIERAERTS,

SS. D. N. PRÆLATI DOMESTICI,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCTORIS,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ,
IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

JACOBUS FORGET, CHINYACENSIS,
PRESBYTER DIŒCESIS NAMURCENSIS,
S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS,
COLLEGII S. SPIRITUS SUBREGENS.

Diebus XII, XIV et XVII mensis Julii, ab hora X ad I,
anno MDCCCLXXXII.

LOVANII,
EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

# THEODORO · JOSEPHO · GRAVEZ

EPISCOPO · NAMURCENSI

INFALLIBILI · PETRI · SEDI · ADDICTISSIMO

ECCLESIÆ · JURIUM · CUSTODI · VIGILANTISSIMO

CATHOLICARUM · SCHOLARUM · PROMOTORI · STRENUISSIMO

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

CONSTANTINO · FRANCISCO · JOSEPHO · PIERAERTS

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

THOMÆ · JOSEPHO · LAMY

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ECCL. · CATH. · NAMURCENSIS · CANONICO · HONORARIO

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · EQUITI

ACADEMIÆ · REGIÆ · SOCIO

COLLEGII · MARIÆ · THERESIÆ · PRÆSIDI

S. · SCRIPTURÆ · ET · LINGG. · SEMITICARUM

ANTECESSORI · PERITISSIMO

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

VENERABUNDUS · AUCTOR

# PROŒMIUM.

*Dissertationem* ad promerendum Doctoris S. Theologiæ gradum scripturus, cur materiam elegerim quæ primo saltem aspectu cum re theologica non ita cohærere videatur, nemo magnopere mirabitur, qui noverit ad hujusmodi opus suscipiendum inductum me fuisse consilio virorum quibus nihil non debebam observantiæ. Quorum cæteroquin suasioni eo libentius obsecutus sum, quod, quamquam litteras Syriacas vixdum primoribus labris attigeram, intelligebam tamen ex earum cognitione et cultu non parum emolumenti accedere posse variis disciplinis sacris, imprimis scientiæ patristicæ et scripturisticæ, nec proinde illas a meo munere alienas reputandas esse; nisi quis, quod absit, Patrum traditionem et penitiorem aliquam textus inspirati perscrutationem ad theologi partes nullo modo pertinere contendere velit. Mihi insuper haud mediocri voluptati erat vestigia premere, licet non passibus æquis, summorum virorum qui in hac Alma Universitate Lovaniensi iisdem studiis vel floruere antea, vel etiamnum florent. Ex quibus duos honoris juxta ac grati animi

causa hic nominem : alterum, Ill. D. Beelen, qui viam primus demonstravit, editis *binis S. Clementis de virginitate Epistolis*; alterum, cl. D. Lamy, magistrum meum colendissimum, qui ut me primis hujus disciplinæ elementis sedulo imbuerat, ita consiliis et magna etiam suppeditata librorum necessariorum copia mihi in hoc qualicumque opusculo exarando benigne adfuit.

Ut autem ex ingenti, quæ studiosis suppetit, monumentorum Syriacorum multitudine, *Aphraatis vitam*, *ejusque scripta,* a cl. D. Wright ante paucos annos in vulgus emissa, pro modulo meo illustranda susciperem, id necessitas partim effecit, partim perspecta rei utilitas. Nam cum variis de causis, quas hic referre nihil attinet, non liceret publicas bibliothecas adire, ut inde documentum aliquod adhuc ineditum depromerem et ipse primus typis vulgandum curarem, simul spes succurrebat nec supervacaneam fore nec viris doctis injucundam disquisitionem aliquam in scriptorem illum, qui, quamquam ad nostram usque ætatem vix notus fuit, merito tamen a cll. DD. Wright et Bickell Patrum ecclesiæ Syriacæ antiquissimus salutatur.

Quid vero, ne spes illa ad irritum caderet, in hac mea lucubratione præstiterim, aut certe præstare sim conatus, ipsa libri vel saltem indiculi præmissi inspectio edocebit. Hoc equidem lectorem hic monitum volo, me quum in variis documentis, tum in excerptis auctoris mei bene multis latine transferendis ita versatum esse, ut fidum imprimis agerem interpretem, de elegantiore

sermone minus sollicitus. Cujus interpretandi rationis specimen prostat in opellæ *Introductione*, ubi e regione translationis Latinæ textum primigenium consulto apposui. Postea, ne *Dissertationis* moles ultra modum cresceret, verba Syriaca in medium non adduxi, nisi peculiaris ratio id faciendum suadebat, puta, ubi doctrina Aphraatis accurate proponenda fuit. In variis autem locis syriace afferendis hanc mihi legem posui, ut cl. D. Wright editionem exprimerem quam fidelissime. Quum tamen pleræque lectionum discrepantiæ ab illo diligentissime annotatæ ad sententiam nihil faciant, paucas demum, quæ momenti habent ac ponderis aliquid, ima pagina exhibebit.

Cæterum, quod Lovanii libellus meus prælo subjici potuerit, muneris hoc fuit Ill. D. Beelen, qui typos propriis sumptibus jampridem comparatos, pro singulari animi propensione qua litteras Syriacas harumque cultores semper prosecutus est, mihi humanissime commodavit.

Sed hæc hactenus. Neque enim opinor necesse esse ut tyronis opusculo virorum eruditorum apprecer clementiam.

AUCTOR.

# INDEX RERUM.

## PARS ALTERA.

### DE SCRIPTIS ET DOCTRINA APHRAATIS.

**PARS TERTIA. — APPENDIX.**

## QUÆDAM CORRIGENDA.

Pag. 25, in not., pro 351, lege : 350.
» 38, linn. 19 et 20, pro اسر ابحنة, lege : اسر، ابحنة .
» 79, lin. 16, pro *Ammiamus*, lege : *Ammianus*.
« 104, » 21, pro *intio*, lege : *inito*.
» 189, » 5 ab ima parte pag., pro *nullo*, lege : *nullo*.
» 238, » 17, pro *Jesabelem*, lege : *Jezabelem*.

# INTRODUCTIO.

## DE SAPIENTE PERSA CAPITA TRIA, EX EPISTOLA GEORGII, EPISCOPI ARABUM, EXCERPTA.

---

### § 1. VITÆ ET DOCTRINÆ GEORGII BREVIS ADUMBRATIO.

De vita et operibus Aphraatis, Sapientis Persæ, scripturus, rem haud inutilem facturum me arbitror, si introductionis instar ex *Epistola* Georgii, Episcopi Arabum, capita nonnulla præmittam, quæ, cum de eodem argumento agant, *Dissertationi* dein adornandæ lucem affundere, utilitatemque scribenti non modicam afferre possunt. Ut autem hujus monumenti quænam sit antiquitas, quanta etiam auctoritas ei competat, statim ab initio fiat manifestum, de auctore pauca quædam hic notanda videntur.

Georgius, Episcopus Arabum vulgo nuncupatus, syriace vero ܓܐܘܪܓܝܣ ܕܥܡ̈ܡܐ ܛܝ̈ܝܐ, Georgius populorum Tajorum, vel absolute ܓܐܘܪܓܝܣ ܕܥܡ̈ܡܐ, Georgius gentium (1), sæculo VII in finem vergente et VIII in-

(1) De iis quæ ad Georgium, Episcopum Arabum, spectant videsis Josephi Simonii Assemani opus præstantissimum quod inscriptum est: *Bibliotheca orientalis Clementino-Vaticana*; Romæ, typis S. C. de propaganda fide, 1719-1728. Tres tomos in folio habet, horumque tertius est bipartitus. Cum mihi passim magno usui futurum sit, deinceps illud notabo litteris initialibus B. O., adjecto voluminis et paginæ numero. Porro de Georgio agit I, pp. 167, 469, 494.

choante, episcopali jure præerat variis Arabum Christianorum tribubus, quæ partim urbes in Chaldæa et Assyria circa australem Euphratis fluminis partem sitas incolebant, partim per loca deserta vastasque solitudines vagabantur (1). Testantur Gregorius Barhebræus (2) et ex eo Jos. Sim. Assemanus (3), Arabiæ episcopatus a Maruthæ usque temporibus fuisse duos, quorum alter *Arabum* absolute dicatur, sedemque Akulæ seu Cuphæ, aliquando etiam Baladæ et Telaphare, habuerit suam, alteri autem, *Taalabensium* seu *Taglibensium Scenitarum* appellato, locus primarius fuerit qui a Barhebræo ܚܺܝܪܬܳܐ ܕܛܽܘܥܠܳܒܳܝܶܐ, ab aliis ܚܺܐܪܬܳܐ ܕܢܽܘܥܡܳܢ vocatur; quo nomine non ditionem aliquam venire, sed urbem, in Eracha Babylonica ab Akula tribus circiter passuum millibus distantem, viri cll. Abbeloos et Lamy scite advertunt (4). At tempore Georgii vel ambas diœceses in unam coaluisse, vel utrique simul, ob causam quæ nos lateat, Georgium præfuisse, vel certe priores ipsarum fines fuisse mutatos, ex testimonio Dionysii, Jacobitarum

(1) Ita J. S. Assemanus, B. O. I, p. 167.

(2) Gregorii Barhebræi *Chronicon ecclesiasticum*, quod e codice Musei Britannici descriptum ediderunt, latinitate donarunt, annotationibusque illustrarunt Joannes Baptista Abbeloos et Thomas Josephus Lamy; Lovanii, 1872-1877. Cfr. sect. II, col. 123 seqq.

(3) Josephi Simonii Assemani *de Syris Monophysitis dissertatio;* Romæ, 1730, ex typographia S. C. de propaganda fide. Videsis pp. 61, 65, 89.

(4) Greg. Barhebræi *Chronicon ecclesiasticum*, sect. I, col. 202, not. 2. Opus hoc et propter ingentem auctoris eruditionem, et propter notas uberrimas de rebus theologicis, historicis, geographicis et archæologicis, quibus ipsum locupletarunt docti editores, magni faciendum. Cum unus hic liber plurium loco esse possit, mihi perutilis fuit. Quam ob causam viris cll. Abbeloos et Lamy gratum meum animum, alteri eorum ex multis etiam aliis capitibus debitum, hic publice testatum volo.

Patriarchæ (1), si conferatur cum *Epistola* mox subjicienda, perspicue sequitur. Dionysius enim, doctissimo *Bibliothecæ orientalis* auctore referente et consentiente, asserit Georgium Episcopum Hirtæ Arabumque nomadum fuisse, hic autem in *Epistolæ* inscriptione exhibetur ut Episcopus plurium civitatum vel tribuum, inter quas et Akulenses nominantur.

Georgius, qui anno 686 Præsul creatus erat et an. 724 obiit, ab Assemano inter scriptores Syros orthodoxos recensetur. Quanam vero de causa id egerit vir eruditione juxta et judicio critico inter litterarum orientalium cultores notissimus, mihi non liquet. Nam et Georgium Jacobitarum hæresi addictum fuisse certo certius est ex eo quod a Sergio Zachunæo, Archiepiscopo Jacobita, jussu Athanasii Patriarchæ, ordinatus fuerit (2); et Assemanus ipse (3) de Georgii diœcesanis ex Abulpharagii *Chronico* (4) notat, « eos Monophysitarum erroribus pridem infectos fuisse, metuque catholicorum Orientis principum ad Mahometanorum castra demum profugisse. »

(1) In *Chronico Syriaco*, ad annum Græcorum 862, Christi 551. Ille est Dionysius qui et Telmaharensis vel Telmachrensis nuncupatur. Sedem patriarchalem Antiochiæ ab anno æræ vulgaris 818 ad annum usque 845 tenuit. *Annales* scripsit, ab orbe condito ad suam ætatem perductos, quorum juxta J. S. Assemanum duplex editio apud Syros circumfertur : altera brevior, prolixior altera. Cf. B. O. II, p. 98 seqq. — Tullberg edidit primum *Chronici* Dionysiani librum, Upsalæ, 1850.

(2) G. Barhebræi *Chronicon eccles.*, sect. I, col. 293.

(3) B. O. I, p. 494.

(4) Idem qui a Syris *Greg. Barhebræus* dicitur, apud Arabes *Abulpharagius* audit; quippe qui et his et illis spectandus, et scriptis in utraque lingua editis nobilitatus est. De quibus cf. *Chronicon eccles.*, præfat. p. XX, et sect. II, col. 475 seqq.; — item B. O. II, p. 244 seqq., ubi quæ Barhebræum spectant fuse et eruditissime tractata reperies. *Chronicon* autem *Arabicum*, supra laudatum, inscriptum ab auctore est *Liber dynastiarum* (كتاب الدول).

Georgius tamen ex omnium sententia in scientiis ecclesiasticis versatissimus fuit, et ideo, ubicumque præjudicatæ sectæ opiniones non obstant, eum omnimoda fide dignum jure merito dixeris. Opera bene multa scripsisse perhibetur a Syris. Quorum notitia ad nos pervenit, hæc sunt :

1° *Commentaria in Scripturam*, quæ passim laudantur a Barhebræo in *Horreo mysteriorum*, quorum etiam fragmenta extant in Codd. Mss. Syr. Vat. 3 et 16.

2° *De chronico* seu *calendario* carmen elegantissimum, cujus titulus : ܡܐܡܪܐ ܒܡܫܚܬܐ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܕܥܒܝܕ ܠܓܝܘܪܓܝܣ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܥܡ̈ܡܐ ܥܠ ܟܪܘܢܝܩܘܢ . « Carmen metro Mar Jacobi (h. e. dodecasyllabo) compositum a Georgio, gentium Episcopo, de chronico. » Hoc poemate, quod in capita viginti quatuor divisum est, de epacta, de festis mobilibus inveniendis, de cyclo solari et lunari, de mensibus et hebdomadis, deque aliis ad computum ecclesiasticum spectantibus brevissimam æque et exactissimam methodum tradit auctor, enarratque ipse in præfatione, scribendi hujus operis occasionem sese nactum esse ex vana cujusdam Arabis jactantia, qui ingenium Arabum poetarum ita extollebat, ut reliquarum gentium poetas flocci faceret.

3° Duobus operibus nominatis, quæ Jos. Sim. Assemanus ex Codd. Romanis commemoravit, alia plura addenda sunt, quæ vir cl. Wrightius in *Catalogo Codd. Mss. Musæi Britannici* (1) recenset.

Et quidem codex qui inter addititios numero 14,659 prænotatus est partes tres *Organi* Aristotelis, syriace

(1) Cfr. P. III, pag. 1275, et alia loca ibi indicata.

versas atque introductione, notis et commentariis illustratas, continet. Sunt autem illæ partes : *categoriæ*, tractatus περὶ ἑρμηνείας, seu *de interpretatione*, et *analytica priora*.

4° Cod. add. 12,154 exhibetur collectio undecim *Epistolarum*, quas Georgius ad viros in statu monastico degentes aut in sacris ordinibus constitutos rescripsit de quæstionibus ad fidem vel eruditionem christianam spectantibus. Tertia, quarta et quinta ad presbyterum Josuam, in pago Anab reclusum, directæ sunt. Quartæ autem, in Lagardii *Analectis Syriacis* editæ, novem insunt capita, quorum tria priora de Sapiente Persa agunt et, a Wrightio denuo typis mandata, Latina interpretatione nunc primum a nobis donata infra prodibunt.

Porro harum *Epistolarum* Georgium gentium reapse auctorem esse clare evincunt et variæ scriptoris appellationes, qui, ut patet ex titulo universæ collectioni præmisso, Episcopus fuit « Thanuchæorum, Tughæorum et Akulensium, » seu Arabum Christianorum (1), et tempus scriptionis, tum alibi pluries, tum ad calcem cujusque lucubrationis annotatum. Illa enim responsa quadriennii spatio quod ab anno 714 ad 718 protenditur exarata esse, ex indicationibus finalibus compertum nobis est.

(1) ܕܬܢܘܟܝܐ ܘܕܛܘܥܝܐ ܘܕܥܩܘܠܝܐ. Hisce nominibus designari Arabum Christianorum tribus vel civitates certum est. De *Akula*, quæ et *Cupha*, jam antea (p. 2 dixi; ܛܘܥܝܐ — quos *Tughæos* latine, nemine præeunte, appellavi et quos ex etymo vocis *nomades* seu *errantes* expressius dixeris, — quinam sint, docent viri doctissimi Payne Smith, in *Thesauro Syriaco*, ad hanc vocem, et Gul. Wrightius, in *Catalogue of the Syriac MSS in the British Museum*, II, p. 988 b. De *Thanuchæis*, ܬܢܘܟܝܐ, nihil quidem reperire potui; ast hujus loci contextus illos ad eamdem Arabum seu Akulæ diœcesim pertinuisse omnino persuadet, ut cuique obvium est.

Sic se habet, ex. gr., *Epistolæ* quartæ conclusio :
ܐܬܟܬܒ ܘܐܫܬܠܡ ܗܠܝܢ. ܒܝܪܚ ܬܡܘܙ ܕܫܢܬ ܐܟ̄ܗ ܕܝܘܢܝܐ ܀
« Scripta sunt hæc mense Thomuz (Julio) anni 1025 Græcorum, » h. e. 714 post Christum (1).

5° Eodem Cod. comprehenditur brevis *Commentarius de Baptismo, de sacra Eucharistia et de Chrismatis consecratione*. Quem Georgio, Arabum Episcopo, tribuendum esse, cum et auctoris nomen, in inscriptione occurrens, conveniat, et ejusdem episcopalis dignitas memoretur, probabile censet Wrightius.

6° In Cod. add. 12,165 invenitur alius *de Chrismatis consecratione* tractatus, qui Georgio ibidem adscribitur; concinitque *Bibliothecæ orientalis* auctor (2), Cod. Nitriensis V testimonium allegans.

7° Postremo memoranda sunt *Scholia in Homilias Gregorii Nazianzeni*. Qui hæc scripsit vel ex diversis fontibus collegit atque concinnavit æqualis erat et amicus Athanasii Baladensis, Jacobitarum Patriarchæ; quare a vero non longe distare nobis videmur, si dicamus ipsum alium non esse a Georgio, Arabum Episcopo.

Et hæc quidem hactenus, ne scriptoris ignoti verba atque auctoritatem in medium protulisse videamur. Jam Georgium ipsum audiamus necesse est.

(1) Cfr. P. Lagardii *Analecta Syriaca;* Lipsiæ, 1858. *Epistolam* Georgii habes p. 108 seqq. Porro propter argumenta supra indicata plus æquo circumspectum fuisse censeo cl. virum Abbeloos, qui de Georgio dubitantis more ita loquitur : « Huic forte auctori adscribenda sit *Epistola,* quam e codice Londinensi edidit P. A. de Lagarde in *Analectis Syriacis.* » (*De vita et scriptis S. Jacobi Batnarum Sarugi in Mesopotamia Episcopi Dissertatio historico-theologica*, p. 87).

(2) *Op. cit.* I, p. 332.

## § 2.

### ܚܣܝܐ ܓܝܘܪܓܝܣ
### ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܥܩ̈ܘܠܝܐ ܘܕܛܘ̈ܥܝܐ ܘܕܬܢܘܟܝܐ .
### ܦܘܢܝ ܦܬܓ̈ܡܐ. ܠܘܬ ܫ̈ܐܠܬܐ ܠܐܒܐ ܕܫܐܠܗ
### ܩܫܝܫܐ ܝܫܘܥ ܚܒܝܫܐ ܀

ܠܪܚܡܐ ܘܪܚܝܡܐ ܕܐܠܗܐ : ܐܚܐ ܪܘܚܢܐ ܘܚܒܝܒܐ ܕܒܡܫܝܚܐ : ܡܪܝ ܝܫܘܥ ܩܫܝܫܐ ܘܚܒܝܫܐ ܕܥܢܒ ܡܕܝܢܬܐ . ܓܝܘܪܓܝܣ ܙܥܘܪܐ ܫܝܢܐ . ܒܡܪܝܐ (1) ܠܐ ܠܒܨܪ ܠܗ ܐܫܬܘܕܥܬ ܡܫܡܫܢܘܬܟ . ܕܡܢ ܚܝܠܬܗ̇ ܐܘ ܡܢ ܢܟܝܦܘܬ ܐܘ ܡܢ ܐܦܝܣܘܬ ܐܫܬܘܕܥܬ ܠܡܕܝܢܬܐ ܟܠܗܝܢ . ܡܢ ܕܠܡܬܒܥܘ ܐܝܟ ܚܢܢ ܡܫܚܠܦ ܦܘܢܝ ܦܬܓ̈ܡܐ . ܠܫ̈ܐܠܬܐ ܐܝܠܝܢ ܕܫܐܠܬ . ܘܫܕܪܬ ܠܝ ܒܐܝܕ ܢܦܫܐ ܓܝܘܪܓܝܣ ܡܢ ܕܝܪܐ ܕܡܠܟܗ ܘܐܚܐ ܪܘܚܢܐ . ܠܐ ܕܝܢ ܕܒܥܠܬܐ ܗܕܐ ܗܘܬ . ܡܘܡܝ ܡܢ . ܠܡܘܕܥܘܬܐ ܕܣܘܥܪ̈ܢܐ ܐܝܠܝܢ ܕܫܪܝܢ ܠܗܘܢ ܩܝܡܝܐ ܦܘܫ ܘܡܠܟܝܢ ܡܢ ܕܢܦܫܐ . ܩܘܡܝܢ ܕܝܢ . ܒܣܘ̈ܥܪܢܐ ܕܩܝܡܝܐ . ܗܠܝܢ ܕܐܡܪܝܢܢ ܠܗܘܢ ܘܠܡܣܡܟ ܠܗ ܐܡܬܝ ܕܢܦܠ . ܗܟܢܐ ܕܝܢ ܩܢܘܢܐ ܠܟ ܕܡܠܬܐ ܢܦܝܫܐ ܡܠܠ ܡܢ ܠܐܘܪܫܠܡ . ܡܢ ܠܫܡܫ ܐܢܐ ܕܡܢ ܬܪܥܐ ܡܢܗܘܬܐ ܕܡܠܟܗ ܘܐܚܘܬܝ : ܡܫܡܫ ܡܛܪܐ ܠܡܫܡܠܝܘ ܠܘܬ ܗܢܐ . ܡܛܠܐ ܐܢܐ ܠܡܕܒܪܘ ܦܘܠܝ

(1) ܓܝܘܪܓܝܣ ܙܥܘܪܐ ܫܝܢܐ . ܒܡܪܝܐ . Existimaverit forsan non nemo, aptius et accomodatius ad salutandi formam, qua passim in suis epistolis utuntur Syri Christiani, illud ܫܝܢܐ ad vocem subsequentem ܒܡܪܝܐ referri posse, ita ut sensus sit : *Georgius*, *qui parvus est, salutem in Domino*; quemadmodum sæpius scribunt : ܫܝܢ ܒܡܪܢ .

## § 2. EPISTOLÆ GEORGII CAPITA TRIA.

Venerandi Georgii, Episcopi Thanuchæorum, Tughæorum et Akulensium, responsum ad quæsita novem, quibus ipsum interrogavit presbyter reclusus Josue.

Amanti et timenti Deum, fratri spirituali et dilecto in Christo, Mar Josue, presbytero et recluso in pago Anab, Georgius, parvus in Domino (1), salutem.

Ne putet Fraternitas tua veneranda, ex sui contemptu vel ex oblivione aut negligentia hucusque moratum esse me quominus pro exigua mea facultate responderem interrogationibus, quas scripto consignatas ad me misit per castum (2) Georgium, patruelem suum et fratrem spiritualem. Noverit autem dilationis hanc fuisse causam : nunc quidem impedimentum negotiorum quæ ad me tam domi quam foris spectant, nunc vero corporis infirmitates, quæ huic, prout meretur, vere adhæserunt et affixæ sunt. At in præsenti, quoniam ab utraque molestia paululum respirare mihi licet, confidens, fore ut propter orationes sanctas Fraternitatis tuæ Dominus ad hoc opus imbecillitatem meam confortet, conabor

At quominus hic illam interpretationem admittam duo obstare videntur : punctum scilicet ultimam vocabuli . ܡܚܙܝܐ litteram excipiens, quod finem propositionis vel incisi fere indicat, et ordinaria Syrorum syntaxis; quippe qui infinitivo, qualis est proprie ܡܚܣܝܘ (ܠ), vocem determinantem, ut ܦܡܚܙܝܐ , postponere, nisi fallor, non præponere solent.

(2) ܢܟܦܐ primario est *castus*, *verecundus*, *modestus*, *continens*; usu autem ecclesiastico evasit honoris nomen, *monachis*, utpote continentiam et castitatem professis, tribui solitum, eodem modo quo nomen adjectivum, ܩܕܝܫܐ *sanctus*, *pius*, de *Episcopis* reverentiæ declarandæ causa adhiberi consuevit.

ܦܬ̈ܓܡܐ ܠܗܘܢ ܠܡ̈ܫܐܠܐ ܕܡܢܗ ܕܠܗܠܝܢ . ܡܢ ܐܣܛܘܟܣܐ ܕܐܡܪ
ܡ̈ܫܠܐ ܡܢܝܢ ܠܗܠܝܢ ܡܠܘܗܝ ܡܢܘܬܗ ܐܣܟܡ ، ܐܡܬܝ ܕܠܐ ܡܢ
ܠܗܠܝܢ ܡ̈ܠܐ ܕܗܠܝܢ ܡܢ ܡ̈ܬܐܠܦܝܢ ܐܝܟ ܡܐ ܕܡ̈ܬܝܡܢ
ܫܐܠܟ ܐܢܐ . ܠܐܘܡܢܘܬܐ ܫܠܝܛܬܐ ܐܝܬܝܐ ܡܠܟܬܐ . ܘܡܢ ܗܘܕܐ ܠܐ
ܗܢܝܬܐ ܠܗܘܐ ܡܠܝܠܐ ܫܪܝܪܐ . ܐܦ ܓܝܪ ܡܝܬܪܘܬܗ ܕܡܠܟܬܐ
ܗܕܐ ܗܝ ܚܟܡܬܐ : ܐܡܪ ܗܘ ܣܘܟܠ ܒܐܠܗܘܬܐ ܒܫܡܠܝܘܬ ، ܗܘ
ܕܗܝ ܕܠܐܘܬܐ ܠܡܕܘܥ ܫܪܝܪܬܐ . ܐܝܟ ܐܝܬܐ ܠܡܐܡܪ ، ܕܗܕܐ
ܐܝܬܝܗ ܡܝܬܪܬܐ ܕܝܠܗ ܘܫܘܒܚܗ ܕܡܠܟܘܬܐ . ܗܝ ܕܡܢ ܩ̈ܠܐ
ܐܠܗܘܬܐ ܡܫܡܠܝܐ . ܠܐܡܪܐ ܠܡܫܒܚܘ ܘܠܡܫܡܫܘܬܗ ܒܗܘܢ .
ܗܘܢܐ ܘܫ̈ܘܠܐ ܕܫܡܥܬܐ ܫܪ̈ܝܪܐ . ܗܝ ܕܐܦ ܐܢܐ ܡܢ ܐܝܟ ܚܝܠܐ
ܕܡܝܬܐ ܕܡܠܠ ܡܢܗܝܪܬܐ ܫܦܝܪ ܐܢܐ ، ܡܢ ܗܐ ܡܠܐ ܐܡܪܐ
ܒܡܠܟܬܐ ܀

ܡܛܠܘܗܝ ܕܝܢ ، ܡܠܝܠܐ ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܬܐܡܪ ܣܘܦܝܐ
ܦܝܠܣܦܐ . ܗܘ ܕܐܦ ܡܛܠܐ ܕܐܝܬܝܗ ܡܢܗܝܪ ܠܗܘܢ ܠܗ ܡܠܝܠܐ
ܫܘܒܚܐ ܡܬܩܢܢܐ . ܘܡܛܠ ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܗܢܐ ܣܘܦܝܐ
ܦܝܠܣܦܐ : ܗܘ ܕܝܢ ܕܡܠܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܘ ܒܝܬ
ܕܪܝܐ ܕܡܠܐ ܒܐܝ̈ܩܪܐ ܕܫ̈ܘܠܚܐ : ܐܘ ܕܐܝܠܢ ܡܫܡܠܐ ܐܘ ܐܝܟܢܐ
ܕܡܠܟܡܪܗ . ܠܡܐ ܠܝ ܠܫܡܠܝܘܬ ܠܡܐܡܪ . ܠܐ ܓܝܪ ܗܘ ܗܘܕܐ
ܠܝ ܗܠܝܢ ܐܘ ܚܕܐ ܡܠܘܗܝ : ܡܢܘܬ ܒܒܬܐ ܕܡܠܗ ܗܘ
ܕܒܗܝ . ܘܐܦܠܐ ܡܢܘܬܐ ܐܚܪܬܐ ܠܝ ܗܟܢܐ ܐܡܪܝܢ ܕܡܠܝܢ .
ܘܐܦܠܐ ܡܢ ܐܝܟ ܕܢܦܫ ܡܢܐܠܝܬ ܗܠܝܢ ܡܠܦܝܢ . ܘܠܡܐܡܪ
ܘܠܦܠܣܦܘܬܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ . ܗܘ ܡܐ ܕܠܐ ܡܫܡܠܝܢ ܒܗ ܫܘܠܛܢܐܝܬ :
ܘܠܐ ܡܬܡܠܝܢ ܠܡܠܬܐ ܡܠܝܠܐ ܡܢ ܦܫܝܛ ܡܬܩܢܢܘܬܐ
ܕܟܠܗܘܢ . ܠܐ ܓܝܪ ܐܡܬܝ ܕܠܝܢ ܡܫܬܒܪܐ ܘܡܠܝܠܐ ܕܢܫܡܐ

respondere interrogationibus tuis ad me directis. Quamquam propositum est præcipua tantum capita quædam de unaquaque ex ordine agitare, ne, si omnia singularum quæstionum tuarum verba, prout jacent, expendero, ad molem magnam excrescat oratio et exinde propter satietatem nullum pariat oblectamentum. « Nam et hæc excellentia in sermone naturaliter requiritur, » ait Basilius ille, rerum divinarum sapientia conspicuus, « ut paucis verbis multa significet; » quasi diceret, hanc esse præstantiam scientiæ et sapientiæ doctoris, ut, vocabula pauca proferens, iis complecti possit atque manifestare ideas et veritates multas. Quod et ego pro exigua mea facultate et scientia faciam. Hinc statim responsum aggredior.

*Caput primum.* — De viro illo qui vocatur Sapiens Persa, a quo etiam liber aliquis *Epistolarum*, varia argumenta tractantium, conscriptus est.

Quisnam quidem fuerit hic Sapiens Persa, id est, quænam fuerit dignitas ejus seu gradus in hierarchia ecclesiastica, vel quodnam fuerit ejus nomen aut habitationis locus, certa fiducia dicere non possumus. Neque enim ipse, in loco aliquo libri quem composuit, hæc aut quidquam horum nobis manifestavit, neque eadem alibi scripta adhuc invenimus , neque ab ullo qui apprime ea noverit didicimus. Talia autem de his temere effutire, quorum firmam persuasionem non habeamus, et de re loqui, dum ex multis quæ de ea declarari possent nec pauca tradere valemus, non convenit, mea quidem, sicut et omnis hominis veritatem amantis, sententia.

ܣܦܪܐ . ܘܐܝܟ ܕܡܢ ܣܘܪܗܒ ܥܡܠܐ ܐܫܬܘܕܥ ܗܘܐ : ܘܕܒܪܝܢ
ܘܡܠܒܫܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܩܛܠܐ ܩܘܠܣܐ ܐܝܟ ܕܡܠܟܐ . ܗܝ
ܡܫܬܡܥܢܘܬܗ ܡܫܝܚܐ . ܐܦ ܕܪܚܡܐ ܠܥܡܗ ܐܫܬܘܕܥ ܗܘܐ
ܕܒܫܡܗ ܒܡܫܪܪܘܬ ܠܒܢܝܢܐ . ܘܠܝܘܡܝܢ ܕܩܠܠܐ ܕܡܠܟܗ ܐܦܠ
ܠܥܠܡ . ܘܕܪܚܡܐ ܦܢܝ ܐܫܬܘܕܥ ܗܘܐ ܡܟܘܪ . ܒܐܝܪܬܐ ܗܝ
ܕܢܦܫܗ ܒܟܠܗ ܠܫܘܡܠܐ ܕܟܠܗ ܦܘܩܕܢܐ . ܗܘܐ ܕܝܢ ܡܫܬܡܪܝܢ
ܗܘܘ ܕܪܚܡܐ ܗܘܝܢ ܒܟܠ ܗܘ ܕܫܡܥܝܢܐ . ܒܬܪ ܒܗ ܕܝܢ
ܗܘܐ + ܡܥܡܠܗܘܢܐ ܡܫܬܡܠܝܢܐ ܡܐ ܘܐܦ ܘܥܡܡܪ . ܕܡܠܟܘ
ܐܠܐ ܠܚܘܕܝ ܐܦ ܠܗܘܢ ܡܩܒܠܝܢ . ܡܫܝܚܝܐ ܕܥܡܐ ܠܐ ܢܦܩܘܢ .
ܘܩܢܘܡܐ ܕܟܠܒܝܐ ܠܐ ܩܘܡܝܢ . ܘܐܫܟܚܘ ܕܢܩܒܠܘ ܡܪܡܝܘܬܐ .
ܒܐܝܕ ܘܐܦ ܘܡܐ . ܘܐܝܟ ܒܐܘܠܨܢܐ ܗܘܐ ܒܪܢܫܐ . ܒܠܫܢܘܗܝ
ܗܘܐ . ܘܗܘܢܐ ܡܐ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢ . ܐܝܟ ܕܒܬܫܒܘ ܒܐܘܪܚܐ
ܢܦܫܐ . ܕܢܗܒ ܠܒܝܬܐ ܕܢܦܫܗ ܠܡܪܝ ܒܬܫܡܫܬܗ . ܘܠܬܒ
ܒܠܫܢܘܗܝ ܘܢܦܫܗ . ܡܠܦܐ ܕܦܪܫ ܠܟܠܗܝܢ ܠܡܪܝ .

(1) ܒܢܝ ܩܝܡܐ, *filii pacti* seu *fœderis.* Appellationem Syriacam ad litteram latine translatam volui, ut melius ex mea etiam interpretatione pateat, quale sit nomen illud cujus vim ipse Georgius statim declarat, quodque comparat cum alio vocabulo ܝܚܝܕܝܐ . ܩܝܡܐ vox, a radice ܩܡ, *surrexit, stetit,* derivata, est 1) *statutum, institutum,* 2) *pactum fœdus.* Hinc ܒܪ ܩܝܡܐ eo sensu sumitur, ut significet virum qui sese speciali quodam *pacto* seu *sponsione* ad continentiam servandam Deo obligavit. Idem sit judicium de appellatione ܒܪܬ ܩܝܡܐ, qua designatur *puella Deo sacrata.*

Qui plura de his et doctiora quærit adeat Ill. Beelenium, in opere cui titulus : *Sancti Patris nostri Clementis Romani epistolæ binæ de virginitate*..., p. 174, not. 2; ubi tamen (venia sit audaciæ), in responso S. Tharbæ ex *Actis Martyr. Orient.* allato, pro ܫܘܪܐ legendum esse ܫܦܘܪ conjecerim.

(2) ܝܚܝܕܝܐ vox, quæ primario valet *unicus, solus,* ubi adhibetur de

Porro virum illum acris ingenii fuisse, eumque quantum id fieri potest Sacris Litteris studuisse atque operam navavisse, ipsius opus demonstrat.

Eumdem præterea cœnobitam fuisse et clero adscriptum ex ejus verbis colligere licet. Cœnobitam quidem se esse ostendit in *Epistola* quam inscripsit : *Dissertatio de filiis pacti* (1); ita enim vocabantur ea ætate *cœnobitæ*, qui et *solitarii* dicebantur (2). Hæc scilicet in illa *Epistola* scribit : « Quamobrem hoc est consilium honestum, conveniens et pulchrum, quod do et mihi et vobis, carissimi, monachi, qui uxores non ducitis, et virgines, quæ innubæ permanetis, vos omnes (3), inquam, qui castitatem virginalem (4) diligitis : justum, decens ac decorum est, unumquemque, etiamsi afflictione prematur, solitarium manere. Eo namque modo convenit singulos habitare, de quo apud Jeremiam prophetam : *Beatus vir qui jugum tuum in adolescentia sua portabit! Sedebit solitarius et tacebit, quoniam jugum tuum in se*

viris religiosis seu ascetis, magis quidem proprie *solitarios*, mox vero et *monachos generatim* vel *cœnobitas*, perinde ac ܕܝܪܝܐ aut ܥܘܡܪܝܐ, significat. Similem quamdam extensionem, usu inductam, animadvertet diligens lector quoad vocabula Latina *monachus*, *monasterium*, quæ, cum ex etymo ad vitam *anachoretarum* referantur, ab omnibus tamen etiam de *cœnobitis* eorumque *cœnobiis* usurpari consueverunt.

(3) ܕܐܝܠܝܢ. Hæc vox, propter pronomen relativum ܕ, incisum refert ad virgines utriusque sexus supra memoratos. At in Sapientis Persæ *Epistola* (Wright., *The homilies of Aphraates*, p. ܨܚܐ) legitur non ܕܐܝܠܝܢ, sed ܘܐܝܠܝܢ, et hac voce alloquitur auctor homines ab iis qui cœlibem adhuc egerunt vitam diversos, illos scilicet conjuges de quibus proxime fuerat sermo, quique mutuo consensu continentiam voverunt. Sensum hic ego expressi, qualem esse puto si lectionem Georgii sequaris.

(4) ܩܕܝܫܘܬܐ nomen tum *sanctitatem* generalim, tum speciatim *virginitatem*, *continentiam*, *castitatem conjugalem*, pro adjunctis notat. De arctiori hac significatione confer, si lubet, Ill. Beelenium, S. *Clementis*

ܗܟܢܐ ܓܒܪ ܗܘܐ ܡܫܒܚ . ܠܟܠ ܕܢܦܩ ܠܒܪܗ ܕܡܫܝܚܐ .
ܕܢܛܪ ܠܒܪܗ ܒܩܕܝܫܘܬܐ ܀ ܘܗܠܝܢ ܦܠܝ ܐܘܪܚܝ . ܕܕܝܪܝܐ
ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܓܒܪܐ ܗܘ ܕܫܩܝܠܐ ܢܝܪܐ ܡܢ ܛܠܝܘܬܗ .
ܕܒܛܘܒܢܘܬܗ ܕܡܢ ܛܠܝܘܬܐ ܡܬܛܒܥ ܗܘܐ . ܡܬܘܕܝܢ ܐܢܫ
ܡܢܐ ܕܫܦܪ ܐܠܐ . ܗܠܝܢ ܕܫܠܡܝܢ ܠܗ ܒܟܘܠ ܐܝܟܢܐ ܐܘܟܝܬ
ܢܨܝܚܘܬܐ . ܗܘ ܕܢܛܝܪܐ ܠܗ ܕܟܠ ܢܝܪܐ ܘܫܘܒܚܐ ܕܗܘܝܢ
ܒܐܟܙܢܐ . ܡܛܠ ܡܘܒܪܐ ܘܫܪܝܘܬܐ . ܘܟܠ ܢܛܘܪܘܬܐ ܕܟܠ
ܕܡܫܬܘܕܐ . ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܗܟܢܐ ܢܨܒܝܢ ܢܝܪܐ ܡܟܝܟ ܡܢ
ܛܠܝܘܬܐ . ܕܢܛܘܪ ܐܝܟܢܐ ܗܘܐ ܠܐܢܫ ܡܢܗܘܢ ܒܟܠ ܟܢܫܐ
ܕܒܐܟܙܢܐ . ܣܠܩ ܐܣܩܝܛܘܬܐ ܘܢܟܦܘܬܐ ܘܡܬܢܟܦܢܘܬܐ ܘܡܢܗ
ܟܢܫܐ ܕܟܠܗ . ܟܠ ܡܢܗ ܡܟܝܟ ܕܒܐܟܙܢܐ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܀
ܠܐܢܫܝܢ ܩܕܝܫܐ ܘܢܟܦܐ ܐܣܩܝܛܘܬܐ ܘܢܟܦܘܬܐ ܕܡܬܢܟܦܢܘܬܐ .
ܟܠ ܡܢܗ ܡܟܝܟ ܕܟܢܫܐ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ : ܘܡܢܐ ܡܢܗ ܕܟܠܗ
ܘܐܝܬ ܒܫܠܡܐ ܘܒܡܫܝܚܘܬܗ ܘܒܐܟܙܢܐ . ܒܫܡܝܢ ܘܟܠܗ
ܘܡܬܚܢܢ : ܕܒܗ ܡܫܝܚܐ ܐܝܟ ܘܦܪܘܩܢ ܠܟܠܗ . ܫܩܘܠ
ܢܝܪܐ ܀ ܗܘ ܒܡܘܬܗ ܡܫܝܚܐ . ܕܒܬܘܠܘܬܐ ܦܠܝ ܡܫܡܫܢ
ܗܘܐ ܐܡܪܐ ܕܐܬܝܠܕ . ܘܐܡܪܐ ܕܝܢ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ : ܒܬܘܠܘܬܐ
ܡܬܝܠܕܬܐ ܐܡܪܐ ܕܡܬܐܡܪܐ ܡܢ ܐܒܘܗܝ : ܐܘ ܒܝܚܝܕܘܬܐ ܐܚܪܬܐ

*Romani epistolæ de virginitate*, p. 129, not. 2; p. 134, n. 3, et alibi passim. Ex iis autem quæ sub numero 3 de duplici lectione dixi facile colliges, nisi rudi minerva utrumque locum expendere et exprimere velimus, aliam fore interpretationem vocabuli ܒܝܚܝܕܘܬܐ in textu ipso Aphraatis (Wright., op. et loc. citt.), aliam hic apud Georgium; hic enim exigit orationis subjectum ut ܒܝܚܝܕܘܬܐ *virginitatis* sensu accipiatur, illic vero nonnisi *continentiam* designare potest, cum de iis dicatur qui matrimonio antea usi sunt.

(1) *Thren*. III, 27 et 28.

(2) Locum hunc videsis apud Wrightium, *The homilies of Aphraates*, p. ܪܟܗ, ubi et advertas discrepantiam de qua statim.

*susceperit* (1). Ita igitur decet, charissimi, ab eo qui jugum Christi portat hoc in puritate servari. » — Et hæc quidem ostendunt, cœnobitam fuisse virum illum qui Sapiens Persa vocatur.

In clero autem constitutum eum fuisse probant, ut mihi videtur, ea quæ scripsit in initio *Epistolæ* seu *Dissertationis*, quam composuit de contentione et dissidiis, variis in locis propter gloriationem et superbiam existentibus, et de concertationibus principatus causa initis. Hæc ibi habentur (2) : « Scribendi *Epistolam* hanc ad fratres nostros, omnes Ecclesiæ filios (3), qui diversis in regionibus degunt, consilium cepimus, dum congregati sumus (4), nos (5), Episcopi, presbyteri, diaconi et omnis ecclesia Dei, una cum universis variorum locorum liberis ejus, qui nobiscum sunt. Fratribus nostris carissimis, Episcopis, presbyteris, diaconis, sicut et omnibus Ecclesiæ liberis, qui vobiscum sunt, universo etiam populo Dei Seleuciæ, Ctesiphonte atque per varia loca existenti, sit in Domino, Deo ac Vivificatore nostro, qui per Christum suum vitam dedit nobis nosque ad se attraxit, pax magna. » Ut vides, hisce indicat Sapiens Persa sese clero annumeratum fuisse, quod asseruimus.

Ubinam vero commoraretur, Nisibine, ut autumant

(3) ܒܢܝ̈ ܥܕܬܐ, *filios Ecclesiæ*. Ne quis vocabula Latina *filios Ecclesiæ* sensu a mente auctoris alieno accipiat, monendum censeo, appellatione Syriaca ܒܢܝ̈ ܥܕܬܐ, cui illa verbotenus respondent, ex usu constanti, non *fideles quoscumque*, sed *viros ecclesiasticos* seu *clericos* designari.

(4) Suppono hic factum esse quod in ejusmodi rebus fieri solet, ipso illo, quo consessus haberetur, tempore, *Epistolam* ab Aphraate ex omnium sententia atque auctoritate scriptam. Id tamen non exigunt verba Syriaca ܟܕ ܡܬܟܢܫܝܢ, quæ, si per se sumantur, verti etiam possent: *dum congregati essemus*.

(5) ܚܢܢ pronomen deest apud Aphraatem, loc. cit. Sensum tamen

ܕܫܠܡܘܬܐ ܗܢܘܢ . ܠܐ ܚܣܝܪ ܡܢܗ ܠܒܪ ܀ ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܫܒܩܬ
ܐܣܟܝ ܕܡܛܠ ܐܡܪܬ ܡܢ ܐܠܦܝܢ : ܕܬܬܒܝܢܗ ܕܬܘܟܠܐ ܡܢܝ
ܐܦܪܗܛ ܐܝܬܘܗܝ . ܕܢܟܬܒܐ ܐܝܬܝܗ . ܠܐ ܢܦܩ ܡܘܡܢܐ
ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܦܪܣܐ ܠܦܘܩܕܢܐ ܡܢܝ ܐܦܪܗܛ ، ܘܐܦܠܐ ܡܫܝܚܝܐ
ܕܐ̈ܪܟܐ ܕܡܠܟܘܬܗܘܢ ܥܒܕ ܠܝ ܕܗܕܐ ܠܐܡܪ . ܗܢܐ ܥܠܝ ܢܦܩ
ܕܡܛܠ ܐܡܪ ܣܘܡܟܐ ܦܪܨܘܦܐ ܡܛܠܡܝܢ ܗܘܐ ܡܠܟܘܬܐ ، ܟܡܠ
ܦ̈ܩܕܢܝܢ ܕܡܘܬܐ ، ܐܠܦܝܢ ܕܗܘ ܕܠܡܫܝܚܘܬܗ ܡܬܡܟܟܗ
ܠܗܘܢ ، ܘܒܡܠܬܐ ܬܘܒ ܕܦ̈ܘܠܘ ܘܦ̈ܘܩܘ ܕܡܠܟܗܘܢ ܕܡ̈ܘܬܐ .
ܡܠܟ ܢܦܩ ܡܠܝܬܐ ܗܘ ܕܪܫܡܗ ܒܟܬܒܗ : ܬܫܥܝܬܐ
ܕܡܠܬܐ ܘܕܦܪ̈ܩܢܐ ܐܣܝܪܐ . ܗܢܐ ܀ ܗܟܝܠ ܡܐܡܪ̈ܐ ܩ̈ܪܒ
ܡܠܬ . ܟܠ ܩܪܒ ܐܢ̈ܘܢ . ܢܡܠܬ ܒܥܕܐ ܢܦܩܢܐ ، ܟܡܠ
ܦ̈ܩܕܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܠܡܫܝܚܘܬܗ ܒܢ ܦܡܠܟܘܬܗ ܡܬܡܝܬܢܐ ،
ܐܝܟ ܕܬܢܝܢ ܒܡܠܟܬܗܘܢ . ܘܗܠܝܢ ܩ̈ܪܒ ܐܣܝܪܐ ܢܡܠܬ ،
ܟܡܠ ܦ̈ܩܕܢ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܡ̈ܘܬܐ ܘܕܪ̈ܘܡܢܐ : ܕܐܝܬܝܗ
ܡܠܟܘܬܗ ܕܠܡܫܝܚܘܬܗ ، ܘܟܡܠ ܠܗ ܕܢܣܒ ܡܠܟܐ
ܦܪܨܘܦܐ ܀ ܐܦ ܡܠܝܬܐ ܬܘܒ ܗܘ ܕܪܫܡܗ ܒܟܬܒܗ ܬܫܥܝܬܐ
ܘܟܠ ܬܘܬܐܝܬܐ . ܗܢܐ ܐܡܪ . ܢܡܠܬ ܠܒܪ ܐܢܬܬܐ ܗܘܐ
ܣܡܣܡ ، ܒܥܕܢ ܐܦ ܕܟܠ ܦ̈ܩܕܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܠܡܫܝܚܘܬܗ

totius sententiæ, etiam sublato pronomine, eum esse quem proposui firmiter persuasum mihi est; illumque contra Wrightium (*Op. cit.*, præfat. p. 9) et Fr. Sasse (*Prolegomena in Aphraatis, Sapientis Persæ, Sermones homileticos*; Lipsiæ, 1877), viros cæteroquin eruditione haud vulgari insignes, pro virili tuebor ubi de Aphraatis dignitate fusius disserendum erit.

(1) Æra quam Græci et Latini *Seleucidarum* a Seleuco Nicatore vocant, juxta loquendi rationem Syris usitatissimam, cujus exempla et hic et paulo infra habes, dicitur : ܫ̈ܢܝܐ ܕܝܘ̈ܢܝܐ . ܡ̄ ܕܡܠܟܘܬܐ

aliqui, an in alio regionum circumjacentium loco, nullo modo nobis revelavit.

Quod autem scripsit Fraternitas tua a nonnullis asseri, — discipulum beati Mar Ephræmi eum fuisse, — falsum est. Neque enim doctrina ejus doctrinæ sancti Mar Ephræmi imaginem refert, neque diversitas temporum quibus docuerunt ambo nobis permittit ut illud dicamus. Nam qui vocatur Sapiens Persa innotescebat tanquam doctor anno Græcorum 648, itemque annis eorumdem 655 et 656, juxta modum annos computandi et denominandi ab Alexandro (1). Etenim in *Epistola* cui titulum indidit : *Dissertatio de morte et temporibus ultimis*, hæc tradit : « *Sermones* hos 22 composui juxta 22 litterarum ordinem. Decem priores scripsi anno 648 regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, prout in fine eorum notatum est; at hos 12 posteriores scripsi anno 655 regni Græcorum et Romanorum, hoc est, regni Alexandri; anno autem 35 Saporis (2), regis Persiæ. » Præterea in *Epistola* quam inscripsit : *Dissertatio de acino*, ita loquitur : « Scribebam tibi hanc *Epistolam*, amice mi, mense Ab (Augusto) anni 656 regni Alexandri,

ܕܝܘܢ̈ܝܐ ܘܕܪ̈ܗܘܡܝܐ . ܗ̄ܢܘ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܘܣ .
q. d., *æra Græcorum, regni Græcorum et Romanorum, regni Alexandri.* Cavendum autem ne postremæ duæ appellationes perperam accipiantur. Neque enim, ut aliquis forsan ex illis colligi posse putaret, initium ducit æra prædicta a prima origine dominationis Græcorum in Syriam vel ab exordio regni Alexandri Magni, sed a mense Octobri (ܬܫܪܝܢ ܩܕܡ) anni ante Christum 312; quia hoc anno, qui duodecimus est post obitum Alexandri Magni et periodi Julianæ 4402, inchoante olympiade 117, computari cœptum est Seleuci Nicatoris regnum. Cf. Petavii *Rationarium temporum*, part. II, lib. 3, cap. 13.

(2) Sapores II, initio anni 310 in lucem editus, jam inde a nativitate, imo antequam nasceretur rex fuerat agnitus. Unde computando, ut fieri solet, a calendis januariis antecedentibus, annus 655 Græcorum,

ܒܪ ܦܝܠܝܦܘܣ ܡܩܕܘܢܝܐ ، ܘܒܫܢܬ ܠ̄ܗ ܕܫܒܘܪ ܡܠܟܐ
ܦܪܣܝܐ ، ܕܗܘ ܥܒܕ ܪܕܘܦܝܐ ܒܫܢܬ ܗ̄ ܕܐܬܚܪܒ ܥܕ̈ܬܐ ، ܒܫܢܬܐ
ܕܗܘܬ ܚܪܒܐ ܪܒܬܐ ، ܕܣܗ̈ܕܐ ܒܐܪܥܐ ܕܡܕܢܚܐ ، ܒܬܪ ܕܫ̇ܒܩܗ ܠܟܘ
ܗܠܝܢ ܟ̄ܒ ܬ̈ܚܘܝܬܐ ܕܣܕܝܪܝܢ ܥܠ ܐܬܘܬܐ ܚܕ ܒܬܪ ܚܕ ܀
ܐܬܟܬܒܬ ܗܘܬ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܫܒ̈ܥ : ܗܝ ܕܒܗ̇ ܐܡ̇ܪ ܕܥܒܕ
ܘܥܣܪ̈ ܗܠܝܢ ܝ̄ ܡܐܡܪ̈ܐ ܩܕܡ̈ܝܐ ، ܫܢܬܐ ܕܝܢ ܕܡܢ ܒܬܪ
ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ ܩܕܡܝܬܐ ܕܐܚܪܝܬܐ ܡܠܟܘܬܐ . ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܒܬܪ
ܫܢܬܐ ܚܕܐ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܩܣܪܐ

æræ Dionysianæ 344, erat annus 35 regni ejus. — De Saporis nativitate et inauguratione erudite disserit Stephanus Evodius Assemanus in *Actis martyrum Orientalium et Occidentalium* (Romæ, 1748), part. I, præfat. p. 74 seqq. — Cfr. etiam Fredericus Uhlmann, *Die Christenverfolgungen in Persien unter der Herrschaft der Sassaniden.*

(1) ܕܗܘ ܥܒܕ ܪܕܘܦܝܐ ܒܫܢܬ ܗ̄ ܕܐܬܚܪܒ ܥܕ̈ܬܐ . Locus, ut mihi quidem videtur, obscurus, ideoque paucis explicandus. Ut igitur lux, quoad fieri potest, affundatur, haud inutile fuerit notare ex Steph. Ev. Assemano (*Op. cit.* I, præfat. pag. 71), ter Saporem in Christianos, quamvis non pari semper immanitate aut temporis diuturnitate, sæviisse: primo quidem anno ætatis simul ac regni 18, tum anno 30, denique anno 31. De tertia hac persecutione, quæ crudelissima fuit et annis 40 perseveravit, sermo est apud Aphraatem. Quibus præmissis, si sequaris lectionem Georgii, quam habes et in ipsa Sapientis Persæ *Epistola* ex Cod. B (Ed. Wright. p. ܢܨ), sensus incisi hic esse videtur : « Qui excitavit persecutionem anno eversionis ecclesiarum quinto. » Dicendum igitur esset, Saporem II prius Christianorum ecclesias evertisse, dein, quinque annis elapsis, in eorum etiam corpora vitasque convertisse furorem. Duplici namque illa ratione solebat rex impius Dei servos opprimere. Quod, inter alios, testatur Isaias Arzunita, aulæ ipsius Saporis eques nobilissimus (B. O. I, 16) : ܒܫܢܬ ܥܣܪܬܐ ܕܡܠܟܘܬܗ
ܕܫܒܘܪ ܡܠܟܐ ܕܦܪ̈ܣܝܐ ܥܒܕ ܪܕܘܦܝܐ ܪܒܐ ܠܟܢܘܫܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܗܘܐ
ܕܐܦ ܥܕ̈ܬܐ ܥܩܪ ܘܡܕܒ̈ܚܐ ܚܪܒ ܘܕܝܪ̈ܐ ܐܒܕ ܒܠܘܕܐ ܘܡܫܡܫ̈ܢܐ ܩܛ̈ܠܐ
ܡܩܪ̈ܒܐ ܡܫܬܠܛܝܢ ܗܘܘ . ܘܗܠܝܢ ܗܘܐ ܡܫܬܟܚܢܘ ܕܒܐܪܥܗܘܢ ܕܦܪ̈ܣ ܐܠܘ
ܒܠܚܘܕ ܥܡ̈ܕܐ ܕܝܢ . « Sapores, Persarum rex, anno regni sui decimo

filii Philippi Macedonis; anno autem 36 Saporis, regis Persidis, qui anno post ecclesiarum eversionem quinto (1) persecutionem excitavit; anno quo facta fuit cædes ingens (2) martyrum in terra orientali; ac denique postquam jam scripseram tibi illa 22 *Capita* quæ sese juxta alphabeti signa excipiunt. » Porro annus ille 648, quo, ut ipse testatur, composuit et absolvit 10 *Homilias* priores, annus est 12$^{us}$ post sacrosanctam synodum Nicænam, seu annus primus (3) ab obitu sancto Constan-

octavo, tam sævam adversus Christi Ecclesiam persecutionem commovit, ut templa dirueret, monasteria incenderet, et Christianos gravissimis oneribus opprimeret. In id enim incumbebat, ut eos a Dei, universorum Conditoris, religione averteret. »

At paulo aliter locus de quo ambigimus exhibetur in Cod. A *Homiliarum* Aphraatis; sic enim legitur : ܗܘ̇ ܕܐܩܝܡ ܪܕܘܦܝܐ ܕܒܗ ܐܬܗܦܟ ܥܕ̈ܬܢ . « Qui excitavit persecutionem, qua destructæ fuerunt ecclesiæ nostræ. » Inde pergit auctor : ܒܫܢܬܐ ܚܡܫܬ « (scripsi) anno quinto (illius persecutionis). » Si igitur Cod. Ms. A fides adhibeatur, eodem tempore acciderint ecclesiarum vastatio et reliquæ vexationes. Sed alia ex hac interpretatione difficultas exsurgit. Cum enim anno Saporis 31 inchoata sit persecutio, ejusdem regis annus 36 incidit in annum persecutionis sextum, non autem quintum, ut asserit Cod. A. In re difficili, deficiente solutione certa, quid opinaberis? — Omnia apprime inter se concilientur, si dicas insedisse menti Aphraatis de persecutionis initio sententiam a nostra quadamtenus diversam. Quamvis enim S. Simeon Barsaboe sociique, martyrum illius persecutionis primitiæ, anno 340 jam comprehensi fuerint, nonnisi anno 341, luna XIV Aprilis, passi sunt, ac eodem anno et die datum est solemne adversus Christianos edictum quod refert Maruthas, Tagritensis Episcopus, apud Ev. Assemanum (*Op. cit.* I, p. 45). Hinc fieri potuit ut Aphraates ab hac promulgatione persecutionis exordium computaret.

(2) Quænam sit *magna illa strages* haud ita facile definieris. Sane initio hujus anni in carcerem conjectus est S. Barbasceminus cum sedecim sociis. At innumeri martyres de quibus Steph. Ev. Assemanus (*Op. cit.* I, p. 117 seqq.), annis subsequentibus demum passi sunt. Cur enim tormentis et morti traderentur causa fuit novum crudeliusque regis edictum, exeunte anno 345 vel 346 ineunte promulgatum (Ibid., pp. 116 et 117).

(3) Minus perspicua hæc videntur, sicut et quæ paulo infra de eadem

ܡܬܘܡܟܢܐ . ܐܬܓܠܝܬ ܡܢ ܗܪܟܐ ܣܘܢܗܕܘܣ ܩܕܝܫܬܐ
ܕܢܝܩܝܐ . ܐܡܬܝ ܕܡܫܬܘܡܝ ܠܫ̈ܢܝܐܬܐ ܕܬܪ̈ܬܝܢܬܐ . ܒܫܢܬ
ܬܠܬ ܘܡܐܬܝܢ . ܘܒܫܢܬ ܩ̄ ܒܝܘܡ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܡܠܟܗ
ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܐܫܬܟܚ ܕܗܢܐ ܗܘ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܫ̈ܢܝܐ
ܡܠܟܘܗܝ ܠܐ̄ . ܒܗ ܗܟܝܠ ܢܣܬܝܟܠܘܢ ܡܢ ܫ̈ܢܝܐ ܩ̈ܕܡܝܐ ܩܕܡܘ .
ܡܬܪ̈ܝܢ ܫ̈ܢܝܐ ܡ̄ܒ . ܐܝܟ ܗܢܐ ܕܐܬܚܙܝ . ܘܡܢ ܬܘܒ
ܡܬܚܙܝܢ ܡܢ ܫ̈ܢܝܐ ܦ̄ ܕܒܗܝܢ ܐܬܟܢܫܬ ܣܘܢܗܕܘܣ
ܕܢܝܩܝܐ . ܘܫܢ̈ܝ ܠܗܝܢ ܫ̈ܢܝܐ ܡ̄ܐ . ܗܠܝܢ ܕܝܢ . ܡܢ
ܫܢܬܐ ܚܕܐ ܕܢܦܩܘ ܗܘܐ ܡܬܚܫܒܢܐ ܠܟܬܒܐ ܡܐܡܪ̈ܐ ܗܠܝܢ
ܦܪ̈ܣܝܐ . ܐܠܝܢ ܗܟܝܠ ܕܒܬܪ ܫ̈ܢܝܐ ܡ̄ܒ ܕܣܘܢܗܕܘܣ
ܕܢܝܩܝܐ : ܘܒܬܪ ܫܢܬܐ ܚܕܐ ܕܟܘܠܗܝܢ ܕܡܠܟܘܬܐ
ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ : ܡܬܒܥ ܘܡܫܬܟܚ ܡܬܚܫܒܢܐ ܗܘܐ ܦܪܣܝܐ
ܡܐܡܪ̈ܐ ܗܠܝܢ ܦܪ̈ܣܝܐ . ܡܬܚܙܐ ܗܘ ܕܐܦ ܒܫ̈ܢܝܐ ܗܠܝܢ
ܕܣܛܪ ܡܢܝܢܐ ܩ̈ܕܡܝܐ : ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܒܫ̈ܢܝ ܚܝ̈ܘܗܝ ܕܡܠܟܐ
ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܒܗܘܢ ܒܡܐܡܪ̈ܐ ܦܢܝܬܐ ܗܕܐ . ܘܡܬܚܫܒܐ
ܗܕ̈ܐ . ܐܝܟ ܡܢ ܗܪܟܐ . ܡܐܡܪ̈ܐ ܗܠܝܢ ܩܕܡ ܐܪ̈ܒܥܐ ܗܠܝܢ ܕܒܬܪܝܢ
ܐܬܬܒ . ܡܢ ܒܬܪ ܫ̈ܢܝܐ ܬܠܬܐ ܐܪ̈ܒܥܝܢ ܒܡܢܝܢ ܐܠܗ̈ܝ .
ܡܬܒܥ ܗܪܟܐ ܐܡܬܝ ܕܐܦ ܫܡܠܝ ܡܢ ܟܠܗ . ܗܕܐ ܗܝ ※
ܗܠܝܢ ܡܐܡܪ̈ܐ ܩ̄ܕ ܦܬܓܡ . ܟܠ ܩ̄ܕ ܐܬܘ̈ܢ . ܒܬܒܥ̈
ܦܪ̈ܣܝܐ . ܒܫܢܬ ܫ̈ܬܝܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܫܒܘܪ ܒܪ
ܗܘܪܡܝܙܕ ܡܠܟܐ ܕܦܪܣܝܐ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܒܡܠܟܘܬܐ . ܘܗܠܝܢ
ܩ̄ܒ ܐܚܪ̈ܢܐ ܦܬܓܡ . ܒܫܢܬ ܫ̈ܬܝܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܡܠܟܐ

re occurrunt. Certum enim est, ipseque Georgius, ut ex contexta oratione patet, agnoscit concilium Nicænum a. 636 Græcorum habitum, Constantinum autem a. 648 mortuum esse. Si igitur decem *Homiliæ* com-

tini, imperatoris fidelis. Congregatum est enim sacrum concilium Nicænum, uti constat ex historia ecclesiastica, anno Græcorum 636 et regni Constantini 20 (1). Omnes autem anni quibus regnavit Constantinus sunt 31. Quando itaque ex annis 648 subtrahimus 636, reliqui sunt anni 12, ut diximus; et quando insuper ex annis regni Constantini demimus annos 20, quibus elapsis coacta est synodus Nicæna, remanent nobis anni 11, donec scilicet unicus supersit annus ante absolutos ab auctore nostro priores illos decem *Sermones*. Si igitur anno 12° a Concilio Nicæno et anno a morte imperatoris Constantini primo scripsit absolvitque auctor ille Persa *Homilias* priores, manifestum est, eum jam annis anno 648° anterioribus, seu tempore vitæ imperatoris Constantini, *Homiliis* conscribendis operam navasse. Idem etiam exinde apparet, quod posteriores 12 *Sermones*, a se deinde exaratos, post septem alios annos demum edidit. Hæc enim, quæ supra jam recitavimus, scribit : « Hos *Sermones* 22 scripsi juxta 22 litterarum signa : priores quidem 10, anno 648 regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, ut in fine eorum notatum est; 12 vero posteriores, anno 655 (2) regni Græcorum et Romanorum,

positæ sunt anno 12 post synodum Nicænam, ܫܢܬܐ ܕܝܒ̄ ܕܡܢ ܒܬܪ ܣܘܢܗܕܘܣ ܩܕܝܫܬܐ ܕܥܠܡܢܝܐ ܡܬܝܚܕܬܐ dempto scilicet illo ipso anno, quo synodus habita est, eidem computandi rationi insistendo, scriptæ illæ fuere non anno primo post Constantini mortem, ܒܬܪ ܫܢܬܐ ܚܕܐ ܕܥܢܝܕܘܬܗ ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ. sed anno eodem quo pius imperator diem supremum obiit.

(1) Constantinus imperium a. 306 adeptus est. Unde annus 325 jam ipsi erat vigesimus regiminis annus.

(2) Loco ܫ̄ܠܗ legendum ܫ̄ܢܘܗ, 655, ut patet ex Lagardio, p. 112, et Wrightio, p. ܪܢܒ. Cum in æra Seleucidarum annus incipiat cum *Tishri primo* sive *Octobri*, sequitur tres hujus anni menses priores ab anno æræ christianæ annis 312, novem vero reliquos annis 311 distare. Quare

ܘܕܘ̈ܟܝܐ܇ ܕܐܬܬܚܝܗ ܡܠܟܘܬܗ ܕܩܘܣܛܢܛܝܘܣ ܀ ܟܕ ܗܟܝܠ
ܠܥܡܠܐ ܕ̈ܠܝܐ ܩ̈ܕܝܫܐ ܆ ܡܢ ܕ̈ܠܝܐ ܩ̈ܕܝܫܘ ܂ ܡܛܠ ܕ̈ܠܝܐ
ܗܟܝܠ . ܐܝܟ ܕܐܡܪܢ . ܘܟܕ ܡܬܚܫܒܝܢ ܒܟܠ ܗܠܝܢ ܐ̄
ܥܠܬܐ ܚܕܐ : ܗ̇ܝ ܕܒܗ̇ ܟܕܡ ܡܬܐܡܪܐ ܗܘ ܕܟܠ ܛܘܛܝܬܐ :
ܒܥܠܬ ܩ̈ܕܡܘ ܐܡܝܢܐ ܕܗܘ ܐܡܪ ܂ ܩ̈ܕܡܝܢ ܕ̈ܠܝܐ ܗ̄ ܂ ܐܡܠܝܢ
ܕܟܗܢ ܟܕܒ ܡܬܐܡܪܐ ܬ̄ܝ ܗܠܝܢ ܐܣ̈ܝܪܐ . ܒܠ̈ܝܢ ܕܐܢ
ܒܠܗܝܢ : ܡܢ ܫܘܠܕܘܫ ܕܠܡܐ ܒܕܡܐ ܠܟܠܗ ܩ̈ܕܝܫܘ ܂
ܚ̈ܝܠܐ ܕ̄ . ܘܢܫ̈ܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܗܘܢ ܐܬܠܒ ܡܬܠܬܒܝܢ
ܗܕܐ ܦܪܫܐ ܂ ܗܠܝܢ ܐܬܚܫܒܝܢ ܐܝܟ ܕܡܬܪܐ ܡܢ ܒܬܟܗ ܂
ܗܠܝܢ ܕܐܬܚܫܒܘܢ ܘܐܬܬܩܝܡܘ ܐܝܟ ܚܕܐ ܩ̈ܕܝܫܘ ܂ ܠܐ
ܡܬܠܟ ܐܬܚܫܒܝ ܕܟܠ ܐܘ ܕܐܬܠܒ ܡܢ ܐܦܪܝܡ ܂ ܐܡܝܢܐ
ܕܠܐܡܪ ܕܡܦܪܫ ܠܗܢܐ ܡܬܠܒܢܐ ܦܪܫܐ ܂ ܘܕܗܘ ܐܬܬܗܘܢ ܗܘܐ
ܡܬܟܠܗ ܐܘ ܒܬܠ ܕܒܗ ܀ ܐܢܫܐ ܕܡܢ ܟܘܒ ܗܠܝܢ ܕܒܗܘܢ
ܡܬܠܒܢ ܗܘܐ ܡܬܠܒܢܐ ܛܒܘܢܐ ܡܢܗ ܐܦܪܝܡ ܂ ܐܝܟ ܠܟܬܒܘܗ
ܡܢ ܗܕܐ . ܦܠܘܣ ܓܝܪ ܟܘܪܝܠܠܘܣ ܕܐܘܪܫܠܡ : ܒܟܬܒܘܗܝ ܕܠܐ
ܕܡܬܐܡܪܐ ܕܗ̄ ܕܐܟܬܝܣܝܣ ܕܝܠܗ : ܟܕ ܐܡܪ ܡܬܠܛܠ
ܗܟܢܐ ܡܬܠܒܢܐ ܘܬܟܠܐ ܕܦܪܫܐ ܂ ܘܐܟܘ ܘܐܦܪܟܘܢ ܒܟܠ
ܠܝܘܡܢ . ܗܟܢܐ ܀ ܗܘܝܢ ܐܦܪܝܡ ܟܬܒܗ : ܐܬܬܩܝܡܘܢ ܕܝܢ
ܗܠܝܢ ܡܬܠܒܢܐ ܫܢܝܬܐ : ܘܟܠ ܫܘܪܝܐ ܡܬܠܒܢ ܗܘܐ ܂
ܟܕܐ ܡܢܗ ܛܘܒܢܐ ܡܬܠܒ ܐܦܪܝܡ ܕܡܢܗ ܕܡܬܚܠܐ ܂
ܕܠܝܢ ܠܚܘܪܐ ܘܠܚܝܐ ܐܝܟ ܠܒܪܢܫܐ ܂ ܘܠܚܝܐ ܠܟܠܗܘܢ

anni Græcorum 648 et 655 incidunt in æræ Dionysianæ annos 336-337 et 343-344, et mensis ܐܒ anni 656 idem est cum Augusto anni nostri 345. — Cfr. Ideler, *Handbuch der Chronologie*, I, 451.

(1) Capite 26 in editione J. L Schulze, ap. Migne, *Patrologiæ Græcæ* tom. LXXXII.

hoc est, regni Alexandri. » Quando igitur ex annis 655 annos 648 subtrahimus, supersunt anni septem, uti diximus. Quibus si addas annum unum, illum scilicet quo scripta est *Homilia de acino* et qui, ut auctor ipse testatur, est annus 656, octo habebis annos, quibus volventibus posteriores 13 *Sermones* composuit. — En igitur totius rei summa : inde a synodo Nicæna usque ad annum 656 anni sunt 20; et hoc quidem tempore auctorem illum Persam scripsisse ex ipsius libro, prout fieri poterat, collegimus; annis autem anterioribus, iis præsertim qui annum 648 præcesserunt, Mar Ephræmum docuisse vel scripsisse, ita ut dicere possimus ipsum antecessisse scriptori nostro Persæ, hujusque doctorem seu magistrum fuisse, nuspiam invenimus.

Cæteroquin tempus quo tanquam scriptor innotuerit beatus Mar Ephræmus et hinc discere possumus. Theodoretus Cyrensis, capite 31 (1) libri II suæ *Historiæ ecclesiasticæ*, loquens de Sapore rege et de exercitu Persarum, qui ad oppugnandam Nisibim venerant, scribit : « Tunc Ephræmus, doctus ille scriptor, in magna admiratione et laude inter Syros erat. Ipsum rogavit beatus Jacobus (2), civitatis Episcopus, ut ascenderet in mœnia et, barbaros intuitus, imprecationum tela in eos

(2) Aliter in textu Græco : *Τότε Ἐφραῒμ ὁ θαυμάσιος, συγγραφεὺς δὲ οὗτος ἄριστος παρὰ Σύροις ἐγένετο, τὸν θεῖον Ἰάκωβον ἠντιβόλησεν ἐπιβῆναι τοῦ τείχους, καὶ τοὺς βαρβάρους ἰδεῖν, καὶ τῆς ἀρᾶς κατ' αὐτῶν ἀφιέναι τὰ βέλη. Εἴξας δὴ οὖν ὁ θεσπέσιος ἄνθρωπος, ἀνέβη μὲν εἴς τινα πύργον.*

Asserit itaque Theodoretus ipsum S. Jacobum, Ephræmo hortante, ascendisse in muros et hostibus maledixisse. Ut ab hoc sensu recederet et alium sufficeret inductus forsan fuerit Georgius testimonio aliorum auctorum, qui urbis liberationem Ephræmi precibus tribuunt Quibuscum sentiunt *S. Ephræmi Acta* (B. O. I, pp. 30 et 31), et Abulpharagius in *Historia dynastiarum* (Ibidem).

ܢܫ̈ܐ ܕܒܬܘ̈ܠܬܐ . ܗܘ̇ܐ ܕܝܢ ܗܢܐ ܩܪܒܐ . ܒܫܢܬܗ
ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܒܪܗ ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ : ܐܝܟ ܕܡܟܬܒܐ
ܡܠܟܐ ܕܫܢ̈ܘܗܝ ܕܡܠܟܗ ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ
ܡܬܝܕܥ ܕܒܬ̈ܫܥܝܬܐ ܐܝܬ ܠܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܕܡܠܟܗ ܡܢ ܩܕܡ ܝܘܠܝܢܐ
ܕܩܠܝܠ ܕܡܬܐܡܪܐ ܪ̈ܝ . ܟܕ ܐܬܐ ܡܠܟܐ ܫܒܘܪ ܘܐܠܨܗ ܠܢܨܝܒܝܢ ܀
ܒܗ ܗܕܐ ܡܠܟܐ ܒܩܪܒܐ ܗܘ ܕܐܬܢܨܚ ܗܘܐ · ܐܦܪܝܡ ܢܨܝܚܐ
ܒܐܪܥܗ : ܘܕܝܢܘܣܝܘܣ ܒܐܠܟܣܢܕܪܝܐ · ܟܕ ܡܬܬܒܥܝܢ
ܠܘܩܒܠ ܡܫܠ̈ܡܢܐ ܕܐܬܦܢܝܘܗܝ ܕܠܘܩܒܠܐ ܕܗܪܣܝܣ ܀ ܐܬܦܢܝܘ
ܕܝܢ ܐܦ ܐܒܝܠܐ ܗܢܐ · ܠܐܦܝ ܫܘܠܛܢܐ ܕܝܢܐ ܕܚܣܝ̈ܘܬܗ
ܕܐܠܗܐ · ܐܝܟ ܡܢܐ ܕܐܦ ܡܠܟܘܬܐ ܠܟܠ ܕܬ̈ܫܥܝܬܐ ܐܝܬ
ܠܡܟܬܒ ܀ ܟܕ ܗܟܝܠ ܠܗܠܝܢ ܕܡܫܬܟܚܬܐ ܥܒ̈ܝܕܢ ܡܠܟܐ
ܐܝܟܢܐ ܡܬܚܟܡܐ · ܡܫܬܘܕܥܝܢ ܡܢ ܡܬܚܟܡܢ ܐܝܟ ܕܡܬܝܕܥ · ܕܡܢ
ܐܒܢܐ ܡܝܩܪܐ : ܗܘ ܕܒܗ ܐܬܠܒܫ ܡܬܚܟܡܢܐ ܗܘ ܦܪܨܘܦܐ ܠܗܠܝܢ
ܕ̄ ܡܠܟܘܬܐ ܡܝܩܪܬܐ : ܕܡܟܢ ܠܒܢܝܐ ܗܘ ܐܝܟܢܐ ܕܒܗ ܦܬܓܡܐ ܗܘܐ
ܠܘܩܒܠ ܡܫܠ̈ܡܢܐ ܢܘܣܝܐ ܡܕܝܢ ܐܦܪܝܡ : ܗܘܝܘ ܕܝܢ ܡܢ
ܒܬܪ ܕܡܬܒܥܐ ܦܪܨܘܦܐ ܠܗܠܝܢ : ܘܠܢܦܫ ܡܢܗܘܢ ܘܐܟ̈ܐ
ܠܐܪܥܗ · ܗܟܢܐ ܗܝ ܠܡܘܪܒܐ . ܕܐܝܟ ܐܡܝܢ . ܡܬܚܟܡܢ ܕܐܬܚܝܒ
ܡܬܚܟܡܢܐ ܗܘ ܦܪܨܘܦܐ ܠܗܠܝܢ ܕ̄ ܡܠܟܘܬܐ ܡܝܩܪܬܐ · ܒܬܚܘܬܐ
ܗ̄ ܗܠܝܢ ܕܝܠܗ ܠܗܠܝܢܐ ܕܡܬܚܟܡܐ ܦܬܓܡܐ ܡܫܬܘܕܥܝܢ .
ܘܡܢ ܠܡܫܠܡܘ ܠܗܠܝܢ ܗ̄ ܬ̈ܫܥܝܬܐ · ܘܡܫܠܡܝܢ ܒܗ̄ ܬ̈ܫܥܝܬܐ
ܕܐܬܒܪܝ ܡܫܬܘܕܥܝܢ : ܘܐܠܦ ܕܡܬܚܟܡܐ ܘܡܫܬܡܠܝܢ ·
ܒܬܪ ܗܠܝܢ ܕܐܟܬܒܢ ܦܬܓܡܐ · ܡܛܠ ܠܗ ܗܠܝܢ ܬܘܒ . ܐܝܟܢܐ

(1) A vero aberrat Georgius dum putat obsidionem hanc paulo ante obitum Constantii accidisse. Constantius enim anno 361 mortuus est.

mitteret. » Factum est autem bellum hoc tempore Constantii, filii Constantini, paulo ante finem vitæ illius, uti et ex historia colligere licet (1). Ex ejusdem operis libri IV capite 29 (2), ubi loquitur auctor de tempore Valentis imperatoris, hæc habemus : « Ea igitur ætate clari erant Ephræmus, Edessæ, et Didymus, Alexandriæ, scribentes contra doctrinas veritati oppositas. » Porro etiam hic sermo est de iis quæ sub finem vitæ Valentis facta sunt, prout iterum ex rerum gestarum scriptoribus quisque discere potest.

Iis igitur quæ in promptu sunt prætermissis ad prolixitatem sermonis vitandam, verisimiliora sectando quantum possumus, invenimus, inde a tempore primo, eo nempe quo scripsit auctor ille Persa priores decem *Sermones*, usque ad id tempus quo beatus Mar Ephræmus contra errores libros edidit, sive quo, post Nisibin a Persis captam, ex hac civitate egressus, Edessam venerat, annos effluxisse circiter quinquaginta. Quod sic conficitur : ponimus ab auctore nostro Persa priores illos 10 *Sermones* scriptos esse annis 8 qui imperatoris fidelis Constantini mortem præcesserunt. Si vero 8 illis annis adjiciamus 25 annos quibus regnavit Constantius, item tres annos Juliani et Joviani, per annos 14 Valentis imperatoris completur summa 50 annorum, uti diximus (3).

Cum autem constet Nisibin civitatem ter a Sapore obsessam esse, annis videlicet 338, 346 et 351, aliunde vero, ut fusius demonstrabitur in altera hujusce opellæ parte, minime dubium videatur, S. Jacobum a. 338 vita functum, seqnitur apud Theodoretum de prima oppugnatione sermonem fieri. Quod egregie confirmatur anonymi narratione B. O. I, pp. 30 et 31.

(2) Capite 26 edit. J. L. Schulze; apud Migne, tom. LXXXII.

(3) Si res accuratius dispicias, intelliges a morte Constantini (a. 337)

ܕܐܒܓܪܝ ܀ ܕܡܛܠ ܕܡܢ ܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܡܢ ܡ̈ܠܟܐ ܗܠܝܢ
ܕܐܬܐܡܪܘ ܀ ܡܫܬܡܘܕܥ ܠܢ . ܡܢ ܗܪܟܐ ܀ ܦܬܚܝܢܢ ܒܡܠܟܘܬܗܘܢ
ܒܡܠܟܘ ܕܐܘܪܗܝ ܕܡܬܐܡܪܝܢ ܡܩܕܡܐ ܕܐܡܠܟ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܕܡܠܟܗ .
ܗܟܢܐ ܀ ܚܕܐ ܕܡܢ ܡܠܟܐ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܫܢܝܐ ܠܗ .
ܘܡܠܟܘ ܐܒܓܪ ܫܢܝܐ ܠܐ ܀ ܕܡܠܟܗ . ܡܢ ܡܫܠܡܢܘܬ ܕܡܠܟܗ
ܕܐܬܐܡܪܐ ܕܟ ܀ ܚܕܐ ܕܡܢ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܫܢܝܐ ܟܗ .
ܐܒܓܪ ܕܡܢ ܡܠܟܘܬ ܫܢܝܐ ܟܚ . ܒܬܪ ܐܒܘܗܝ ܡܢ ܟܕ .
ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܕܐܒܘܗܝ ܫܢܝܐ ܩܗ ܀ ܕܡܠܟܗ . ܡܢ
ܡܫܠܡܢܘܬ ܕܟܗ ܕܐܬܐܡܪܐ ܕܢܟܐܬ ܀ ܡܠܟܘܬܗܘܢ ܗܘܟܝܠ ܒܗܘܦܟܐ
ܕܡܠܟܗ ܕܝ : ܗܘ ܕܡܢܗ ܒܬܪ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ . ܒܗܘ ܒܬܪܗ
ܡܪܝܐ . ܒܐܪܟܐ ܕܦܪܣܝܐ ܐܚܘܗ ܕܐܡܪܬ ܡܢ ܠܟܠܗ ܡܬܘܬ . ܗܕܐ
ܕܡܢ ܗܢܝܐ . ܕܢܟܠܬ ܒܬܪ ܐܡܬܝܗ ܗܘܬ ܕܡܠܟܘܬܗ ܀
ܕܡܠܟܗ ܒܬ ܕܡܠܟܗ . ܡܢ ܡܫܠܡܢܘ ܕܟ ܕܡܬܐܡܪܐ ܕܝ . ܒܬ
ܐܟܝܢ ܡܠܟܗܘܢ ܡܩܕܡܢܝܢܘܣ ܦܠܟܐ ܀ ܒܗܕܐ ܗܘܟܝܠ ܕܒܬܪ
ܕܐܬܡܪܐ ܡܢ ܠܟܠܗ . ܒܪܟܬܐ ܕܫܬܐ ܒܡܘܪܢܝܐ ܕܦܘܠܛܝܗ
ܐܒܪܗ . ܘܡܛܠ . ܒܗܘܦܟܐ ܕܡܠܟܗ ܘܒܪܘܢܘܣܛܝܢܘܣ ܒܪܗ .
ܒܝܪܚ ܚܫܒܗ . ܒܫܢ ܒܗ . ܘܒܬ ܐܒܓܪ ܡܪܝܐ ܐ̄ . ܘܚܕܐ
ܫܢܝܐ ܟܢ . ܐܝܟ ܕܡܢ ܒܡܬܐܡܪܐ ܗܢܐ ܕܝ . ܐܚܪܢܐ ܕܫܢܝܐ
ܝ . ܘܫܢܝܐ ܟ ܀ ܕܡܠܟܗ ܒܬ ܕܡܠܟܗ ܡܢ ܡܫܠܡܢܘ
ܕܟܗ ܘܡܬܐܡܪܐ ܕܕ . ܒܬ ܐܝܟܢ ܡܠܟܗܘܢ ܘܟܠܗܘܢ ܡܠܟܐ ܀
ܚܕܐ ܕܡܢ ܫܢܝܐ ܟܚ . ܒܬ ܐܒܓܪ ܒܬܪ ܐܒܘܗܝ

ad annum 378, quo Valens imperator et ipse vita cessit, annos fluxisse 41; quibus si octo addas superstite Constantino lapsos, summam conflari annorum *novem et quadraginta*. Quare advertas etiam velim, Constantium non 25 annos, sed 24, ab anno 337 ad 361, post patrem regnasse.

Quamdiu autem regnaverit unusquisque ex imperatoribus memoratis hinc novimus. Socrates, libro primo suæ *Historiæ ecclesiasticæ*, capite quadragesimo, scribit : « Vixit autem imperator Constantinus annos 65, ex quibus 31 regnavit. » Ibidem, capite 45 libri II (1), legimus : « Vixit Constantius annos 45, ex quibus 38 regnavit, tres quidem cum patre suo (2) et 25 post patris obitum. » Ibidem, libri tertii capite 16 (3) : « Julianus igitur in consulatu suo quarto, quem cum Sallustio gessit, die 26 mensis Thomuz (Julii), in regione Persarum mortuus est, uti supra dixi. Hic autem erat tertius annus imperii ipsius. » Ibidem, libri III capite 20 (4), loquens de Joviano imperatore, hæc profert : « Itaque in loco supra indicato, tempore hiemali, infirmitate renum (5) laboravit atque obiit, ipso et Varroniano filio consulibus, die 17 mensis Schebot (Februarii), postquam menses 7 regnavit et vixit annos 33. Porro liber hic 3[us] complectitur tempus annorum 3 et 2 mensium (6). » Ibidem, libri IV capite 35 (7), loquens de Valente imperatore : « Vixit autem annos 50 et

(1) Cap. 47 in Valesii editione, apud Migne.

(2) Corrigendus librarii lapsus, quem contextus ipse indicat: legendum nempe, cum textu Græco editionis Valesianæ, 13, ܝܓ, loco 3, ܓ .

(3) Cap. 21 in edit. cit.; ubi et pro mense *Thomuz*, qui est *Julius*, habes *Junium*.

(4) Cap. 26 in edit. cit.

(5) ܟܘܪܗܢܐ ܕܟܘ̈ܠܝܬܗ est *infirmitas renum*. Græce habetur ἰμφράξεως νοσημα, i. e. *obstructionis morbus*. Hinc possit non nemo conjicere pro ܟܘ̈ܠܝܬܐ legendum ܟܠܝܬܐ, *prohibitio*, *cohibitio*, *retentio*. Neque tamen hæc correctio necessaria, cum priori etiam nomine designari queat morbus ille, qui a Socrate ἴμφραξις vocatur et apud medicos stranguria seu urinæ angustiæ audit.

(6) Ap. Migne : *Annorum duorum et mensium quinque.*

(7) Cap. 38 ap. Migne.

ܘܠܐܢܛܘܢܝܢܘܣ. ܫܢܝ̈ܐ ܝ̄ܓ. ܡܢ ܫܢܬ ܡܠܟܘܬܗ ܕܡܢ.
ܫܢܝ̈ܐ ܝ̄ܓ ✤ ܒܗ ܗܘ ܙܒܢܐ ܕܬܫܥܝܬܐ ܬܢܝܢ ܒܦܘܡ ܐܝܬ ܠܢ
ܡܗܝܡܢܘܬܐ ܕܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܡܟܬܒܢܐ ܗܘ ܦܪܣܝܐ. ܒܥܕܢܐ ܠܒܪܐ
ܕܡܗܝܡܢܘܬܐ ܕܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܝܗܘܕܝܐ ܡܢܗ ܐܦܪܝܡ. ܐܡܪܐ
ܡܫܡܫ ܐܠܗ ܠܡܠܐܟܐ. ܕܠܡܫܝܚܗ ܘܡܢܗ ܐܦܪܝܡ ܐܬܠܘܗܝ
ܗܘܐ ܡܟܬܒܢܐ ܗܘ ܦܪܣܝܐ. ܠܐ ܚܙܝ ܐܝܟܢܐ ܕܡܫܝܚܐ ܗܘܐ.
ܐܡܪܐ ܕܐܦ ܒܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܐܬܓܠܝ ܡܢ ܟܠܠ ܫܢܝܢ. ܐܦܢ
ܘܒܦܠܠܬܐ ܡܟܝܠ ܕܙܒܢܐ ܐܘܕܝ ܒܗܢ ܒܫܢܝ̈ܐ ܡܣܝܐ ܡܢܗ ܐܦܪܝܡ
ܠܡܟܬܒܢܐ ܗܘ ܦܪܣܝܐ. ܐܘ ܒܫܢܝ̈ܐ ܘܡܫܠܡܢܘܬܐ ܒܗܢ: ܒܗ
ܗܘ ܡܢܝ ܡܢܗ ܐܦܪܝܡ ܐܬܠܘܗܝ ܗܘܐ ܠܟܠܗ. ܡܟܬܒܢܐ
ܕܡܢ ܗܘ ܦܪܣܝܐ ܫܒܐ ܡܢ ܒܗܘ ✤ ✤ ܘܡܠܝܟ ܡܢ ܗܘ
ܕܡܠܐܟܢ ܫܡܫܐ ܦܪܣܝܐ: ܗܘ ܕܠܐ ܡܝܡ ܠܟ ܡܫܝܚܗ ܘܠܐ
ܕܝܢܗ ܘܐܦܠܐ ܕܒܫܠܐ ܕܡܠܟܢܝܗ: ܕܡܪܝܐ ܕܡܢ ܒܪܟ ܕܡܬܚܫܒ
ܒܠܡܪܘܣ ܠܝܬܢܐ. ܘܕܐ ܐܬܠܘܗܝ ܗܘܐ ܠܟܠܡܟܝܢܗ
ܕܗܒܢܐ ܡܢܗ ܐܦܪܝܡ. ܗܟܢ ܐܡܪ ܕܒܪܟܘܬܐ. ✤

ܡܬܐܡܪ ܕܒ̄. ܡܠܝܟ ܗܘ ܕܐܡܪ ܗܘ ܡܟܬܒܢܐ ܒܫܢܝ̈ܐ.
ܕܡܟܘܟܐ ܕܗܢܐ ܠܟܦܢ ܕܫܢܝ̈ܐ، ܡܫܬܠܡ ܠܟܠܡܢܐ ܗܢܐ. ✤
ܡܠܝܟ ܕܡܢ ܗܘ ܕܒܬܒܬ ܐܫܬܝ ܘܐܡܪ ܡܟܬܒܢܐ ܗܘ ܒܫܢܝ̈ܐ:
ܘܡܢܐ ܕܡܟܠܡ ܗܢܐ ܠܟܦܢ ܕܫܢܝ̈ܐ ܗܘܐ ܡܫܠܡܢܐ ܠܟܠܡܢܐ ܗܢܐ.
ܕܠܕ̈ ܙ̄ܒ ܐܢܐ. ܘܐܦ ܠܫܟܝܢܐ ܐܚܪܢܐ ܒܪܫܝܫܘܬܐ ܡܢ ܗܢܘܢ
ܕܒܬܪ ܡܠܟܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܐܝܬ ܗܘܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܗܕܐ ܐܝܟ
ܡܢܐ ܕܡܫܡܫܝܢ ܡܫܡܫܢܘܗܝ. ܗܢܘܢ ܕܒܗ ܠܫܘܝܐ ܕܡܫܘܢ
ܡܫܡܫܝܢ. ܠܟܘܪܐ ܡܢܗܘܢ ܗܠܝܢ ܐܝܟ ܕܠܡܣܪܪܐ ܕܡܫܠܡܢܘܬܢ ✤

(1) Pro ܝ̄ܓ, 13, lege ܝ̄ܐ, 11, ut historicæ veritati consentias nec

regnavit cum fratre suo Valentiniano annos 13 (1), hoc autem mortuo, per triennium. »

Quoniam igitur tempus annorum 50 intercessit a publica propositione doctrinæ auctoris illius Persæ usque ad divulgationem doctrinæ beati Mar Ephræmi, quomodo posset aliquis asserere, scriptorem Persam Mar Ephræmi discipulum fuisse? Neque enim ullam veri speciem ejusmodi assertum habet, sicut et examen a nobis supra institutum ostendit. Quamvis vero quoad partem aliquam forsan convenerint tempora quibus vixerunt sanctus Mar Ephræmus et auctor ille Persa, vel etiam tempora quibus ambo et vixerunt et docuerunt, certe cum Mar Ephræmus adolesceret, scriptor Persa jam senuerat.

Et hæc quidem pauca de eo qui vocatur Sapiens Persa dicta sint : ejus scilicet a nobis ignorari nomen, dignitatem et domicilii locum; cœnobitam tamen eum fuisse et in clero constitutum, nullatenus vero beati Mar Ephræmi discipulum.

*Caput secundum.* — De doctrina Sapientis Persæ, fore ut, completis sex annorum millibus, mundus hic finem accipiat.

Quod autem attinet ad doctrinam auctoris illius Persæ, quam commemoravit Fraternitas tua, futurum scilicet ut, elapsis sex annorum millibus, mundus hic finem accipiat, scias volo, etiam multis aliis Messiæ cultoribus ex iis qui post hujus adventum vixerunt, illam fuisse opinionem, ut eorum scripta ostendunt. Quorum plurimis omissis, pauca producamus ad eorum quæ dicimus confirmationem.

ponas Georgium sibi, paucis interjectis versibus, contradicentem, qui supra asseruit Valentem annos 14, non autem 16, regnasse

ܦܠܓ ܗܘܠ ܒܪ̈ܕܝܗ ܫܢ̈ܝܐ ܠܒܝܬܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܡܢܝܢܬܐ

ܕܣܘܥܪ̈ܢܐ : ܒܡܢܝܢܐ ܚܕ ܕܒܫܢܝ ܠܗ ܡܠܟܘܬ ܐܘܓܘܣܛܘܣ ܕܒܗܘܢ

ܣܛ̈ܪܐ . ܕܢܘܡ̈ܣܐ ܕܥܠܡܐ . ܡܢ ܗܟܝܠ ܐܡܪ ؛ ܫ̈ܢܝܢ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ

ܕܢܝܩܝܐ . ܡܢ̈ܝܢܐ ܩ̄ ؛ ܗ̄ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܐܦܣܘܣ . ܡ̈ܢܝܢܐ ܩ̄ ؛

ܩ̄ܠ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܐܢܩܘܪܐ . ܡܢܝ̈ܢܐ ܩ̄ ؛ ܩ̄ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܢܝܩܝܐ .

ܡܢ̈ܝܢܐ ܩ̄ ؛ ܟ̄ܒ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ . ܡܢ̈ܝܢܐ ܩ̄ ؛ ܩ̄ܢ

ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܗܪܩܠܝܐ . ܡ̈ܢܝܢܐ ܩ̄ ؛ ܟ̄ܒ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܓܢܓܪܐ .

ܡܢ̈ܝܢܐ ܩ̄ ؛ ܡܢܘ ܠܟܠ ܐܬܟܢܫܘ ܣܓܝ ܣܘܢܗ̈ܕܘܣ ܕܒܟܠܗܘܢ ؛

ܐܘܟܝܬ ܐܝܟܢܐ ܕܣܓܝ ܣܘܢܗ̈ܕܘܣ ܕܒܟܠܗܘܢ . ܐܝܟܢܐ ܕܒܟܠܝ ܗܘܐ

ܠܣܘܢܗ̈ܕܘܣ ܩ̄ ܕܐܝܟ ܗܟܢܐ . ܗܟܢܐ ܠܩ̈ܢܘܢܐ ܕܡܢ̈ܝܢܐ ܠܗܘܢ .

ܕܐܝܟ ܐܡܝܢܐ ؛ ܩ̄ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܢܝܩܝܐ . ܗܟܐ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡܢ̈ܝܢܐ ؛

ܩ̄ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܐܦܣܘܣ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡܢܝ̈ܢܐ . ܕ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ

ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ ܕܐܢܩܘܪܐ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡܢ̈ܝܢܐ ؛ ܗܟܐ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ

ܕܢܝܩܣܪܝܐ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡ̈ܢܝܢܐ ؛ ܐ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܩ̄ܢ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ

ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡ̈ܢܝܢܐ ؛ ܡ̄ܒ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ

ܕܗܪܩܠܝܐ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡ̈ܢܝܢܐ ؛ ܟ̄ܒ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܣܘܢܗ̈ܕܝܢ

ܕܓܢܓܪܐ . ܩ̄ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܕܡ̈ܢܝܢܐ ؛ ܘܗܠܝܢ ܡܢܝܢ ܗܟܢܐ ܣܓܝܢ

ܒܪ̈ܕܝܗ . ܡܢ ܪ̈ܒܐ ܠܡܟܬܒܘ ܕܗܟܐ ܠܩ̈ܢܘܢܝܢ ܒܟܬܒܘ

ܕܡܢ̈ܝܢܐ ܡܠܟ ܒܟܠܡܐ ܗܢܐ ؛ ܐܦ ܡܢܝܢܐ ܕܡܢ ܐܘܣܛܘܟܝܘܣ ܗܘ

ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܣܓܝܐ . ܗܟܢܐ ܐܡܪ ܒܡܟܬܒܢܐ ܕ̄ ܕܟܠܗ ܕܠܐܡܬܠ

ܠܟܠܐ ؛ ܡܟܬܒܢܘܬܗ ܒܪܝܫ ܗܘ ܡܢܝܢܬܐ ܕܣܘܥܪ̈ܢܐ ܕܒܟܠܝ

(1) ܣܘܥܪ̈ܢܐ nomen (a rad. ܣܥܪ, *invisit*, dein *inspexit*, tum *egit*, *fecit*,) significat : a) *actionem*, *opus*, *rem gestam*, quo sensu *rerum gestarum scientia* seu *historia* dici posset ܡܘܕܥܬܐ ܕܣܘܥܪ̈ܢܐ; — b) *effectum*, *factum*, *vere existens aliquid*; et hac acceptione vocem a Georgio usur-

Hæc igitur Bardesanes, scriptor antiquus et rerum naturalium (1) scientia illustris, tradit in libro aliquo quem *De sideribus inter se coeuntibus* composuit : « Duabus conversionibus Saturni, anni requiruntur 60 (2); quinque conversionibus Jovis, anni 60; 40 conversionibus Martis, anni 60; 60 conversionibus solis, anni 60; 72 conversionibus Veneris, anni 60; 150 conversionibus Mercurii, anni 60; 720 conversionibus lunæ, anni 60. En quidem unam omnium siderum conjunctionem seu tempus unius coitionis eorum; proinde donec adimpleantur 100 conjunctiones similes, sex labentur annorum millia. Quæ res sic sese habet : 200 conversiones Saturni requirunt 6000 annorum; 500 conversiones (3) Jovis, 6000 annorum; 4000 conversionum Martis, 6000 annorum; 6000 conversionum solis, 6000 annorum; ducentæ supra 7000 conversionum Veneris, 6000 annorum; 12,000 (4) conversionum Mercurii, 6000 annorum; 72,000 conversionum lunæ, 6000 annorum. » Atque hæc ita computat Bardesanes, ut mundum hunc ultra sex annorum millia non mansurum demonstret.

Sanctus Hippolytus, Episcopus et martyr, hæc in libro IV (5) *In Danielem prophetam* et ipse profert : « Prior

patam arbitror, ita ut de *cognitione rerum in mundo existentium*, præsertim tamen, juxta contextum, spectantium ad astronomiam, sermo sit

(2) Brevitatis gratia, in Latina versione generatim signa numerorum arithmetica posui ubi syriace occurrebant.

(3) Pro ܡܘܕܪ̈ܝܢ apud Wrightium mendose editum est ܦܘܕܪ̈ܝܢ .

(4) Instituta comparatione inter numerum istum ܝܒ̄ ܐܠܦܝܢ, 12,000, et numerum alium ܩܢ, 150, de eodem sidere supra occurrentem, patet alterutrum locum vitiosum esse.

(5) *Commentariorum* Hippolyti *in Danielem* nonnisi fragmenta exstant : quæ videsis ap. Migne, *Patrol. Græcæ* tom. X. Quædam etiam inveniuntur in Lagardii *Analectis Syriacis*, p. 79 seqq.

ܕܒܫܢܬ ܬܫܥܝܢ . ܒܡܠܟܘܬܗ ܕܐܘܓܘܣܛܘܣ ܗܘܐ . ܒܫܢܬܐ
ܕܗܪ̈ܘ ܕܒܒܠܝܐ . ܚܕܐ ܕܝܢ . ܒܫܢܬܐ ܕܬܠܬܝܢ ܘܥܣܪ ܡܠܟܘܬܗ .
ܐܝܟ ܕܝܢ ܡܢ ܟܠܕܝ̈ܐ . ܕܗܝܐ ܫܢܬܐ ܠܟܠܗܝܢ ܫܢ̈ܝܐ ܠܬܘܠܕܬܗ .
ܕܐܬܐ ܫܒܬܐ ܗܝ ܕܝܫܘܥ . ܗܝ ܕܒܗ ܐܬܝܠܕ ܡܫܝܚܐ ܟܠܗ ܡܢ
ܡܛܘܠ ܕܒܝܘܡܐ . ܗܟܢܐ ܕܡܢܗ ܟܠܗ ܕܒܟܠܗܝܢ . ܘܒܬܪ
ܡܟܝܠ . ܡܢ ܗܘܝܘ ܗܘܐ ܕܡܫܝܚܐ . ܐܝܟ ܕܝܫܘܥ
ܘܝܘܣܦ ܬܪܝܢ ܫܢ̈ܝܐ ܗܘܐ ܕܡܪܝܡ . ܠܡܫܪܝܬܐ ܕܗܟܢܐ ܘ
ܠܟܠܗܝܢ ܫܢ̈ܝܐ . ܘܗܟܢܐ ܗܘܐ ܠܢܘܗܪܐ . ܘܗܟܢܐ ܡܢ
ܠܘܩܒܠ ܕܝܘܡܐ ܕܐܬܝܠܕ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܘܣܝܒܝܘܣ : ܒܗ
ܒܝܬ ܠܚܡ ܕܝܗܘܕܐ . ܐܠܐ ܗܘܐ ܠܟܠܗܝܢ ܫܢ̈ܝܐ
ܒܫܢܬܐ ܠܐ ܗܘܐ ܒܟܠܗܘܢ ܗܢܐ . ܐܝܟ ܗܟܢܐ ܐܘܣܝܒܝܘܣ . ܒܪܬ
ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ ܐܝܟ ܡܛܠܬܗ . ܫܢ̈ܝܐ ܗܘ̈ܝ ܠܗ ܒܟܠܗܝܢ
ܗܢܐ ܕܒܫܢܬ : ܒܫܢܬܐ ܗܘܐ ܕܐܬܐ ܕܝܘܡܐ . ܐܝܟ ܕܒܪ ܬܪܝܢ
ܫܢ̈ܝܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܡܢ ܟܠܗ ܘܒܟܠܗܝܢ ܗܢܐ
ܐܝܟܢܐ ܕܝܘܡ ܐܡܪ . ܡܢ ܡܠܟܘܬܗ ܕܝܢ ܕܡܫܝܚܐ ܘܒܝܬܐ
ܠܫܢܬܐ ܗܘܐ ܕܫܢܝܐ ܗܘ̈ܝ ܫܢ̈ܝܐ ܟܠܗ . ܒܫܢܬܐ ܕܝܢ
ܕܗܘ ܣܦܪܝܗܘܢ ܕܐܬܝܠܕ ܡܫܝܚܐ : ܐܝܟ ܡܢ ܕܒܝܬܐ
ܐܬܪܐ ܕܝܢ ܡܫܪܝܬܐ ܣܘܓܐܐ . ܡܢ ܒܗ ܠܫܢܝܐ
ܡܢ ܫܢ̈ܝܐ ܟܠܗ . ܫܢ̈ܝܐ ܬܪܝܢ ܐܝܟܢܐ ܕܐܡܪ ܐܘܣܝܒܝܘܣ .
ܕܬܪ̈ܝܢ ܟܠܗ ܫܢ̈ܝܐ ܬܠܬ . ܐܝܟ ܡܢܐ ܕܐܦ ܐܦܪܝܡ . ܟܠܗ
ܗܟܢܐ ܕܝܢ ܠܫܢܐ . ܐܦ ܒܟܪܣܛܘܣ ܡܢܗ ܡܫܝܚܐ ܡܠܟܘܬܐ .
ܕܗܘ ܒܗ ܗܘ ܕܫܢܬܐ ܩܕܡܝܬܐ . ܗܘ ܕܒܡܠܟܘܬܐ ܕܗܢܐ ܕܡܢ

(1) Vix opus est monere, non confundendum annum natalem Christi cum anno primo æræ vulgaris : prior enim, juxta sententiam quam

enim adventus Domini nostri in carne, dum Bethlehemi natus est, in diebus Augusti fuit, anno mundi 5500; passus est autem anno 33 post nativitatem suam. At necesse est sex annorum millia adimpleri, ut veniat tranquillum illud sabbatum, quo requiescet Deus ab omnibus operibus quæ perficienda susceperat. » — Et paulo post subdit : « Opus est igitur ut inde a nativitate Christi numeremus et percurramus 500 illos annos qui desiderantur ad adimpletionem 6000 annorum, et tunc aderit finis. » Hæc itaque, quæ sunt magis perspicua, dixit sanctus Hippolytus, volens et ipse ostendere mundum hunc ultra sex annorum millia non exstiturum. Quæ qualia sint vides. Verumtamen advertamus oportet, mundum, anno hoc 1025 Græcorum, post terminum ab illo prædictum jam 215 annis mansisse. Si enim post 500 ab adventu Messiæ annos, finis 6000 annorum et mundi futurus erat, ut ipse Hippolytus dixit, a nativitate autem Christi usque ad annum hunc præsentem anni fuere 715 (anno namque 310 Seleucidarum (1) Christum natum esse tenemus, prout id alio loco demonstravimus); consequens est, quando ab annis 715 quingentos ab Hippolyto præfinitos subtrahimus, superesse nobis annos 215, uti jam diximus.

Præter auctores illos, adducemus et sanctum Mar Jacobum Doctorem (2), qui hanc eamdem sententiam

tuentur auctores numero et gravitate conspicui, incidit in annum periodi Julianæ 4707 et Seleucidarum 306; alterum vero constat esse periodi Julianæ 4714, et anno Græcorum 312 incœpisse. Hinc sive de initio æræ Dionysianæ, sive de Christi anno natali intelligatur Georgius, a vero hic aberrasse videtur. — De utroque tempore conferri possunt cl. viri B. Jungmann, *Dissertationes selectæ in historiam ecclesiasticam*, tom. I, p. 93 seqq

(2) Quisnam sit Jacobus ille de quo hic sermo est mihi non liquet.

ܗܠܝܢ ܕܟܬܝܒܝܢ ܠܗ ܒܟܠ ܐܫܬܬ ܝܘܡ̈ܝܢ. ܗܘܝܐ ܦܬܘܪ܀
ܡܠ̈ܬܐ ܠܟܠ. ܐܝܟ ܗܘ ܡܘܕܐ ܣܝܡܝܢ ܠܐܟܪܐ. ܕܟܠܗ ܡܠ̈ܬܐ
ܒܟܬܒ̈ܘܗܝ ܕܡܟܪܡܐ ܚܢ ܗܘ ܡܘܕܐ. ܗܘܠܝܢ ܡܘܡ̈ܪܐ ܚܬܐ ܕܒܗܘܢ
ܡܫܒܚ ܠܘܩܒܠܐ. ܡܠ̈ܬܐ ܕܟܠܡܐ ܕܒܪܢ ܡܪܝ ܟܠܗ̈ܘܢ ܚܬܐ.
ܘܒܐܟܪܐ ܕܚܒܪܐ ܦܬܠ ܟܠܡܐ ܘܗܠܝܢ ܪ̈ܘܚܐ. ܘܗܘܝܐ
ܠܢܦܫܬܐ ܡܟܝܐ ܕܐܬܦܠܝܛ ܪ̈ܘܚܐ ܕܚܬܐ܀ ܘܒܬܪ ܡܟܠ܀
ܐܬܩܢܝܢ ܡܟܪܡܐ ܒܚܒܚܟܝܐ ܒܢ ܪܡܟܢ ܗܘܐ. ܕܐܠܐ ܚܬܐ ܠܐ
ܡܟܪܡܐ ܠܟܠܡܐ ܠܪ̈ܘܚܐ. ܒܚܘܒܐ ܕܚܬܐ ܚܟܠܡܘ ܠܘܩܒܠܐ ܕܒܠ
ܒܪܘܚܬܐ. ܕܠܐܟܠܗ ܟܠܡܐ ܕܗܘܐ ܒܚܬܐ. ܘܒܚܬܐ
ܚܟܠܢ܀ ܘܒܬܪ ܡܟܠ ܠܘܩܒ܀ ܠܗ ܗܘ ܡܟܪܡܐ ܫܠܡܒ
ܗܘܐ ܕܢܬܩܢܝܢ ܒܢ ܠܐ ܠܘܐ. ܐܠܐ ܡܟܬܠܐ ܚܒܝܒ ܢܗܡܪܐ ܒܟܠ
ܚܘܟܡܐ. ܕܡܟܝܐ ܕܪ̈ܘܚܐ ܕܝܠܝܗ ܕܟܠܡܐ ܟܠܡ̈ܐ ܚܬܐ.
ܒܚܒܚܟܝܐ ܡܟܡܬܪܬܐ ܠܟܗ. ܘܠܐ ܡܟܬܒܪܝܬܐ܀ ܗܘܠܝܢ ܦܠܢ.
ܗܘܝܐ ܐܡܪܘ ܒܚܒܝܒ. ܒܢ ܢܚܒ ܡܟܝܢ ܒܬܝܗ̈ܘܢ ܕܗܘܡܟܐ
ܡܟܪܡ ܡܟܢ ܬܒܟܠܬܐ ܕܗܘܟܪ̈ܢܐ ܕܝܚܝܢ. ܒܚܒܟܝܐ ܒܚܬ ܐܘ

Ante sæculum VIII tres floruere apud Syros viri hoc nomine præcipue insignes : Jacobus Nisibenus (+ 338), Jacobus Sarugensis (+ 521) et Jacobus Edessenus (+ 710). In B. O. I, p. 488, mentio fit *Jacobi Edesseni Commentariorum in hexaemeron ad Constantinum,* quo titulo indicari *Homilias* hic memoratas haud temere forsan affirmaveris. De illis porro dubitat Gul. Cave (ap. Assem., op et loc. citt.), utrum sint Jacobi Edesseni, an Nisibeni. At hunc nihil unquam scripsisse opinatur S. Assemanus (B. O. I, 19), opinionemque suam solidis fulcit argumentis; unde multi eidem sententiæ adstipulantur, inter quos P. Wenig in *Schola Syriaca,* p XXXIX. Perperam tamen ageret qui hinc statim et indubitanter inferret *Commentaria* Edesseno vindicanda. Illorum enim auctor hic vocatur ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܡܠܦܢܐ; et ex ejusdem Assemani testimonio (ibid., pp. 21 et 468) discimus cognomen ܡܠܦܢܐ, h. e. *Doctoris,* apud Syros Sarugensis proprium esse, Nisibenum autem *Magnum* , Edessenum *Commentatorem* seu *Interpretem librorum* frequenter appellari,

tradit in sexta *Homiliarum* quas *de Hexaemero* composuit. Ista scribit : « Mille anni tanquam dies una a Deo æstimantur; *mille enim anni ante oculos Domini una sunt dies*. Sex autem dies quibus prodierunt creaturæ anni sunt (1) mundi, qui sex annorum millia fortasse exstiturus sit, ita ut vertente annorum millenorum septima periodo desinat mundus, deficiat cursus rerum et, completo 6000 annorum curriculo, quies adveniat » — Paulo post pergit S. Doctor : « Die septimo quievit Dominus, indicans nonnisi 6000 annorum (2) cursum (3) mundo concessum iri. Die sexto absoluta est creatio omnium rerum, ut discat mundus tempore senario sese creatum esse et post periodum senariam finem sibi futurum (4). » — Paulo post iterum subdit : « Non indigebat quiete Dominus, qui nullatenus fatigatus erat; sed perspicua similitudine nos docuit finem futurum, mundi nempe rotam (5), simul ac sex annorum millia cucurrerit, cessaturam nec jam circumactum iri. »

Hæc igitur ita illi auctores exposuerunt et statuerunt, desumentes quisque similitudinem atque rationem ex

at *Sapientem* vel *Doctorem* nunquam. Si igitur viro doctissimo hac de re fides sit, dicendum *Sermones de sex diebus* ex Georgii sententia Jacobo Sarugensi adscribendos.

(1) Nemo non videt verbum *esse* hoc loco de *significando* pluries adhiberi.

(2) ܐܠܐ ܫܬܐ ad litteram : *Nisi sex*. Supple ex contextu : *Annorum millia*.

(3) Pro ܢܪܗܛܘܢ suspicor legendum esse ܕܢܪܗܛܘܢ, cum pendeat verbum istud ab antecedente ܡܙܒܢܐ .

(4) ܗܘܐ ܒܫܬܐ. ܘܒܫܬܐ ܡܫܬܠܡ. Ad litteram : Fuit (creatus) intra sex (dies) et intra sex (annorum millia) consummabitur.

(5) ܓܝܓܠܬܐ vox, a radice ܓܠ , *volvit* vel *volutus est*, (hebr גלגל) derivata, est *rota*, dein *currus*, tum *quidquid rotæ instar volvitur*, ut sphæra cœlestis.

ܒܐܪܥܐ ܐܘ ܐܦ ܒܬܪ̈ܥܝܬܗܘܢ . ܗܟܢܐ ܕܝܠܗ . ܘܐܦ ܡܫܬܟܚܢܐ
ܗܢܐ ܦܪܘܫܐ . ܐܡܪ ܓܝܪ ܒܬܫܡܫܬܐ ܗܘ ܕܥܠ ܚܘܒܐ :
ܐܡܟܢܐ ܕܐܦ ܐܣܬܟܝ ܒܒܝܬܗ . ܗܟܢܐ ܀ ܠܐ ܕܝܢ ܬܬܦܠܓܝ ܠܟܝ
ܣܓܝܐܝ . ܒܡܟܠܬܐ ܕܦܬܟܬ ܠܟܝ ، ܕܒܟܠܝܘܡ ܡܢܟܝܗ
ܗܒܒ ܠܗܘܢ ܠܐܘܪܚܬܐ . ܗܟܢܐ ܓܝܪ ܒܬܝܒ ܒܝܘܡܝܢ
ܒܡܬܡܪܟܬܐ ܕܢ̈ . ܕܟܠܗ ܗܢܝܢ ܒܟ̈ܬܒܘܗܝ ܕܡܪܝܐ . ܐܝܟ ܡܘܡܢܐ
ܕܐܬܡܠܟ ܕܟܢܝܢ . ܘܐܦ ܪܒܝܢ ܣܓܝܐܐ ܗܟܢܐ ܐܡܪܝܢ .
ܕܒܝܬܘܬ ܗܠܝܢ ܡܬܡܠܝܢ ܗܒܟ ܠܗ ܠܟܬܒܐ ܠܐܠܗܐ .
ܘܡܬܡܬܡܪ ܗܠܐ ܠܟܠܗܝܢ ܕܗ̈ܢܐ ܡܫܬܪܐ ܠܗ ܠܟܬܒܐ .
ܘܗܘܝܐ ܠܗ ܗܒܬܗ ܕܠܗܐ ܒܝܬܐ ܗܒܬܐ ܕܒܬܪ ܗܕܐ
ܡܬ̈ܡܝܢ ܀ ܐܝܠܐ ܕܝܢ ܒܝܘܡܐ ܒܝ ܦܠܚܝ ܐܝܠܐ ܠܦܪܘܩܝܢ ܘܠܗܘܢ
ܘܡܠܟܝ ܡܥܠ ܡܫܡܫܐ : ܕܐܡܪ ܠܗܘܢ ܠܬ̈ܠܡܝܕܘܗܝ ܒܝ
ܫܠܝܛܘ̈ܗܝ ܡܢ ܒܬܪ ܡܫܝܚܗ ܕܡܢ ܒܗܕ ܬܫܡܫܬܐ . ܕܠܐ
ܒܗܢܐ ܐܒܐ ܦܪܝܫܐ ܐܝܬ ܡܫܝܚܘܬܐ ܠܐܡܗܪܝܢܟ : ܕܠܐ ܗܕܐ ܕܡܫܝܚܝܢ
ܗܕܐ ܠܟܗܢܐ ܐܒܐ ܐܘ ܐܒ̈ܐ . ܐܝܟܢ ܕܐܒܐ ܚܢܢ ܐܢܝܢ
ܒܫܘܠܛܢܐ ܕܢܦܫܗ . ܐܡܪ ܐܢܐ ܐܝܟ ܗܕܡܘܢܐ . ܕܠܐ ܗܪ̈ܓܐ
ܗ̈ܢܝܢ ܕܡܢ ܫܘܪܝܗ ܕܟܠܗܝܢ ܘܥܕܡܐ ܠܚܪܬܐ . ܘܠܐ ܗܠܝܢ ܕܡܢ
ܗܫܐ ܘܥܕܡܐ ܠܫܘܠܛܢܗ ܕܟܠܗܝܢ . ܘܐܦܠܐ ܗ̇ܢܝܢ ܕܡܢ ܫܘܪܝܗ
ܘܥܕܡܐ ܠܫܘܠܛܢܗ ، ܐܝܬ ܡܢ ܒܬܪܗܘܢ ܒܙܒ̈ܢܐ ܕܝܗܒ ܐܘ
ܕܢܣܒ ܐܘ ܕܒܬܠܝܢ ܕܠܒܫ . ܘܐܡܟܢܐ ܕܐܡܪ ܗ̇ܘ ܕܐܬܐܡܪ ܙܒܢܐ .
ܘܐܦܠܐ ܡܠܐ̈ܟܐ ܐܝܟ ܡܠܟܐ ܕܡܫܬܒܩܝܢ ܠܗ : ܢܣܒܝܢ ܠܟܗܢܐ ܗܘ
ܕܫܘܠܛܢܗ ܕܟܠܗܝܢ . ܐܡܟܢܐ ܕܗܘ ܡܢܗ ܡܢ ܒܬܪ ܫܒܩ ܫܡܗ ܘܡܠܬܗ
ܘܫܘܠܛܢܗ ܕܡܢ ܒܗܕ ܬܫܡܫܬܐ ܐܡܪ ܠܒܢܝܗܘܢ ܕܬܠܡܝ̈ܕܘܗܝ .

iis (1) quæ vel in cœlo, vel in terra, vel etiam utrobique facta sunt.

Ejusmodi similitudine usus est et Sapiens Persa. Dicit enim in *Dissertatione de charitate*, quemadmodum ipsa Fraternitas tua scripsit : « Ne autem fastidias, amice mi, assertum quod tibi protuli, Deum per dimidiam partem unius dierum suorum ignovisse Hierosolymæ. Sic enim scripsit David in psalmo nonagesimo : *Mille anni ante oculos Domini tanquam dies hesterna quæ præteriit* (2). Sapientes quoque doctores nostri asserunt, mundum, sicut intra sex dies a Deo creatus fuit, ita, completis sex annorum millibus, dissolutum iri, futurumque Dei sabbatum illius sabbati instar quod sex dies creationis excepit. »

Ego vero, cum audiam Salvatorem, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, post suam a mortuis resurrectionem a discipulis interrogatum, utrum tempore hoc Israeli regnum esset restituturus, iisque respondentem : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (3) ; parvitatis meæ mihi conscius, ut idiota dico : Annos qui ab initio mundi hactenus effluxerint, vel annos deinceps ad finem usque mundi futuros, vel etiam annos ab ejus exordio usque ad finem intercedentes, nemo inter omnes homines est qui cognoverit, cognoscat aut cogniturus sit ; et, ut majus quid dicam, neque angelis notum esse puto tempus finis mundi, ipso Domino nostro ante passionem, mortem, suamque a mortuis resurrectionem dicente discipulis

(1) ܕܦܘܚܡܐ ܡܕܡ ܡܢ ܥܠܠܬܐ ܕܣܘܥܪܢܐ. Ad litteram : *Similitudinem aliquam ex causis rerum*. Quod mihi reddi posse visum est per quamdam hendiadyn : *Similitudinem atque rationem ex iis*...

(2) Ps. LXXXIX (in Hebr. XC), 4.

(3) Cfr. *Act. Apost.*, I, 7.

ܕܠܡܚܠܐ ܗܘ ܠܐ ܐܢܫ ܝܕܥ ܘܠܐ ܒܪܐ ܐܦܠܐ ܡܠܐܟܐ ܕܫܡܝܐ .
ܘܐܦ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܠܥܡܗ ܡܬܒܪܢܫܢܘܬܐ ܘܐܠܗܘܬܐ ܐܡܪ ܕܠܐ
ܝܕܥ ܒܗ ܝܕܥ . ܒܪܡ ܡܫܝܚܐ ܒܟܠܗ ܐܝܟ ܕܡܠܐܟܐ . ܠܐ
ܗܘܝܘܬܐ ܐܡܪܢܢ . ܐܠܐ ܒܪܢܫܘܬܐ ܘܡܬܒܪܢܘܬܐ ܐܡܬܝ ܕܟܠ
ܡܬܚܫܒܐ ܘܡܫܬܡܥ ܗܘ ܕܐܝܟܘ ܕܒܬܪ ܥܠܐ ܠܟܠܗܝܢ ܕܫܢܝܐ
ܐܘ ܒܬܪ ܐ̄ ܠܟܠܗܝܢ ܐܘ ܒܬܪ ܚܕܐ ܕܗܘ ܫܢܝܐ ܗܘܐ ܡܕܒܪܢܐ
ܠܟܠܗܝܢ ܗܢܐ . ܘܐܦ ܒܟܬܒܘܗܝ ܐܡܠܦܗ ܐܡܪ ܡܪܢ ܕܐܦ
ܗܘ ܒܪܐ ܐܡܪ . ܘܒܪܗ ܗܘ ܕܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ ܕܐܒܘܗܝ ܕܡܠܟܗ
ܐܠܝܢ . ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܗܘ ܕܒܟܠ ܒܨܐ ܐܦ ܠܥܘܡܩܐ ܕܐܠܗܐ
ܡܠܝܘܬ ܠܡܐܡܪ .

ܘܗܟܝܠ ܡܢ ܠܘܬ . ܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܐܡܪ ܡܬܥܒܕܢܐ ܗܘ
ܦܪܨܘܦܐ . ܕܟܠܗ ܗܠܝܢ ܠܟܠܗܝܢ ܕܫܢܝܐ ܡܬܝܕܥܐ ܘܡܫܝܚܐ ܠܟܠܡܐ
ܗܢܐ . ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܦܘܫܩܐ ܠܐܚܪܢܝܢ ܡܫܬܠܡܗ .

ܡܛܠ ܕܠܥܠܐ . ܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܐܡܪ ܠܘܬ ܗܘ ܡܬܥܒܕܢܐ
ܦܪܨܘܦܐ . ܕܒܝ ܡܬܚܙܝܢ ܒܬܝܬܐ ܡܬܠܡܕܢܐ ܪܘܚܐ ܠܥܠܡܝܐ
ܒܟܠ ܦܪܝܫܐ ܘܠܐ ܪܘܚܢܝܐ . ܡܫܝܚܐ ܕܝܢ ܗܘ ܐܚܪܢܐ ܕܒܝܬ
ܐܚܪܢܝܢ ܕܐܡܪ ܗܘ ܡܬܥܒܕܢܐ ܦܪܨܘܦܐ ܒܬܚܘܝܬܐ ܗܘ ܕܟܠ
ܒܟܠ ܫܡܝܐ . ܗܢܐ : ܒܡܫܘܠܛܐ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܡܬܝܠܕ
ܒܒܝܬܐ ܒܪܘܚܐ ܠܥܠܡܝܐ : ܘܠܐ ܗܘܐ ܡܫܬܠܛܐ ܐܝܬܝܗ : ܐܝܟ
ܐܡܪ ܕܗܢܐ ܐܝܟ ܠܟܠܗ ܚܕܐ : ܘܒܡܫܘܠܛܐ ܕܥܠܝܢ ܕܡܫܬܡܫܢܘܬܐ
ܡܫܬܡܠܝܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ . ܘܠܐ ܗܘܐ ܡܫܬܠܛܐ ܐܝܬܝܗ : ܒܝ

(1) Matt. XXIV, 36
(2) I Cor. II, 10
(3) Hac periphrasi, perspicuitatis gratia, redditam volui appellationem

suis (1) : *Horam illam nemo novit, neque Filius, neque angeli qui in cœlo sunt.* Quamvis enim de seipso œconomice atque improprie dixerit, sese ignorare quæ reapse noverat, de hominibus tamen et angelis, ut mihi videtur, non improprie, sed vere et proprie locutus est. Proinde solutio illius dubii, — utrum post sex, an post septem annorum millia, an post tempus aliud qualecumque mundi hujus finis futurus sit, — Patris solius est, ut et ipse Filius affirmavit, simul tamen Filii, cujus sunt omnia quæ habet Pater ejus, et Spiritus Sancti, qui, ut verbis Apostoli utar, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (2).

Et hactenus quidem de doctrina scriptoris illius Persæ, post sex annorum millia fore ut mundus hic destruatur atque deficiat, de qua doctrina Fraternitati tuæ dubitatio orta erat.

*Caput tertium.* — De doctrina quam etiam proposuit idem auctor Persa, morientibus nempe hominibus, spiritum animalem, sensu destitutum, medio in corpore sepeliri.

Venio nunc ad illud aliud assertum, a Fraternitate tua commemoratum, quod, in *Dissertatione de iis qui religionis votis sese obstringunt* (3), his verbis protulit auctor Persa : « Prima enim nativitate nascuntur homines præditi spiritu animali, qui immortalis est, dicente Scriptura : *Factus est homo in animam viventem* (4). Nativitate autem altera per Baptismum, accipiunt Spiritum Sanctum, qui et ipse immortalis est. Morientibus

ܥܒܕ ܡܥܡܕܐ ; de cujus pressiori sensu recole quæ supra dicta sunt, p. 12, n. 1.

(4) *Gen.* II, 7.

ܡܬܝܠܕܝܢ ܓܝܪ ܒܐܒܗ̈ܬܐ . ܡܬܬܩܢܐ ܠܗ ܪܘܚܐ ܢܦܫܢܝܬܐ
ܟܕ ܦܓܪܐ ܘܪܘܚܢܝܬܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܡܢܗ . ܘܪܘܚܐ ܡܡܠܠܢܝܬܐ
ܕܡܬܩܪܒܝܢ : ܐܠܐ ܠܗ ܠܦܓܪܗ ܠܘܬ ܡܫܝܚܐ : ܘܬܬܚܕܬܘܢ
ܗܠܝܢ ܡܫܝܚܐ ܐܘܕܥ ܠܢ : ܐܡܪ ܓܝܪ ܕܡܬܬܙܪܥ ܦܓܪܐ (1)
ܢܦܫܢܝܬ ܘܩܐܡ ܪܘܚܢܝܬ : ܘܪܘܚܐ ܠܘܩܒܠ ܠܘܬ ܡܫܝܚܐ
ܐܠܐ ܠܦܓܪܗ : ܘܐܡܪ ܠܘܩܒܠ ܡܫܝܚܐ : ܕܐܡܬܝ ܕܢܓܠܐ ܡܢ
ܦܓܪܐ ܠܘܬ ܡܪܢ ܢܗܘܐ : ܠܘܬ ܡܪܢ ܓܝܪ ܪܘܚܐ ܕܡܫܝܚܐ ܐܠܐ
ܗܘ ܕܡܬܩܪܒܝܢ ܪ̈ܘܚܐ : ܘܪܘܚܐ ܢܦܫܢܝܬܐ ܒܦܓܪܗ ܡܬܬܩܢܐ
ܟܕ ܦܓܪܐ . ܘܪܘܚܢܝܬܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܡܢܗ . ܐܝܟ ܠܗ ܠܚܝܘܬܐ
ܕܐܝܬܝ . ܕܠܗ ܡܢ ܗܠܝܢ ܡܬ̈ܒܥܢܐ ܒܫܡܝܐ ܘܕܡܬܒ̈ܥܢܘܬܐ
ܒܫܡ̈ܝܬܐ ܐܝܬ ܠܗܘܢ . ܠܡܬܠܟܘ ܐܘ ܠܡܫܡܫܘ ܠܦܓܪܐ ܗܘ
ܡܬ̈ܒܥܢܐ ܕܪܘܚܐ . ܐܝܟܢܐ ܕܡܢ ܗܪܟܐ ܬܬܚܫܚ ܒܡܫܡ̈ܫܝܢ
ܕܬܬܡܠܠ ܒܬܪܥܝܬܐ . ܠܡܬܦܪܥܘ ܒܐܝܬܘܬܐ ܘܠܡܬܒ̈ܥܘ ܚܝܠܐ
ܘܒܠܚܘܕ ܟ̈ܠܗ ܕܐܡܪܝܢ ܠܗ ܒܟܬܒܐ ܗܘ ܕܢܫܡ̈ܬܐ . ܘܐܦ
ܓܝܪ ܐܚܕ ܡܢܐ ܕܐܬܚܙܝ ܡܢ ܠܟܠ : ܐܠܗܐ ܚܙܝܐ ܒܟܠܐ
ܐܬܬܘܕܝ ܗܘܐ ܘܕܠܚܫܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܩ̈ܬܒܐ ܡܘܕܥܐ . ܒܪܡ
ܠܗ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܩܪ̈ܝܢ ܠܗܘܢ ܩ̈ܠܚܘܢܬܐ ܚܝ̈ܘܬܐ
ܘܩ̈ܠܚܘܢܐ ܚܝ̈ܘܬܐ ܐܬܚܘܝ ܗܘܐ . ܐܦܠܐ ܓܝܪ ܐܝܬ ܗܘܐ
ܒܪܒܢܗ ܒܐܬܪܐ ܗܘ . ܐܚܪܢܐ ܕܢܫܒܘܩ ܠܟܠܗ ܘܠܟܫܩ
ܚܘܫ̈ܒܐ ܘܩ̈ܠܐ ܕܡܠܗ ܠܒܘܠܗܘܢ . ܘܨܒܝܢܘܗܝ ܐܦ ܦܘܕܐ ܦ̈ܬܓܡܐ .
ܘܩ̈ܠܐ ܕܦܓܪܐ ܬܒܥܝܢ ܐܝܬ ܒܗ ܒܟܬܒܐ ܗܘ . ܠܗܘ ܘܗܘ ܕܢܦܩ

(1) Cf. I Cor. XV, 44. Minus autem accurate hæc prolata sunt. Habet quippe Vulgata, loc. cit : *Seminatur corpus animale*, *surget corpus spiritale* Ad amussim concinit textus Græcus, quem verbotenus expressit Peschittha : : ܡܙܕܪܥ ܦܓܪܐ ܢܦܫܢܝܐ : ܩܐܡ ܦܓܪܐ ܪܘܚܢܝܐ :

namque hominibus, medio in corpore sepelitur spiritus animalis et sensu privatur; at Spiritus cœlestis, quem receperunt, abit ad naturam suam ad Christum. Ambas autem has veritates nos docuit Apostolus. Dixit enim : *Sepelitur corpus animaliter et spiritualiter resurgit* (1). Spiritus (Sanctus) autem ad Christum revertitur, abiens ad naturam suam. Et ideo (2) etiam dixit Apostolus : *Quando e corpore exierimus, apud Dominum nostrum erimus* (3). Etenim ad Dominum nostrum abit Spiritus Christi, quem spirituales accipiunt; animalis vero spiritus in natura sua intra corpus sepelitur, sensuque privatur. »

Sapientiæ Fraternitatis tuæ consentaneum est æstimare, scriptorem illum Persam non ita inter auctores probatos, quorum opera sunt irreprehensibilia, comprehendendum esse et computandum, ut exinde cogitationibus tuis angaris et defatigetur mens tua ad assequendam atque intelligendam vim omnium verborum quæ in illo libro *Dissertationum* protulit. Quamvis enim, ut supra diximus, vir acris ingenii fuerit et Sacrarum Scripturarum cultor, non tamen ex illis est qui sententias firmas doctorum probatorum legerunt. Ad horum namque doctrinam animum attendere, eique cogitationes et sermones conformes reddere tempore suo et in illa regione non poterat; et ideo in isto libro etiam multi errores et locutiones valde obscuræ (4) occurrunt ei qui

(2) Persuadet contextus ut præfixæ ܘ vim non *copulativam* tantum, sed *exegeticam* tribuamus; enuntiat enim hæc propositio rationem antegressæ affirmationis.

(3) I Thess. IV, 16.

(4) ܚܨܝܦܐ vox participium est verbi ܚܨܦ, ܚܨܦ, quod sæpius quidem *densus, spissus fuit*, significat, quandoque vero et *duruit* valet. Hinc

ܘܡܬܥܩܠ ܡܠܐ ܦܢܝܐ ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܬܡܨܐ . ܘܡܠܘܗܝ ܕ̈ܡܠܐ
ܐܬܘܗܝ ܂ ܐܦ ܗܠܝܢ ܕܗܘܐ ܐܬܦܫܩܬ ܡܢܗܘܢ ܐܫܟܚ .
ܡܢ ܒܬܪ ܡܒܥܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܠܗܘܐ ܦܘܠܚܢܗ ܕܐܡܪ : ܕܡܬܕܪܫ
ܦܪܐ ܠܥܡܠܐ ܘܦܐܪܐ ܦܪܐ ܕܢܘܚܐ : ܘܠܐ ܐܕܪܟ ܠܥܡܠܗ
ܘܠܥܘܡܠܗ ܕܡܠܬܐ ܂ ܐܠܐ ܠܡܦܩܬ ܘܠܡܬܐܡܪ ܂ ܕܡܢ
ܡܬܠܝܢ ܒܥܒ̈ܕܐ ܡܬܬܥܝܪܐ ܠܗ ܢܘܚܐ ܠܥܡܠܬܐ ܡܢ
ܦܪܐ ܂ ܘܦܪܝܫܘܬܐ ܡܬܬܥܠܝܐ ܡܢܗ . ܘܢܘܚܐ ܡܫܬܡܠܝܢܘܬܐ
ܕܡܫܬܠܡܝܢ ܂ ܐܠܐ ܠܗ ܠܡܠܟܘܬܐ ܠܟܠ ܡܫܝܚܐ . ܘܕܐܬܝܢ
ܠܗ ܗܠܝܢ . ܡܫܝܚܐ ܐܘܕܝ ܠܢ . ܐܡܪ ܝܢ . ܕܡܬܬܥܝܪ
ܦܪܐ ܠܥܡܠܬܗ ܘܦܐܪܐ ܦܪܐ ܕܢܘܚܬܗ . ܡܢ ܗܘ ܕܡܬܬܥܝܪ
ܡܠܟ ܗܘ ܕܡܬܕܪܫ ܐܡܪ ܂ ܐܘ ܐܝܟ ܢܝܫܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܗܘܝܘܢ
ܠܟܠܗ ܂ ܐܘ ܕܗܘ ܡܢܐ ܕܥܢܐ ܕܡܫܠܡܘܬܗ ܠܟܬܒܐ ܠܟܬܒ
ܢܝܫܐ ܗܘ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ . ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܕܡܬܬܥܝܪ ܢܘܚܐ

putaverim ܡ̈ܠܐ ܥܒ̈ܝܢ esse *locutiones* vel densas seu *obscuras*, vel *duras*, h. e. *veritati minus apte cohærentes*. Utra tamen interpretatio præferenda sit definire non ausim; prudens lector ipse seligat.

(1) ܠܟܬܒ ܢܝܫܐ ܗܘ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ . Ut hujus incisi sensum acu teligerim nonnihil vereor. Quæ autem dubitandi momenta mentem subierint et cur hæc in alterutram demum partem potius propenderit, paucis accipe. Multiplex sane est nominis ܢܝܫܐ significatio; quippe quod notat : *signum*, it. *vexillum*; — *metam*, *scopum*; — *finem*, *consilium*, *propositum*; — denique *sensum*, *sententiam* (verborum), *argumentum* (libri). Porro putat Sassius (*Prolegg.* p. 21, n. 17), suffixum in extrema commatis vocula (ܠܗ) contentum a Wrightio (hoc loc.) poni in genere fœminino; et idem, propter eamdem rationem, dicendum foret de Lagardio (*Analect.* p. 118) : uterque enim editor prædictum verbulum pari modo exhibuit (ܠܗ̇ .) . Quod si talis reapse esset Georgii nostri textus, pronomen ad antegressum vocabulum ܠܟܬܒܐ, proinque non ad scriptorem Aphraatem, sed ad ejus orationem manifesto referretur; adeo ut valeret incisum : *Juxta argumentum quod erat ei* (h. e. *lectioni*, *orationi*). Tunc autem quæ proxime subsequuntur

considerat quid legat, illudque prout scriptum jacet intelligit. Ejusmodi sententiis annumeranda sunt verba quæ nunc Fraternitati tuæ dubitationis causa fuere. Etenim cum audisset Sapiens Persa divum Apostolum Paulum dicentem : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, vim ac sensum hujus effati non assecutus, inde adductus est ad hæc scribenda : « Quando moriuntur homines, spiritum animalem medio in corpore sepeliri, eique sensum adimi ; at Spiritum cœlestem, quem acceperant, abire ad naturam suam ad Christum ; porro utramque rem nobis ab Apostolo manifestatam esse, hunc enim dixisse : *Corpus animaliter sepelitur et spiritualiter resurget.* » Quamquam posuit auctor noster vocem *sepelitur* loco vocis *seminatur*, sive codicem secutus quem tunc præ manibus haberet, sive quod forsan voluerit ipse lectionem mutare juxta finem sibi propositum (1), ut nempe probaret spiritum animalem *sepeliri*

in versione Latina, consequenter prioribus aliquatenus immutanda essent. In hac igitur hypothesi locum præsentem ita reddi posse putaverim :... *forsan voluerit ipse lectionem mutare convenienter ad orationis argumentum, affirmando scilicet sepeliri spiritum animalem...* At nihil, mea quidem sententia, te cogit ut apud Wrightium et Lagardium admittas suffixum generis fœminini. Quid enim? Nonne existimare licet punctum illud, litteræ ܗ impositum (ܗ̇), non *diacriticum* esse, sed ad interpunctionis systema pertinere, ita ut cum puncto altero voculam excipiente conjungendum sit et ambo simul efforment illam distinctionis notam quam Syri ܥܠܝܐ, seu *superiorem*, nominant et ad apodoseos membra sejungenda plerumque adhibent? Quamobrem hanc supra expressimus. Exinde autem colligere potes cur libentius assentiamur cl. Sassio, dum monet non ܠܗ̇, in fœminino, sed ܠܗ, in masculino, legendum. Huic enim assertioni favent, præter animadversionem præmissam, tum communior usus vocis ܢܝܫܐ, quæ sæpissime *scopum* seu *finem, argumentum* vero nonnisi raro significat, tum tota orationis series, quæ sic melius sibi constare videtur, prout ex duabus interpretationibus quas proposui, inter se et cum textu primigenio collatis, facile apparet.

ܒܥܡܝܡܘܬܐ ܣܘܦ ܦܘܪܐ . ܣܘܦ ܕܠܗ ܥܘܦ ܚܫܡܐ ܗܘܬ ܠܗ̇
ܠܡܐܡܪ . ܕܡܬܕܪܕܐ ܙܘܥܐ ܠܥܡܝܡܘܬܐ ܣܘܦ ܦܘܪܐ . ܘܦܪܝܫܘܬܐ
ܡܬܝܕܥܢܐ ܡܟܝܠ . ܗܘ ܕܐܡܪܐ ܠܡܠܟܐ ܐܘ ܗܘܢܐ ܐܝܟ ܠܡܐܡܪܗ .
ܙܘܥܐ ܝܗܒ ܠܥܡܝܡܘܬܐ ܕܠܐ ܦܪܝܫܘܬܐ . ܘܠܐ ܣܡܝܟ ܡܢ ܡܟܝܠ ܡܢ
ܣܝܡܬܐ ܐܝܟ . ܐܠܐ ܐܢ ܣܟܠܘܬ ܣܘܪܟܐ ܡܩܝܡܐ ܘܐܬܟܠܐ
ܘܣܟܠܐ ܡܨܢ ܕܣܢܝܩܘܬܐ . ܗܘ ܡܡܠ ܕܡܬܢܣܝܐ ܘܡܬܡܟܢܐ
ܠܗܘܢ . ܗܟܢ ܡܢ ܡܬܝܕܥܢܘܬܐ ܘܡܬܬܐܡܪܢܘܬܐ ܕܡܢ
ܕܡܠܬܐ ܠܦܘܠܬܐ . ܡܢ ܝܗܒ ܐܡܬܐ ܕܐܡܪܝܢ ܣܝܡܟܐ . ܐܘܟܝܐ
ܡܬܦܠܝܐ ܠܝܘܡܟܐ ܘܟܠܐ ܝܘܡܟܐ . ܕܗܘ ܝܘܡܟܐ ܡܬܦܠܝܢ
ܠܡܬܝܡܐ ܘܟܠܐ ܡܬܝܡܐ . ܗܘ ܬܘܒ ܡܬܝܡܐ ܡܬܦܠܝܢ .
ܚܫܘܬܐ ܘܚܫܘܬ ܢܝܨܬܐ . ܘܡܠܝܨܬܐ . ܘܣܡܘܬܐ ܡܢܝܢ
ܐܡܠܡܢܗ . ܡܟܝܠ ܗܘ ܕܝܗܒ ܟܠܗ ܘܡܬܬܐܡܪܐ ܡܢ ܐܬܪܐ
ܠܐܬܪܐ . ܐܘ ܟܐܦܐ ܐܘ ܟܝܟܐ ܐܘ ܩܝܣܐ . ܚܫܘܬ ܢܝܨܬܐ
ܕܝܢ . ܐܣܩܘܢܐ ܘܣܟܘܪܐ ܐܝܟ ܕܟܘܢܝܐ . ܘܡܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ
ܕܡܢ ܡܡܠܟܝܢ ܟܝܢܐ ܕܗܘܬܐ ܘܠܐ ܡܬܠܝܢ ܡܟܝܠ ܒܝܨܝܢܗܘܢ .
ܒܚܝܢ ܡܡܠ ܘܡܬܝܕܥܝܢ ܐܝܟܘ ܕܡܬܠ ܦܘܨ ܘܝܗܒ ܟܠܗܘܢ .
ܘܐܬܐ ܟܠ ܐܡܠܡܢܗ ܕܝܗܒܝܢ ܟܠ ܗܘ ܕܡܬܝܕܥܝܢ . ܐܦ
ܗܘ ܕܢܥܦ ܡܟܝܠܗܘܢ . ܕܡܟܐ ܐܝܟܘ ܕܠܐܦܣܩܘܢ . ܢܝܨܬܐ ܕܝܢ
ܐܡܠܡܢܗ . ܗܘ ܕܡܢ ܡܨܡܟܐ ܘܢܝܨܬܐ ܘܡܬܡܟܐ ܟܝܢܐ ܕܗܘܬܐ .
ܐܝܟ ܟܠܗ ܠܥܡܐ ܡܬܠ ܕܠܐ ܦܪܝܫܘܬܐ . ܐܝܢܐ ܕܡܬܢܣܝܐ ܘܡܬܡܟܢܐ
ܟܠܗ ܟܠ ܐܪܟܐ ܘܩܕܡܐ ܘܡܢܝܨܘܬܐ ܕܣܪܘܢܐ . ܟܗܢܐ ܐܪܝܐ
ܕܠܥܡܐ ܕܢܝܨܬܐ . ܕܡܟܝܠ ܡܬܦܠܝܢܐ ܗܢܐ ܣܪܥܝܐ ܟܠܥܡܐ
ܕܣܪܠܥܐ . ܗܘ ܕܐܡܪ ܕܡܬܠܡܟܪܐ ܣܘܦ ܦܘܪܗ ܕܠܐ ܦܪܝܫܘܬܐ ܣܬܪ
ܕܡܟܐܬ . ܐܠܐ ܘܕܣܝܡܪܐ ܡܢ ܗܘ ܕܣܠܝܨܬܐ . ܡܟܝܠ ܐܟܠܗ

in medio corpore et sensu privari, quia ei haud multum conveniebat hæc assertio : In medio corpore spiritum animalem *seminari*. — Quonam autem sensu et acceptione prudenti dici illud potest ? Spiritus enim animalis, sensu carens, in nulla creatura existit, nisi tantum in seminibus, in herbis atque in arboribus, et in fœtibus forsan utero inclusis ; quod enim hæc alit et eis incrementum affert, caret sentiendi et sese a loco in locum movendi facultate. Nam cum, ut docent sapientes, substantia dividatur in corpoream et incorpoream, et prior dispertiatur in animatam et inanimatam, substantia animata ipsa ulterius dividitur in animal, zoophytum (1) et plantam. Et animal quidem est illud omne quod vivit et sese a loco in locum aut in aere, aut in terra, aut in aqua transfert. Zoophyta vero sunt spongiæ, conchylia pleraque et omnia illa quæ, dum uni loco affixa sunt nec ab eo voluntate sua recedunt, vivunt, et sentiunt, si quid ad ea accedat et ea tangat ; et ea vivere apparet tum ex eo quod sentiant, tum ex eo quod sanguis ex iis egrediatur si amputentur. Planta autem est id quod, fixum, plantatum et constitutum in uno loco, quamdam habet animam, sensu carentem, quæ illud alit et ad incrementum ducit una cum terra, aqua et sollicitudine Creatoris. Huic speciei animæ plantæ assimilavit auctor ille Persa animam humanam, quam dicit post mortem sensu privari et medio in corpore sepeliri. At viliorem etiam anima plantæ ostendit esse animam quæ medio in

(1) ܚܝܘܬ ܢܨܒܬܐ verbotenus est *animal plantæ*.

ܠܒܘܫܐ ܗܢܐ ܕܡܬܬܡܛܪܐ ܣܝܡ ܦܘܪܐ ܕܩܕܡ ܐܠܗܐ. ܢܦܫܐ ܓܝܪ ܝܚܝܪ ܗܢܐ ܕܒܠܝܒܘܬܐ. ܡܛܠ ܦܣܩܐ ܓܝܪ ܕܐܬܚܡܬܗ ܒܗ. ܦܓܪܐ ܘܠܬܪܥܐ. ܘܪܘܚܐ. ܘܐܝܟ ܗܘ ܕܚܫܐ ܡܬܚܫܚܐ ܠܟܠܢܐ. ܡܟܝܠ ܕܝܢ ܕܡܬܝܠܕܐ ܡܕܢܗ. ܡܥܒܕܐ ܘܡܫܡܫܐ ܘܡܬܚܫܚܢܐ. ܘܐܝܟ ܗܘ ܕܡܬܒܥܐ ܡܬܚܫܚܐ ܠܟܠܢܐ. ܢܦܫܐ ܕܝܢ ܗܢܐ ܕܐܡܪ ܡܬܚܫܒܢܐ ܗܢܐ ܦܪܫܐ. ܕܡܬܬܡܛܪܐ ܣܝܡ ܦܘܪܐ ܕܒܢܝܢܐ ܒܬܪ ܕܡܫܬܡܥ. ܘܐܦܠܐ ܠܟܠܬܐ ܡܘܬܪܬܐ ܡܫܬܡܫܢܐ ܡܬܚܫܚܐ ܢܗܘܐ ܠܗ. ܘܠܐ ܚܙܝܐ ܘܡܘܠܕܗܘܢ ܘܫܒܠܐ ܕܣܝܡ ܡܒܪܐ ✠ ܐܦ ܗܢܐ ܠܘܩܒܠ ܐܣܪܬܐ ܕܐܡܪ: ܕܪܘܚܐ ܕܡܘܕܥܐ ܗܢܐ ܕܡܬܚܫܒܢ ܒܢܝܢܐ ܡܢ ܠܒܪ: ܡܟܝܠ ܕܦܓܡܬܝܢ ܐܦܠܐ ܠܡܢܝܢܗ ܠܗܘܢ ܡܬܚܫܚܐ: ܗܘܝ ܕܠܗܘܢ ܡܢܢ ܪܘܚܐ ܕܡܬܚܫܚܐ ܐܦܠܐ: ܡܢ ܠܐ ܡܢܗ ܐܠܐ ܡܢܐ ܡܫܬܡܫܠ ܠܗ ܠܡܢܢ ܫܡܪ ܡܬܚܫܚܐ. ܕܡܬܚܫܚܢܘܬܐ ܘܠܐ ܡܬܚܫܚܢܘܬܐ ܡܘܪܝܬܐ ܐܬܚܡܬܗ. ܗܢܐ. ܐܦ ܗܠܝܢ ܐܣܬܝܡܬܐ ܕܒܬܪܗ ܕܗܘܐ ܐܡܪ. ܡܬܚܫܒ ܓܝܪ ܒܬܪ ܡܟܝܠ. ܡܢ ܕܢܬܒܪ ܓܝܪ ܪܘܚܗ ܕܠܗܘܢ ܡܬܚܫܚܢܘܬܐ. ܡܟܝܠ ܕܐܦܠܐ ܠܗܘܢ ܕܡܬܚܫܚܐ. ܗܢܐ ܐܡܪܐ ܠܗ. ܕܦܘܪܐ ܕܐܝܟ ܠܗܘܢ ܘܠܡܢܝܢ ܡܢ ܩܕܡܐ ܕܡܬܠܡܕܘܬܐ. ܡܬܚܫܚܢܘܬܐ ܠܒܪܢܫ. ܘܡܬܚܫܒܢܐ ܪܘܚܐ ܕܡܘܕܥܐ ܠܡܬܚܫܚܐ ܟܠ ܡܬܒܥܬܗ ܕܦܘܪܐ ܗܘ ܕܢܗܘܪܗ ܕܡܐܡܪ. ܘܒܟܠܐ ܗܝ ܪܘܚܐ. ܕܠܘܬ ܠܬܠܘܬܗ ܠܟܠܢܗ. ܕܢܩܘܡ ܗܘ ܦܘܪܐ ܒܬܚܫܚܬܐ. ܘܐܝܢܐ ܒܪܢܫܐ ܕܡܬܩܒܠ ܪܘܚܐ ܡܢ ܩܕܡܐ ܘܡܬܚܫܒ ܠܗ. ܢܦܫܐ ܠܗ ܡܕܢܗ ܒܝܠܐ ܢܦܩܘܢ. ܘܐܦܠܐ ܠܗ ܠܡܢܝܢܗ ܠܗܘܢ ܡܬܚܫܚܐ. ܘܡܥܠܐ ܠܗ ܒܟܠ ܗܘ ܒܪܢܫܐ

(1) Hæc verba ex antegressis supplenda sunt.

cadavere hominum sepelitur. Planta enim, quamdiu anima ipsi inest, mollis est ac recte conservata, læta efflorescit et viva oculis apparet; simul ac ab ea recedit anima, dura fit atque arida, corrumpitur et tanquam mortuam sese oculis exhibet. Anima vero illa, quam dicit auctor iste Persa post hominum mortem intra corpus sepeliri, hoc neque tres dies integros conservare valet a dissolutione, dissipatione et corruptione in medio sepulchro vigente.

In eumdem errorum censum referenda (1) etiam illa alia assertio, Spiritum Sanctum, quem cum Baptismo recipiunt homines, simul atque hi moriuntur, abire ad naturam suam ad Christum; item hæc sententia, ad Dominum nostrum Spiritum Christi proficisci. Quamquam nescio ego quid intelligat nomine Domini nostri diversum a Christo, qua in re hebetudo quædam et ignorantia crassa (2) deprehenduntur.

Idem dicendum etiam de iis quæ subdidit, paulo post scribens : « Spiritus enim Dei si ab aliquo servetur in puritate, quando abit ad Christum, sic eum alloquitur : Corpus ad quod veni, quodque ex aquis Baptismi indui, in justitia me servavit. Et excitat Spiritus Sanctus Christum ad suscitationem corporis quod se pure custodivit, postulatque idem Spiritus novam sui cum illo conjunctionem, in eum finem ut corpus in gloria resurgat. Ex illo autem homine qui Spiritum ex aqua acceptum vexat egreditur Spiritus ante mortem ejus, et abit ad naturam suam ad Christum, apud quem hominem qui se vexavit accusat. Porro adveniente consummatio-

(2) ܥܒܝܘܬܐ ܘܠܐ ܡܬܚܟܡܘܬܐ ܩܘܪܝܝܬܐ. Ad litteram hæc ita redderentur : *Crassedo et inscitia rustica.*

ܕܐܡܝܢ ܠܗ . ܘܗܟܢܐ ܕܗܘܐ ܐܝܟܢܐ ܕܡܫܝܚܐ ܡܪܐ : ܘܒܪܘܚ ܐܝܟܢܐ
ܘܡܫܡܫܬܐ . ܡܫܡܫܢܐ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܬܓܠܝܬ ܒܩܘܕܫܬܐ ܚܝܠܐ
ܪܒܐ ܡܢ ܫܡܝܐ . ܘܐܝܟܢܐ ܒܝܕܥܬܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܟܠ
ܥܕܬܐ ܕܫܡܗ ܩܕܝܫܐ : ܐܝܟ ܕܡܫܪܝܢ ܥܠܝܗ ܐܠܗܐ ܕܐܬܓܠܝ ܠܗ
ܒܩܘܕܫܬܐ . ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܟܠܗܝܢ ܕܒܪܝܬܐ . ܘܗܟܢܐ ܕܦܠܚܘ ܠܡܠܐ
ܥܕܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܡܢ ܫܡܝܐ . ܗܝܡܢ ܡܪܢܐ ܦܪܝܫܐ ܘܡܫܡܫܢܐ
ܡܫܡܫܝܢ . ܘܡܦܠܚܐ ܪܘܚܐ ܕܡܫܡܫܢܐ ܠܟܠܗܝܢ . ܘܡܫܪܒܪܒܐܝܬ
ܦܬܓܡܐ ܡܠܐ . ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܗܘܢ ܠܥܝܪܐ . ܘܡܫܡܫܢ ܕܐܬܝܗܒ
ܒܗܘܢ ܀ ܘܒܬܪ ܡܠܟܐ ܀ ܘܡܢ ܗܘܐ ܪܘܚܐ ܚܟܝܡܐ ܕܦܠܚܘ
ܢܫܐ . ܘܗܘܝܐ ܐܦ ܚܢܢ . ܠܐ ܗܘܐ ܒܡܫܝܚܐ ܚܝܝܢ ܠܟܠ
ܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܐܠܐ ܒܝܕܥ ܐܪܐ ܠܟܠ ܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܘܒܝܕܥ .
ܐܝܟ ܠܟܠ ܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܡܫܡܫ ܠܟܠܗܘܢ ܕܐܡܪ ܡܪܢ ، ܕܠܐ
ܬܫܬܘܢ ܠܚܕ ܡܢ ܗܠܝܢ ܙܥܘܪܐ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܒܝ ܀
ܕܡܠܐܟܝܗܘܢ ܒܫܡܝܐ ܒܟܠܙܒܢ ܚܙܝܢ ܦܪܨܘܦܗ ܕܐܒܝ . ܗܘ
ܗܘܐ ܪܘܚܐ ܠܐ ܒܟܠܙܒܢ ܘܒܫܡܝܐ ܡܢ ܠܥܠ ܘܚܙܝܐ ܦܪܨܘܦܗ ܀
ܘܡܢ ܕܡܠܘܟ ܠܡܫܝܚܐ ܕܢܦܩ ܒܗ ، ܡܠܐ ܠܟܠܗܘܢ ܡܢ
ܠܥܠ ܀ ܚܙܐ ܐܠܗܐ ܐܦ ܐܢܫ ܠܡܕܘܪܬܐ ܕܦܠܐ ، ܘܕܐܝܠܝܢ ܐܝܬܝܢ
ܦܠܚܝܢ ܠܗ ܠܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ، ܘܕܐܝܠܝܢ ܐܫܬܠܛ ܠܡܠܐܟܘܬܗܘܢ
ܕܡܫܡܫܢܐ . ܗܠܝܢ ܕܐܡܪ ܡܪܢ ܕܒܫܡܝܐ ܚܙܝܢ ܦܪܨܘܦܗ
ܕܐܒܘܗܝ ، ܗܘ ܗܘܐ ܠܪܘܚܬܐ ܐܢܫܝܢ ، ܐܦ ܒܟܠܗܝܢ ܕܐܝܬܝܗ
ܠܗ ܠܐܒ ܡܫܡܫܢܐ ܕܪܘܚܘܬܐ ܗܝ ܕܫܡܗ ܩܕܝܫܬܐ ، ܐܝܟܢܐ
ܕܡܛܠ ܐܪܥܘܬܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܫܡܝܐ ܠܡܫܡܫܘ ܐܝܟ ܗܘܝܐ ܀
ܠܗܠܝܢ ܕܡܢ ܢܦܫܢ ܐܝܟ ܪܘܚܐ ܐܡܪ ܗܘ ܕܡܠܐܦܢܐ

(1) Matt. XVIII, 10.

nis finalis tempore atque imminente hora resurrectionis, accipiens Spiritus Sanctus qui in puritate custoditus fuerit vim magnam ex natura sua, in conspectum Christi veniet, et stabit juxta portas cœmeterii ubi sepulti sunt qui se in puritate servaverunt, cornu sonitum exspectans. Ubi vero angeli portas cœli ante regem aperuerint, tunc cornu vocem emittet, buccinæ clangorem edent, et, sonitu audito, Spiritus, qui exspectabat, sepulcra festinanter aperiet et corpora atque id quod in iis sepultum est suscitabit. »

Et paulo post : « Hic Spiritus, quem prophetæ receperunt nosque pariter recepimus, non continuo tempore, amice mi, apud eos invenitur quibus datus est; at nunc ad eum a quo missus est abit, nunc vero ad eos venit qui ipsum acceperunt. Audi quæ dixit Dominus noster : *Ne contemnatis unum ex his pusillis qui in me credunt, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei* (1). Hic igitur Spiritus sese omni tempore ad Deum confert, coram eo stat, faciem ipsius contemplatur et apud eum conqueritur de illo qui templo a se inhabitato nocumentum affert. »

Vides, frater dilecte, quantam ignorantiam prodant illa verba, quemnam honorem Spiritui Sancto tribuant, quid intellexerit auctor per illos fidelium angelos, quos testatus est Dominus noster faciem Patris sui semper videre. Hæc eadem sententia illis etiam proponitur quæ circa finem *Dissertationis de resurrectione mortuorum* occurrunt; quæ propter sermonis prolixitatem hic exscribere non ausim.

Illis relictis, quæ mens, ut dici solet, nullo negotio (2)

(2) *Nullo negotio.* Duo hæc vocabula addidi in translatione claritatis

ܡܫܡܫܝܢ ܣܠܩ ، ܠܗܘܢ ܗܟܝܠ ܐܣܬܪܛܝܘܬܐ ܕܐܟܘܪܣܩ ܐܣܡܟܘ
ܕܐܡܪ ܗܘ ܦܣܩܢܐ ܠܐܬܐ ÷ ܐܡܪ ܗܫܟܠ ܨܠܘܬܐ ܗܝ ܕܟܠ
ܝܘܡܬܐ ، ܕܝܠܗ ܠܗܘܢ . ܫܪܟܐ ܠܡܠܬ ܬ̈ܠܬ ܡ̈ܠܝܢ ܠܡܫܬܘܗܝ
ܕܐܦܪܗܡ . ܘܕܦܐܪܘܙ ܕܩܠܝܡܐ ܐܡܬܘܗܝ ܗܘܐ ، ܘܕܠܡܬܝܢ ܡܛܠ
ܐܬܡܨܪ ܀ ܐܦ ܚܡܫ ܠܘܩ ܐܡܪ ܕܝܢܐ ، ܫܪܟܐ ܠܡܠܬ ܢ̄ܩ
ܡ̈ܠܝܢ ܠܡܫܬܘܗܝ ܕܡܠܡܘܢ ܀ ܕ̈ܐ ܡܟܝܡ ܐܘ ܙܢܫܐ ܡܘܠܟܢܐ ،
ܕܐܝܟ ܡܡܠܠܢܘܬܐ ܕܡ̈ܠܐ ܕܡܬܘܕܝܐ ܠܟܠ ܗܢܐ ܡܡܬܠܢܐ
ܡܛܠܗܘܢ ܣܘܬܢܝܘܗܝ : ܘܠܗ ܐܝܟ ܦܘܣܩܢܐ ܕ̈ܐ ܐܘ ܐܝܟ
ܡܡܠܠܢܘܬܐ ܕܡܫܬܝܐ ، ܐܡܬܐ ܕܐܦ ܐܠܐ ܡܦܪܫܬ ܡܬܦܫܛ .
ܐܠܐ ܕܝܢ ܠܡܡܠܠܢܘܬܐ ܗܝ ܕܐܝܟ ܦܘܣܩܢܐ ܕ̈ܐ ܦܣܩ ܡܠܬܗ
ܦܠܓܐ : ܘܡܬܦܪܫܐ ܒܡܠܬܐ ܕܩܠܝܐ ܕܪܫܡ ܐܣܛܘܟܐ ، ܡܟܝܠ
ܕܗܘ ܗܢܘܢ ܡܬܩܛܠܐ ܣܓܝܐܐ ܕܚܪܝܢܐ ܡܬܩܪ ܡܢ ܗܟܝܠ
ܐܣܬܪܛܘܬܐ . ܟܕ ܐܝܟ ܐܠܐ ܡܢ ܐܝܟ ܘܫܪܟܐ ܠܛܘܦܣܐ ،
ܡ̈ܠܝܐ ܕܪ̈ܡܟܬܒ . ܘܡܢ ܛܘܦܣܐ ܘܫܪܟܐ ܠܐܦܪܗܡ ، ܡ̈ܠܝܐ
ܙܡ̈ܝܪ ܀ ܘܡܢ ܐܝܟ ܫܪܟܐ ܠܐܦܪܗܡ . ܡ̈ܠܝܐ ܢܩܦܬܗ ܀
ܘܡܢ ܐܦܪܗܡ ܫܪܟܐ ܠܡܫܡܫܬܐ ܕܐܡܣܪܐܝܠ ܕܡܢ ܡܕܒܪ
ܡ̈ܠܝܐ ܢܦܩܘ ܀ ܘܡܢ ܡܫܡܫܬܐ ܫܪܟܐ ܠܡܘܙܐ ܨܠܝܢܐ ܕܗܝܡܢܐ ،
ܡ̈ܠܝܐ ܠܟ ، ܐܡܝܢܐ ܕܡܬܡܨ ܨܢܥܐ ܡ̈ܠܟܐ ܀ ܘܡܢ ܗܘܙ
ܨܠܝܢܐ ܕܗܝܡܢܐ ܘܫܪܟܐ ܠܡܫܝܚܘ ܘܡܢ ܠܥܘܡܠܝܘܢ ، ܡ̈ܠܝܐ ܠܟ̈ܡܐ ܀
ܘܡܢ ܡܫܝܚܐ ܕܗܝܡܢܐ ܘܫܪܟܐ ܠܡܘܙ ܡ̈ܠܝܐ ܕܡܠܝ̈ܐ ، ܡ̈ܠܝܐ

ergo. Cæterum ipsius locutionis ܕܡܢ ܢܦܫܗ ܐܠܝܐ ܪܘܡܐ sensum, deficiente mihi exemplo aliove discendi adminiculo, fere conjiciens expressi. Errorem, si adsit, ignaro condonabunt doctiores, corrigentque quod peccatum fuerit; nam et illud quod subditur : ܐܝܟ ܗܝ ܕܡܬܐܡܪܐ indicat dictionem usu tritam.

apprehendit, ad alia, quæ ab eodem auctore prolata commemoravit Fraternitas tua, veniamus.

Tradit itaque, in *Dissertatione de acino*, vixisse Noachum usque ad annum 58um vitæ Abrahami, in Ur Chaldæorum fuisse, ibiqne mortuum esse et sepultum; item testatur Semum usque ad annum 52um vitæ Jacobi vixisse. Scias igitur, o tu qui doctrinam diligis, auctorem istum juxta traditionem librorum Judæorum (1), non autem juxta interpretationem LXX neque juxta Samaritanorum traditionem, suas omnes computationes instituisse, prout et ipse prius scripsisti. Tu vero sententiæ quæ translationi LXX Interpretum conformis est adhæreas, eique præbeas assensum, præsertim in computandis annis Patriarchæ (2), quoniam auctores illi certius quam alii de veritate testimonium præbent. Admittas ergo ab Adamo ad diluvium usque annos 2242, — a diluvio usque ad Abrahamum, annos 943, — ab Adamo usque ad Abrahamum, annos 3185, — ab Abrahamo usque ad exitum Israelis ex Egypto, annos 515, — ab exitu illo usque ad initium ædificationis templi, annos 480, ut scriptum est in libro regum, — ab exordio ædificationis templi donec istud a Nabuchodonosore incenderetur, annos 441, — ab incendio templi usque ad initium æræ Græcorum, annos 280. Omnes autem anni ab Adamo

(1) I. e. *textus Bibliorum Massorethici*

(2) ܪܫ ܐܒܗ̈ܬܐ verbotenus est *caput* seu *princeps patrum*, et hoc nomine generatim designatur *patriarcha* quivis. Hic autem κατ' ἐξοχὴν de *Abrahamo* usurpatur appellatio; quippe qui primus a Deo vocatus et in *patrem* gentis electæ assumptus fuit. Unde Judæi sese vocari Abrahami filios semper in deliciis habuerunt, genusque ab eo ductum magis quam aliam quamcumque originem sibi gloriæ tribuebant. Quod sexcentis N. T. locis comprobatur. Ita, v. g., Matt. III, 9 : *Ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham ;* — Joan. VIII, 33 : *Semen Abrahæ*

ܪ̈ܒܢ ܀ ܗܟܢܐ ܕܝܢ ܡܢ ܐܝܟ ܥܒܪܐ ܠܥܒܘܪ ܥܒܪ̈ܝܐ ܕܝܗܘܕ̈ܝܐ ، ܗܘ̈ܝܢ
ܡܠ̈ܬܐ ܕܪ̈ܐ ܀ ܘܡܢ ܐܝܟ ܘܥܒܪܐ ܠܗܘܕܐ ܡܛܠ ܐܚ̈ܘܗܝ ܕܝܗܘܕ̈ܝܐ .
ܗܘ̈ܝܢ ܡܠ̈ܬܐ ܝܗܘ̈ܕܝܐ . ܟܕ ܫܒܩܢ ܡܢ ܗ̄ ܠܫ̈ܢܝܢ ، ܡܠ̈ܬܐ
ܟܗ̈ܢ ܀ ܡܠܟܝܙܕܩ ܕܝܢ ܗܘ ܕܐܬܟܠܬ ܐܣܛܪܘ ܐܡܝܢܐ ܕܐܒܐ ܗܘܐ
ܠܡܬܒܥܘ ܕܠܐ ܦܘܠܓ ܦܬܓܡܐ : ܕܡܠܟܝܙܕܩ ܡܟܝܠ ܠܐ ܐܪܟܐ ܢܘܚ
ܠܗܘܢ ܕܡܩܒܠܘ ܕܠܐ ܢܫܬܘܢ ܠܥܠܡܐ ܕܡܐܡܠܠ ܗܘ ܟܕ
ܐܪܦܟܫܕ : ܘܫܡܫ ܠܗܘܢ ܠܥܠܡܝܢ ܕܟܗܢܘ ܕܠܐ ܢܥܒܕܘܢ
ܠܒܬܪܝܐ . ܡܫܡܫܢܝܢ ܠܗ ܡܟܝܠܬܐ . ܕܡܠܟܝܙܕܩ ܚܘܪܬܐ
ܘܡܠܟܘܬܐ ܟܗܢܐ ܗܘ ܕܡܢܗ ܠܗܘܢ ܠܟܗܢܐ ܕܟܗܢ̈ܐ .
ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ ܢܘܚ ܫܡܐ ܐܘ ܢܘܚܐ ܡܚܝܕܘܢ ܟܗܢܐ . ܗܘ
ܕܡܠܟܝܙܕܩ . ܘܠܐ ܟܗܢܘܢ ܩ̄ ܡܠ̈ܬܐ ܕܝܗܘܕ ܒܕܘܟܬܐ . ܟܕ
ܫܪܝܢ ܗܘܘ ܠܟܠܗܘܢ ܕܢܩܪܒ ܘܢܦܫ ܐܝܟܐ ܘܟܗܢ ܡܐܦܘܬܐ ܐܝܟ
ܕܟܗܘܢܐ : ܐܬܬܢܘ ܘܬܒܘ ܡܢ ܒܝܬ̈ܗܘܢ ܗܢܘܢ ܕܡܩܒܠܐ
ܗܘ : ܐܠܐ ܐܦܟܝܢ ܗܘܘ ܘܫܡܝܢ ܘܢܦܩܝܢ ܒܢܝܐ ܘܡܬܩܒܠܝܢ
ܠܟܗܢܐ . ܟܕ ܡܝܬܐ ܕܐܬܐ ܓܘܒܝܐ ܘܐܦܟܝܢ ܠܟܠܗܘܢ ܐܝܟ ܡܟܠܬܗ
ܕܡܢܝ . ܘܐܦ ܠܐ ܬܘܒ ܡܢ ܒܬܪ ܓܘܒܝܐ . ܐܘ ܗܢ ܐܘ ܗܘ ܡܐܡܠܠ
ܗܘ ܕܐܡܝܢܐ ܕܡܟܐܠܦܢܐ ܗܘܐ ܫܪܝܪܐ ܪܒܐ ܘܪܫܡܢܐ ܘܡܠܟܝܙܕܩ ܗܘܐ
ܐܬܠܟܗ . ܐܘ ܡܟܗܢ ܗܢܘܢ ܕܡܩܒܠܐ ܕܢܘܚ ܘܕܫܡܫ . ܐܬܬܦܫܘ
ܠܡܬܒܥܘܬܗ ܡܢ ܒܝܬܗܘܢ ܐܘ ܐܪܐ ܘܐܬܬܪܟܘ ܡܢܗܘܢ ܀
ܟܕ ܓܒ ܐܡܬ ܕܐܡܪܝܢ . ܕܒܥܘܬܗ ܫܪܘܝܢ ܫܪܝܗ ܒܢ̈ܝܢܐ

*sumus, et nemini servivimus unquam;* — ibid., v. 39 : *Pater noster Abraham est;* — ibid., v. 53 : *Numquid tu major es patre nostro Abraham?* — Ideo (*Act.* XIII, 26) Apostolus, ut Judæorum animos sibi conciliaret, sic eos alloquebatur : *Viri fratres, filii generis Abraham.*

(1) ܐܪܦܟܫܕ. In versione Syriaca ita semper vocatur qui in textu Hebraico et in Vulgata *Arphaxad* audit. — Cainan autem, de quo hic

usque ad initium æræ Græcorum sunt 4901; et ab Adamo usque ad annum hunc 1025 Græcorum sunt anni 5926, ita ut ad sex annorum millia 74 anni desiderentur.

Quæsivit insuper Fraternitas tua, quare non monuerit Noachus coætaneos suos ne simulacrum Cainanis, filii Arphaxar (1), venerarentur; quare Semus etiam homines generationis suæ ab idolis colendis non deterruerit. Quod igitur attinet ad illud quæsitum, ut neque hoc absque responso relinquatur, paucis ei respondemus, ita illos egisse propter libertatem et arbitrium quod Deus generationi illi, sicut et generi humano, concessit, et per quod homo, prout vult, vel peccat, vel justificatur. Ex hac libertate factum erat, ut neque intra 100 annos qui diluvium præcessere, homines, quamvis Noachum cedros dissecantem coagmentantemque, et arcam, qua salvaretur, conficientem viderent, pœnitentia moverentur et a vitiis ætatis illius resipiscerent; at, teste Domino nostro, *erant comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, donec venit diluvium et perdidit omnes* (2). Similiter post diluvium neque Cainan ille, quem ferunt incantatorem famosum ac iniquum fuisse et propterea deificatum, neque omnes coætanei Noachi et Semi, si (3) ab his admoniti essent, eo fuissent adducti ut a peccatis cessarent.

Quamquam haud spernendum sit quod traditur, Sa-

Georgius, idolum erat Chaldæorum, ut narrat S. Ephræmus (*Opp.* tom. I, pp. 156 et 157). Quod addit Georgius, fictum illud numen Arphaxaris filium fuisse, ex versione LXX Interpretum, *Genes*. XI, 12, utique desumpserit.

(2) Matt. XXIV, 38.

(3) ... ܘ ܐܪܐ ܠ, *etiamsi*. Hæc est ipsa dictio Græca : εἰ ἄρα καί.

ܠܡܙܕܕܩܘ ܙ̈ܕܝܩܐ ܘܠܡܫܬܒܩܘ ܠܚܛܝ̈ܐ . ܘܐܦ ܗܕܐ ܚܘܫܒܐ . ܠܐ
ܡܟܝܠ ܐܝܬܘܗ ܠܦܪܨܐ ܗܘ . ܠܐ ܢܦܫ . ܘܐܦܠܐ ܚܕ ܡܢܗ .
ܕܐܝܬ ܐܝܟܢ . ܗܘ̈ܝܢ ܡܢ ܡܢ ܛܘܒܐ ܘܡܝܬܐ ܠܥܙܘܠ : ܡܝܬܐ
ܗܘ ܕܝܢ ܕܐܝܬ ܥܘܡܐ ܗܘ ܕܝܠܗ : ܥܡ ܡܬܬܠܟܡܢ ܐܦ ܚ̈ܠܦܐ
ܗܠܝܢ ܟܠ ܕܐܢܫܐ . ܚܠ̈ܦܐ ܥܒܕ ܚܕܐ ܕܝܢ ܢܦܫ ܡܢ
ܒܬܪ ܛܘܒܐ . ܚܠ̈ܦܐ ܚܠܐ . ܥܡ ܚܛܗ̈ܝ ܡܢ ܥܒܕ . ܚܠ̈ܦܐ
ܠܡܟܝܢ . ܚܕ ܕܝܢ ܚܕܐ ܡܢ ܒܬܪ ܛܘܒܐ . ܚܠ̈ܦܐ ܟ̈ܠ ܥܡ
ܥܡܝܢ ܡܢ ܥܒܕ ܕܡܝܬܐ ܠܥܙܘܠ . ܚܠ̈ܦܐ ܠܥܒܕ .
ܗܠܝܢ ܡܢ ܡܠܘܢ ܕܥܘܠܝܢ ܠܝ ܡܥܠܬܐ . ܠܗܠ
ܐܠܝܢ ܕܢܬܠܒܒ ܠܗܘܢ ܢܣܒܬ ܠܟܠܗ ܕܝܠܝ . ܡܠܝܠܐ ܣܘܥܪܢܐ
ܕܡܠܟܐ ܦܪܨܘܦܐ ܘܡܠܝܠܐ ܡ̈ܠܐ ܡܟܝܠ ܕܐܡܪܬ ܠܗ ܒܬܪܟܢ ◆

rugis diebus cœpisse homines simulacra facere et idola venerari. Hoc si verum sit, consequens est, Noachum ejusque filium Semum tempus illud non attigisse; quod sic conficitur : a diluvio ad Sarugem usque (sequendo, ut patet, versionem LXX Interpretum), si comprehendas et 130 Cainanis annos, sunt anni 794; vixit autem Noachus post diluvium annos 330, qui numerus 444 annis a 794 abest (1); Semus vero vixit post diluvium annos 500, qui annis 494 distant a 794 annis usque ad Sarugem elapsis.

Et hæc quidem omnia, quæ tribus istis capitibus continentur, dicenda erant de iis quæ a nobis quæsivit Fraternitas tua, Dei amantissima, circa Sapientem suum Persam et circa assertiones quasdam, quas in suo ille protulit libro.

(1) Exempla habes oscitantiæ librariorum in numeris describendis, si notis numeralibus uti velint. Evidens est enim vitiosum esse Cod. Msc. et hic (ubi pro ܫܠ, 330, lege ܫܢ, 350), et in iis quæ statim sequuntur. Sane Noachum inde a diluvio per annos quinquaginta supra trecentos superstitem fuisse unanimiter testantur textus Hebraicus, versio Septuagintaviralis et Vulgata.

# DE VITA ET SCRIPTIS

## APHRAATIS SAPIENTIS PERSÆ.

---

Georgium, Arabum Episcopum, de vita et scriptis Sapientis Persæ *præcipua quædam capita* (1) agitantem hucusque audivimus. Jam quo certiorem atque uberiorem rei nostræ cognitionem, qualis a nobis jure merito requiritur, acquiramus promamusque, ea necesse est fusius persequi et diligentiori examine expendere quæ supra allata sunt, simulque alia de eodem argumento undecumque collecta vel inserere, vel annectere; ut dubia ab indubiis discernentes, quæ minus solida videantur seponentes, quæ probanda sunt novis, si suppetant, argumentis confirmantes, quæ desunt supplentes pro viribus, nihil omittamus eorum quæ ad finem nostrum obtinendum, ad Aphraatis scilicet notitiam ingerendam et divulgandam conducere possunt.

Porro ut suus cuique rei locus tribuatur, et, omnibus apto digestis ordine, lectoris mens in iisdem intelligendis et dijudicandis minori gravetur labore, imo, si fieri

(1) Vide sup., pag. 11.

queat, non sine quantulacumque voluptate, vel certe utilitate, occupetur, ipso opusculi titulo suadente, haud ineptum fore opinor in tres partes istud dispertire, quarum prima agatur de Aphraatis vita, altera de ejus scriptis disseratur, tertia vero, quæ appendicis instar sese habebit, exhibeantur nonnulla auctoris nostri, excerpta, in Latinum sermonem conversa (1), ex quibus quæ sit ejus doctrina, quis scribendi modus, quodnam denique eorum quæ in superiore parte exposita fuerint fundamentum, plenius cognoscere cuique liceat.

(1) Talia autem ex industria seligemus, quæ nonnisi syriace exstant nec a quoquam adhuc in aliam linguam translata fuere.

# PARS PRIMA.

## De vita Sapientis Persæ.

---

Auctoris de quo disserere in animo habemus textum primigenium nuper publici juris primus fecit vir clarissimus Gulielmus Wrightius, sub titulo : *The homilies of Aphraates the Persian Sage*... (1). Librum hunc, ex quo argumenta interna non pauca, uti fieri solet, depromemus, genuinum esse illius cui tribuitur fœtum ut certum hic assumimus, veritatis diu negatæ, vel potius ignoratæ, nunc vero extra dubium omne et controversiam positæ, momenta gravissima in altera *Dissertationis* parte allaturi atque libraturi.

Paucissima sunt quæ de auctoris hujus vitæ ratione et vicissitudinibus ad nos pervenerint, cum ex veteribus Syriæ scriptoribus vix ullus de illo fecerit mentionem. Quæ res etsi, spectatis operis prædicti antiquitate atque præstantia, mira forsan alicui videri potest, aliquatenus tamen explicatur ex eo quod jam inde a sæculo VI, ut postea fusius exponetur, *Homiliarum* textus Syriacus

(1) Edited from Syriac manuscripts of the fifth and sixth centuries, in the British Museum, by W. Wright, Ph. D., LL. D., honorary fellow of Queen's Coll., Cambridge, etc., etc. Vol. I. The Syriac text. London, 1869.

vix notus fuerit (1) et pleræque, Armeniaca civitate donatæ, communi errore S. Jacobo Nisibeno, Ephræmi magistro, fuerint attributæ. Unde nulla fuit diuturno tempore ratio inquirendi vel narrandi multa de Aphraate nostro, cujus nihil ferme nisi nomen ad posteros pervenerat. Quoniam autem opera duorum virorum de litteris Syriacis optime meritorum, P. Lagardii scilicet, qui *Epistolam* Georgii, Episcopi Arabum, huc spectantem (2), et præsertim Gul. Wrightii, qui auctoris nostri textum edidit in vulgus, sua tandem Aphraati jura et honores restituta sunt, ea in unum quasi conspectum colligamus quæ sive in ipsius scriptis, sive alibi, de vita et fatis ejus passim occurrunt.

## CAPUT PRIMUM.

### DE VARIIS AUCTORIS NOSTRI NOMINIBUS.

#### ARTICULUS I.

*Eumdem esse Sapientem Persam qui Aphraates.*

Primum itaque documentum ad nos usque transmissum in quo de Aphraate sermo sit, *Epistola* ea est cujus partem supra habes, et quam Georgius anno æræ vulgaris 714 scripsit, ut satisfaceret presbytero cuidam, nomine Jesu seu Josue, varia interroganti de historia, operibus, doctrina *Sapientis Persæ;* ita enim Georgius scriptorem de quo agit ubique designat. Sed jam nec

(1) Imo nec superiori tempore alicubi apparent textus Syriaci vestigia, nisi in Isaaci Antiocheni, qui sæc. V vixit, carminibus. De his aliqua tangemus, ubi historia litteraria *Homiliarum* concinnanda erit.
(2) Videsis *Analecta Syriaca*, p. 108 seqq.

nomen, nec dignitatem ecclesiasticam hujus viri pro certo affirmare se posse confitetur, et quonam in loco vitam degerit dubius hæsitat (1). Eumdem porro esse tum apud Episcopum Arabum, tum apud alios auctores *Sapientem Persam* cum Aphraate, huicque appellationem illam usu factam esse propriam constat scriptorum posteriorum testimoniis, quæ hic referre juvat, ordine temporum servato.

Litterator Nestorianus Barbahlul, qui sæculo X *Lexicon Syriacum* concinnavit, hæc ad rem nostram pertinentia habet : ܐܦܪܗܛ ܒܟܬܒܐ ܕܦܪܕܝܣܐ ܗܘܝܘ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܐܝܟ ܕܡܫܠܡܢܘܬܐ . « Aphraates, in libro *Paradisi* memoratus, ipse est Sapiens Persa secundum traditionem. »

Elias Barsinæus, Sobæ sive Nisibis paulo ante sæculum XI medium Metropolita Nestorianus, idem testatur, dum suæ *Chronographiæ* caput inserit cui titulus : ܫܢܝܐ ܕܒܝܬ ܐܕܡ ܐܝܟ ܚܫܒܢܐ ܕܐܦܪܗܛ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ . « Anni domus Adami juxta sententiam Aphraatis, Sapientis Persæ (2). »

Eamdem veritatem auctoritate sua fulcit scriptor sæculi XIII, omnis generis eruditione clarus nec ulli inter Syros, si doctrinæ copiam et varietatem spectes, secundus, videlicet Greg. Barhebræus, qui a. 1286 obiit, cum tanquam Maphrianus Orientis primam post patriarchalem inter Jacobitas sedem annos 22 tenuisset. In *Chronico ecclesiastico* mentionem haud semel ingerit doctus Maphrianus Aphraatis, quem ipse Pharhâdem, ܦܪܗܕ, ubique nuncupat. Op. cit. sect. I, col. 83 seqq., hæc

(1) Cfr. sup., p. 10.
(2) Ap. Wright., *op. cit.* p. 38.

legimus : ܒܬܪ ܐܘܦܪܘܢܝܘܣ ܦܝܠܩܠܠܝܣ . ܐܪܝܢܐ ܫܢܝ̈ܢ
ܐܪܒܥ . ܐܝܠ ܗܘܘ ܕܝܢ ܡ̈ܠܦܢܐ ܡܫܬܒܚܢܐ ܗܢܘܢ ܐܢܫܐ .
ܐܬܢܣܝܘܣ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ . ܘܐܘܣܒܝܘܣ ܚܡܨܝܐ . ܘܐܦܪܝܡ
ܢܨܝܒܢܝܐ ܒܐܘܪܗܝ ... ܐܬܝܕܥ ܕܝܢ ܐܦ ܚܟܝܡܐ ܒܘܙܝܛܝܣ .
ܘܐܦ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܬܪܝܨ ܫܘܒܚܐ ܘܥܒܕ ܟܬܒܐ
ܕܬܘܚܡܬܐ . « Post Euphronium, Philacillus (1), Arianus, annis quatuor (sedem Antiochensem tenuit). Erant autem ea ætate doctores probatissimi : Athanasius Alexandrinus, Eusebius Hemesinus, Ephræm Nisibenus, Edessæ. . Innotuit pariter sapiens Buzitis, itemque Sapiens Persa, orthodoxus ille auctor libri *Dissertationum* (2). » Quis autem Sapientis Persæ nomine veniat et quænam vulgaverit scripta, Barhebræus ibidem, sect. II, col. 33 seqq., distinctius declarat : ܘܟܬܒܘܗܝ ܕܗܢܐ ܡܟܝܠ ܗܘܐ

(1) Euphronium, qui biennio, an. scilicet 338-340 vel 340-342, ecclesiæ Antiochenæ præfuerat, excepit Philacillus, qui usque ad a. 344 vel 346 superstes fuit.

(2) Postremam hanc sententiam cl. Wrightius, *op. cit.*, præf. p. 3, sic affert : ܐܬܝܕܥ ܕܝܢ ܐܦ ܚܟܝܡܐ ܒܘܙܝܛܝܣ ܘܐܦ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܬܪܝܨ ܫܘܒܚܐ ܘܥܒܕ ܟܬܒܐ ܕܬܘܚܡܬܐ . « Innotuit etiam sapiens Buzitis, sapiens Persa, qui est orthodoxus et scripsit librum *Dissertationum*. » Dein hanc subjicit animadversionem : « It does not require much reflection to perceive that Buzitis is an error (perhaps of some early scribe) for ܦܪܗܛܝܣ [I] . » Auctori igitur qui Buzitis hic nuncupatur *Dissertationes* tribuit. Perperam. Nititur enim ista conjectura falsæ lectioni, cujus vitium vir eruditus suspicari non potuit, cum ita legatur in Cod. Londinensi, quem unum præ manibus habebat. Propositionem, a se, sect. I col. 85, eodem modo exhibitam, *Chronici ecclesiastici* editores, postea ex Codd. Mss. Cantabrigiensi et Oxoniensi melius edocti, in eum sensum correxere, quem nos supra secuti sumus (Cfr. sect. I, coll. 866, 922 et 923). Mendo sublato, vides Buzitim ex Barhebræi sententia alium a Sapiente Persa esse, nec utrique commune aliquid adscribi, nisi sapientis cognomen.

ܒܝܘ̈ܡܘܗܝ ܦܪܣܝܐ ܕܫܡܗ ܦܪܗܐܕ. ܘܐܝܬ ܠܗ ܟܬܒܐ ܕܡܪܬܝܢܘܬܐ
ܣܘܪܝܐܝܬ. ܘܥܣܪܝܢ ܘܬܪ̈ܬܝܢ ܐܓܪ̈ܢ ܐܝܟ ܐܬ̈ܘܬܐ ܕܐܠܦ ܒܝܬ.

« Hujus (Papæ, Episcopi Seleuciæ), tempore innotuit Sapiens Persa, nomine Pharhâd, cujus exstant *Liber parœneticus* syriace et *Epistolæ* viginti duæ, juxta litteras alphabeti digestæ. »

Auctoribus hucusque adductis de Sapientis Persæ nomine et scriptis consentit in suo *Catalogo scriptorum Syrorum* Ebed-Jesu Sobensis, Nisibis et Armeniæ sæculo XIV ineunte Metropolita (1) : ܐܦܪܗܛ ܚܟܝܡ ܦܪ̈ܣܝܐ.

(1) Ebed-Jesu hic nominatus secta Nestorianus fuit et a. 1318 obiit. Præter *Catalogum*, scripsit *Collectionem canonum*, *Margaritam* seu *Expositionem fidei*, *Eden* seu *Collectionem carminum*, aliaque opera, de quibus vide Assemanum, B. O., t. III part. I, p. 325 seqq. Sedulo autem distinguendus est ab auctore cognomine, Ebed-Jesu seu Abdjesu, de quo agitur *op. cit.* t. I, p. 536 seqq. Hic, ex monacho cœnobii SS. Achæ et Joannis primum Gozartæ Metropolita consecratus, dein in Patriarcham a Chaldæis orthodoxis a. 1555 electus, Romam petiit, et emissa a. 1562 fidei professione, a Pio IV confirmatus est, annoque sequenti ultimæ concilii Tridentini sessioni interfuit. Scripsit quatuor carmina, tria de Sulaka, a quo Episcopus ordinatus fuerat, unum de Pio IV. — Cfr. Barhebr. *Chronici additamentum*, sect. II, col. 571 et 572, ubi pro anno 1572, quem typotheta mendose posuit, legendus an. 1562. — Nec putet prudens lector, sine causa vel utilitate atramentum et operam perdere me, dum duos viros fide, gradu ecclesiastico, sedibus quas occupaverunt, scriptis quæ ediderunt, ætate denique qua unusquisque vixit, adeo distantes, distinguendos moneo. Quamvis enim tot tantaque sint discrimina, quamvis alter 240 circiter annis altero sit antiquior, plures, nec ignoti nominis, scriptores Sobensem Ebed-Jesu unum eumdemque esse cum Abdjesu, Chaldæorum Patriarcha, existimaverunt. Ita Abraham Ecchellensis, in præfatione ad *Catalogum scriptorum Syrorum*, Naironus in *Evoplia fidei catholicæ*, pp. 116 et 117, Renaudotius, *De perpetuitate fidei*, t. V, p. 656. Hæc admirabilia; sed prodigii simile est quod dicam. Stupendam illam hallucinationem virga censoria notavit Assemanus in *Biblioth. orient.* tom. I (p. 538), qui Romæ a. 1719 typis mandatus est. Nec tamen impedire potuit quin Antonellus, vir haud mediocris utique eruditionis, qui et ipse Romæ, nondum ab Assemanianæ *Bibliothecæ* editione annis quadraginta elapsis, scripsit,

ܗܘ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ . ܥܒܕ ܗܘܐ ܬܪ̈ܬܝܢ ܦܢܩܝ̈ܬܐ . ܥܡ ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܟܠܗ ܐܠܦ ܒܝܬ . « Beatissimus Aphraates, Sapiens ille Persa, duos composuit tomos cum *Sermonibus* ordine alphabeti digestis. »

## ARTICULUS II.

*Utrum et cur Aphraati Jacobi nomen fuerit.*

Ex testimoniis recitatis abunde constat, alium non esse Sapientem Persam ab Aphraate. Porro in libris manuscriptis operum suorum vetustissimis necnon apud varios auctores antiquos, etiam vocatur ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ, Mar Jacobus. Ut unicum proferam exemplum, ad calcem Cod. Ms. B (1) hanc librarii annotationem reperimus : ܫܠܡ ܠܡܟܬܒ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܐܓܪ̈ܬܐ ܟܠܗܝܢ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ . ܕܗܘܝܢ ܒܡܢܝܢܐ ܥܣܪ̈ܝܢ ܘܬܪ̈ܬܝܢ ܟܠ ܐܠܦ ܒܝܬ ܘܚܕܐ ܕܥܠ ܛܘܛܝܬܐ ✤ ܫܘܒܚܐ ܠܐܒܐ ܘܫ. « Absoluta est descriptio in libro hoc *Epistolarum* omnium *Mar Jacobi*, *Sapientis Persæ*, quæ sunt numero duæ et viginti alphabeti ordine dispositæ, unaque *de acino*. Gloria Patri etc. »

Nec necesse videtur errorem in ejusmodi locis suspicari, quasi mirum sit duobus nominibus eumdem hominem designari et ex confusione Aphraatis nostri

in præfatione ad *Opera S. Jacobi Nisibeni*, eumdem denuo cuderet errorem, qui exinde fere communis evasit. Videsis, v. g., Feller, *Dictionnaire historique*, item Paquot, in notulis quas *Temporum notioni* a Danes conscriptæ adjecit.

(1) De tribus *Epistolarum* Aphraatis Codd. Mss., quos, præeunte Wrightio, litteris A, B, *B*, designavimus, cfr. part. II cap. I, art. 2.

cum Jacobo Nisibeno hoc sit repetendum. Ut enim demus, illa ipsa ætate qua exaratus est codex B, anno scilicet 512, jam potuisse ita obscurari duorum virorum insignium, qui in priori parte sæculi IV floruerant, memoriam, ut alter ab altero non distingueretur, nullum illius confusionis indicium deprehenditur in monumentis quæ *Epistolarum* auctorem Jacobi vocabulo designant; imo contrarium ex iisdem haud obscure colligitur, siquidem idem ille scriptor eodem orationis tenore dicitur et *Sapiens Persa*, nunquam autem S. Jacobus Nisibenus ita nominatus est (1). Quod si quis objiciat, vel eodem tempore, vel suppari, Aphraatis scripta apud Armenos Episcopo Nisibeno fuisse perperam attributa, reponimus nihil inde contra nostram sententiam sequi : tali namque errori, ut patet, ex ipsa nominum similitudine locum fuisse, etiam apud eos homines qui apprime scirent alium esse *Jacobum Nisibenum*, alium *Jacobum Sapientem Persam*.

Cæterum utriusque appellationis originem et mutuam habitudinem sufficienter explicari putamus ex nota marginali quam Wrightius in *Catalogo Codd. Mss. Musei Britannici* (2) publici juris fecit : ܚܟܝܡܐ ܐܦܪܗܛ ܗܘ ܝܥܩܘܒ ܐܦܣܩܘܦܐ ܕܡܪܝ ܡܬܝ. « Sapiens Aphraates est Jacobus, Episcopus (monasterii) Mar Matthæi. » Hinc enim haud temere conjicere possumus eum qui proprio et profano nomine dicebatur Aphraates, postea, cum ad episcopatum proveheretur, nomen illud, ex more apud

(1) Jam supra, pp. 34 et 35, docuit Assemanus ipsum *sapientis* cognomen apud Syros ita *Jacobi Sarugensis* proprium esse, ut *Nisibeno* nunquam tribuatur.

(2) *Catalogue of Syriac manuscripts in the British Museum*, by W. Wright (Lond., 1871), II, p. 401, col. 2.

Syros et alias gentes orientales vigente, permutasse vel cum nomine ecclesiastico Jacobi conjunxisse; nisi quis malit opinari hoc vocabulum ipsi inditum quando Christianismo per Baptismum initiatus est, quæ tamen hypothesis, ut sapienter advertit cl. Wrightius, vix aliquam probabilitatem sibi vindicat : tunc enim prius nomen inter Christianos oblivioni traditum aut certe omnino neglectum fuisset.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE TEMPORE ET LOCO NATIVITATIS ET VITÆ APHRAATIS.

#### ARTICULUS I.

#### *Quando floruerit Aphraates.*

Ubinam et quo anno natus sit Sapiens Persa, utrum ex parentibus christianis, an gentilibus fuerit progenitus, nullibi, quantum scimus, memoriæ proditum est (1).

Tempus tamen quo vixerit, scriptaque vulgaverit, cum Barhebræus assignat, illum perhibens æqualem fuisse Papæ, Episcopo Seleuciæ, Philacillo, Patriarchæ Antiocheno, Athanasio Magno, Eusebio Hemesino, Ephræmo Nisibeno, tum ipse auctor in nonnullis *Homiliarum* locis accuratius indicat. Circa finem *Dissertationis de morte et temporibus ultimis*, *Sermonibus* viginti duobus quos, ordinem alphabeti secutus, composuerat, singillatim recensitis, hæc subjungit (2) : « Hos *Sermones* vi-

(1) Georgius gentium jam profitebatur sese hæc et similia vel nescire, vel nonnisi conjectura assequi posse. Recole quæ sup., pag. 10, habentur.

(2) Edit. Wright. p. ܣܠ .

ginti duos scripsi juxta viginti duo litterarum signa. Priores decem anno sexcentesimo quadragesimo octavo regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, exaravi, prout a fine eorum scriptum est; duodecim vero subsequentes composui anno sexcentesimo quinquagesimo quinto regni Græcorum et Romanorum, id est, regni Alexandri, anno autem trigesimo quinto regis Persarum. » Item *Dissertationi de acino* expressam subjicit anni, imo et mensis scriptionis annotationem (1) : « *Epistolam* hanc, ait, ad te scribebam, amice mi, mense Augusto (Ab) (2) anni sexcentesimi quinquagesimi sexti regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, anno autem trigesimo sexto Saporis, regis Persarum. »

Vides, ut rem paucis contrahamus, Aphraatem *Dissertationes* suas amico dedisse annis Græcorum 648, 655 et 656; quos, si annis æræ Dionysianæ exprimere velis, decem priores *Homiliæ* ad annum 336-337, duodecim quæ sequuntur ad annum 343-344, ultima denique ad annum 345 referenda erit. Cum autem eo tempore quo scripta sua exaravit auctor, jam vir esset, ut videtur, corroboratæ ætatis, jure merito inde collegeris eum circa annum 280 (3), vel non multo post, et certe ante initium sæculi IV in lucem editum esse. Nam et summam præ se fert Sacrarum Litterarum scientiam, quam altera operis nostri parte fusius exponemus; et auctoritate non

(1) Ed. Wright., p. ܬܡܐ .

(2) Syrorum menses, lunares cum sint, nominibus apud nos vulgo usurpatis, adamussim exprimi nequeunt. Brevitatis tamen causa, invaluit usus ut singuli singulis mensibus solaribus quibus maxima ex parte respondent æquipararentur. Ex hac norma mensis ܐܒ , *qui a neomenia Augusti incipit*, Augustus latine appellari consuevit.

(3) Ita Sassius, *Proleg. in Aphraatis sermones homilet.*, p. 7.

mediocri apud coætaneos eum valuisse exinde apparet, quod hi ab eo postularent solutionem quæstionum in re sacra tam theologica quam exegetica difficiliorum, ipse vero, in solemni Præsulum atque presbyterorum consessu, *Epistolam* de rebus agitatis ac definitis omnium nomine ad clerum et fideles scribere juberetur, et alias magna cum fiducia, data occasione, Episcopos etiam ad diligentem muneris sui adimpletionem adhortari non dubitaret. Quarum quidem assertionum cum longior expositio partim reservanda videatur in eum locum ubi speciatim agemus de auctoris nostri munere et dignitate (1), non possumus tamen quin, mentione injecta illorum qui plurimi facerent ejus in disciplinis sacris auctoritatem atque sententiam, hic commemoremus *Epistolam* quæ ad ipsum interrogationis causa missa est et *Dissertationum* quas etiamnum habemus scribendarum prima fuit occasio. Quoniam vero in Mss. Codd. Syriacis *Epistolæ* initium deletum est, id ex translatione Antonelli (2) mutuamur, reliquam partem ex editione Wrightiana (3) in Latinum vertendo sermonem. Quænam igitur fuerint interrogationis verba et tenor ex utroque fonte simul collato accipe.

« Misi ad te, carissime, quæstiones aliquas, de quibus te consulere mihi necesse fuit. Tu audire me ne renuas. Multa enim sunt, quæ mecum animo reputans, inde motus sum ut ad te scriberem (4); et tu aperias mihi

(1) Part. I cap. III.

(2) *Opera S. Jacobi Episcopi Nisibeni;* Romæ, 1756. *Epistolam* de qua nobis sermo est, quamque Gregorio Illuminatori erronee adscripsit translator, exhibent pagg. 1 et 2.

(3) *The homilies of Aphraates*, pag. ? .

(4) Hucusque Antonellus. Quæ vero sequuntur ad textum Syriacum expressa sunt.

sententias mentis tuæ, et scientia quam ex Sacris Scripturis hausisti me erudias, ut quod mihi deest a te suppleatur, esuries mea ex doctrina tua satietur ac sitis ex aquarum tuarum fonte restinguatur. Plurima quidem menti insunt de quibus te interrogatum velim; sed universa præparata sunt apud me et reposita, ut, postquam ad te venero, ea me edoceas.

Verum ante omnia illa de quibus mihi necessaria est inquisitio, opto ut ad me scribas institutionem de fide nostra, quomodo nempe se habeat, quodnam sit ejus fundamentum, quodnam ædificium in quod illa assurgit, quibus insit hominibus, qualis ejus consummatio atque perfectio (1), quænam opera ad hanc perfectionem requirat. Equidem hoc tantum firmiter credo : unum esse Deum, qui in principio cœlum et terram creavit, qui mundum disposuit ornavitque, qui hominem fecit ad imaginem suam, qui Abelis oblationes suscepit, Henochum, utpote sibi acceptum, transtulit, Noachum, eo quod justus esset, protexit; qui Abrahamum elegit propter fidem ejus et cum Moyse, ob hujus mansuetudinem, sermonem habuit; qui etiam per omnes prophetas locutus est et denique Christum suum in mundum misit.

Hæc igitur, frater, ita esse credo. Quare ad me, rogo te, scribas, meque edocendo quænam opera hæc nostra fides requirat, animum meum facias tranquillum (2). »

(1) Ut videre est loc. cit., vocabula non pauca, quæ in Codd. Mss. erasa sunt vel mutila apparent, pro eâ qua pollet eruditione et peritia optime restituit Wrightius. Hic tamen spatium vacuum reliquit in hunc modum : ܘܐܝܟܢܐ . . . . ܗ̇ ܘܫܘܡܠܠܗ̇ Conjecerim ego supplendam vocem nomini ܫܘܡܠܠܐ fere synonymam, puta ܫܘܟܠܠܐ aut ܫܘܟܠܠܬܐ; ideoque hæc latine posui : *Qualis ejus consummatio atque perfectio.*

(2) Alias etiam Sapientem Persam ab eodem de diversis disciplinæ

Neque vero a Christianis tantum propter scientiæ et eruditionis famam in pretio habebatur Sapiens Persa, sed infidelibus etiam spectandus erat, quorum vana commenta tum viva voce, tum scriptis acriter, non minus quam scite, insectabatur. Inter ejus *Dissertationes*, quæ sunt tres supra viginti, undecim ex scopo polemico contra Judæos compositæ sunt, ut vel solas inscriptiones legenti plerumque patet; quas hic enumeramus : *De circumcisione*, — *De paschate*, — *De sabbato*, — *De distinctione ciborum*, — *De gentilibus, qui sunt loco populi Israelitarum*, — *De Christo, Dei Filio*, — *Contra Judæos, de virginitate et sanctitate*. — *Contra Judæos dicentes fore ut denuo congregentur*, — *De sustentatione pauperum*, — *De persecutione*, — *De morte et temporibus ultimis*. Auctor ipse, initio *Dissertationis de persecutione*, enarrat disputationem a se cum viro quodam Judæo habitam, quæ huic *Homiliæ* conscribendæ locum dedit (1).

Hæc, nisi fallor, satis sunt ut constet Aphraatem nostrum, tempore quo *Dissertationes* scriberet, ac proin inde saltem ab anno 336, doctrina clarum atque in magna apud coævos existimatione fuisse; quas cum homines, uti satis notum est, non soleant in ætate prima consequi, haud inepte inferimus illum ante sæculi IV initium in lucem editum esse.

Istam temporis quo Sapiens Persa floruerit determinationem ideo magni faciendam ducimus, quia ex ea consequitur illum antiquissimum esse omnium ecclesiæ

sacræ capitibus interrogatum fuisse, facile sibi persuadebit quisquis *Epistolam* hanc attente legerit, eamque cum indiciis in Aphraatis *Homiliis* passim occurrentibus contulerit. Vide, v. g, pag. ܨܡܚ, lin. 4 et 5; p. ܙ, lin. 9 seqq.; p. ܬܣܗ, l. 1 seqq.; p. ܬܡܗ. ll. 18 et 19.

(1) Cfr etiam p. ܐܠܗ, l. 3 seqq.

Syriacæ Patrum quorum opera ad nos pervenerint; unde primo statim intuitu patet quanto in pretio habenda sint ejus scripta, quod attinet ad cognitionem doctrinæ et disciplinæ quæ inde fere ab initio inter Christianos Syriæ receptæ fuerint. Veritati autem historicæ consonam esse illam de Aphraatis vetustate conclusionem facili negotio conficitur.

Non est cur de iis auctoribus mentionem hic ingeramus, qui Sacram Scripturam utriusque fœderis jam tempore Adæi Apostoli syriace vertisse dicuntur (1), cum nullum sui ingenii fœtum isti ediderint. Nec in computationem venit Bardesanes, poeta sæculo II volvente in Mesopotamia famosus et primus scriptorum Syrorum quorum ætas certo definiri possit : præterquam enim quod, Gnosticorum errores amplexus, eos carminibus suis effutivit ac proinde omni prorsus auctoritate carere dicendus est, nullum operum ipsius fragmentum in textu primigenio superesse videtur. Misso itaque Bardesane, in Aramæorum historia litteraria ante omnes alios nobis occurrunt (2) S. Simeon Barsaboe, Seleuciæ et Ctesiphontis Episcopus, et S. Milleses, Susæ Antistes, qui fidem ambo sanguine obsignarunt in persecutione Saporis; sed cum prior *Epistolas*, *Epistolas* alter et *Sermones* composuisse ab Ebed-Jesu (3) perhibeatur, præter Simeonis *Hymnum* ab Overbeck anno 1865 editum (4), omnia eorum scripta aut injuria temporum periere, aut nemini innotuere adhuc. Eadem

(1) Cfr. Abbeloos, *De vita et scriptis S. Jacobi Sarugensis*, p. 7 seqq.
(2) Videsis B. O. I, pp. 1-24.
(3) In *Catalogo scriptorum Syrorum*.
(4) *S. Ephræmi Syri, Rabulæ, Episcopi Edesseni, Balæi aliorumque opera selecta;* Oxonii, 1865. Cfr. pag. 424.

fere tempestate, id est, paulo post initium sæculi III, vixerunt Jabachues Chaldæus, cujus *Epistola*, olim, si fides sit Sobensi, cognita, nunc deperdita est, et Isaias Adabi Arzunita, qui *Martyrum acta* concinnavit; verum hæc, pauculis comprehensa paginis (1), nullum caput doctrinæ attingunt, atque adeo, ubi hæc imprimis præ oculis versatur, vix digna sunt quorum ulla habeatur ratio. S. Jacobum Nisibenum, quem serie chronologica quintum ponit Assemanus, nihil scripto reliquisse hactenus vulgatum consentiunt omnes; tractatus enim quos plurimi critici, præeunte Gennadio, ei adscripserunt ipsas esse genuinas Aphraatis nostri *Homilias* in altera hujusce opusculi parte demonstrabimus. Denique *Doctrina*, quam dicunt, seu *Prædicatio Adæi Apostoli* (2) videtur quidem jam ineunte sæculo IV extitisse; at perexiguæ molis libellus pluribus insuper locis mutilus ad nos transmissus est, verusque ipsius auctor ignoratur. Cum igitur nemo alius inter ecclesiæ Syriacæ Patres Sapiente Persa antiquior vel ei æqualis assignari queat, sequitur hujus operibus nullum monumentum authenticum præstare, spectata vetustate et propriori ad apostolicam ætatem accessu.

(1) Ea exhibet Steph. Ev. Assemanus in *Actis martt. orientt. et occidentt.*, pp. 213-224. Inscriptio hæc est : ܢܨܚܢܐ ܕܣܗ̈ܕܐ ܩܕ̈ܝܫܐ ܕܙܒܝܢܐ ܘܠܥܙܪ ܘܡܪܘܬܐ ܘܢܪܣܝ ܘܐܠܝܐ ܘܡܗܪܝ ܘܚܒܝܒ ܘܣܒܐ ܘܒܪܝܟܝܫܘܥ ܘܝܘܢܢ ܘܣܡܒܝܬܐ ܒܝܘ̈ܡܝ ܫܒܘܪ ܡܠܟܐ ܦܪ̈ܣܝܐ. « Res præclare gestæ sanctorum martyrum Zebinæ, Lazari, Maruthæ, Narsetis, Eliæ, Maharis, Habibi, Sabæ, Brichiesu, Jonæ et Sembaitæ, in diebus Saporis, Persarum regis. »

(2) Cfr. Wrightius, *Catalogue of the Syriac manuscripts in the British Museum*, III, pp. 1083 et 1242.

## ARTICULUS II.

### *De Aphraatis patria et habitationis loco.*

Porro Aphraatem patria et genere Persam fuisse, vel saltem ex Syria orientali, Persarum ditioni subjecta, oriundum, multa sunt quæ suadeant. Non solum enim jam in antiquissimis operum suorum codicibus manuscriptis vel nude, vel alia adjuncta designatione, *Sapiens Persa* vocatur, verum etiam nomen illud *Aphraates* seu *Pharhâd*, et tunc et posteriori tempore apud Persas passim occurrens (1), ex Persica lingua suam ducit originem atque significationem, eadem videlicet lingua *præpositum*, *præfectum*, *ducem* denotans.

Sicut autem tempus et locum nativitatis Sapientis Persæ neque accurate, neque omnimoda certitudine definire possumus, ita ubi terrarum adoleverit, totumque vitæ tempus transegerit, nullo testimonio auctoris æqualis vel recentioris ita traditum nobis est, ut omni remota obscuritate aut dubitatione quæstio illa solvi queat. Quare cum id unum velut a priori constet, scriptorem nostrum Mesopotamiam aut aliquam ex regionibus quibus sermo Syriacus usitatus erat incoluisse, reliquum est ut locum in quo degerit ulterius inquiramus, magisque, si fieri possit, determinemus.

(1) Vide infra *Partis I conclusionem*. Porro nomen proprium ܐܦܪܗܛ, vel potius ܦܪܗܐܕ (quoniam forma hæc, etsi usu recentior nec nisi a Barhebræo usurpata, tamen non, ut prior, ad Græcum Αφραατης formata est, sed ad suum etymon proprius accedere videtur), compositum est ex præpositione Persica فر sive فرا *pro*, *præ*, et هاد, quæ radix apparet in verbo Persico نهادن, *ponere*, *collocare*, ita ut vocabuli significatio sit : *præpositus*, *præfectus*. Cfr. Sasse, *op. cit.* p, 5.

Jam vero huc pertinent varia indicia negativa et positiva, quæ ex ipsius scriptis colligere est, doctrinæ scilicet capita, nomina propria, facta historica et alia hujusmodi, ab eo vel silentio prætermissa, vel memorata.

Ut ea prius tangamus de quibus silet Aphraates, ab anno circiter 320 impia Arii hæresis primum proposita, jam, quum ille scriberet, in toto imperio Constantinopolitano, imo in Occidente, in Asia Minori, in Palæstina, in Syria occidentali maximos tumultus excitaverat, haud paucis errori adhærentibus eumque tuentibus, pluribus vero illum ut inauditam et sacrilegam novitatem respuentibus vel etiam impugnantibus. Eo præsertim tempore quo tredecim posteriores *Dissertationes* compositæ sunt atque editæ, anno nempe 343 et biennio proxime sequenti, pestis illa supra quam dici potest invaluerat : quippe quæ, anno 325, auctoritate 318 Patrum Nicænæ Synodi damnata, aliquantum repressa videbatur; at, exstincto anno 337 pio imperatore Constantino et suffecto Constantio, sectæ nefariæ addictissimo, denuo caput extulerat, et, principis protectione fulta, novos et multo graviores cierat motus. Incredibile dictu est quanta perturbatio ferme ubique terrarum christiano nomine gloriantium, quot miseriæ exinde natæ sint. Hæc graphice describit Vincentius Lirinensis (1) : « Cujus quidem temporis periculo, ait, satis superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solum parvæ res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, uni-

(1) In *Commonitorio adversus hæreticos*, pag. 4 edit. Romanæ a. 1731.

versum postremo Romanum imperium funditus concussum et emotum est. Cum namque profana ipsa Arianorum novitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto prius omnium imperatore Constantio, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare, privata ac publica, sacra profanaque omnia, nullum boni et veri gerere discrimen, sed quoscumque collibuisset tanquam de loco superiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati levitæ, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla : quorum pars maxima interdictis urbibus protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, attriti et tabefacti sunt. » Hucusque Vincentius. Quamvis autem hæc non tam ad initia Constantii pertineant quam ad tempora posteriora, quibus solus, duobus fratribus fato functis, toto potitus imperio est, tamen, vix potestatem in Asiam et Ægyptum per mortem patris adeptus, Arianismo favit, orthodoxos in omnibus ditionis suæ regionibus, ac proin etiam in Syria occidentali, vexavit, atque errorem variis celebratis synodis promovere studuit: quo spectat, inter alia, concilium Antiochiæ anno 341 habitum (1).

Tot ac tantarum turbarum vel hæreseos ex qua ortæ erant nulla apud Aphraatem, vel levissima, mentio occurrit. Unde inferri jure posse putamus eum non in occidentali aliqua Mesopotamiæ parte, sed orientem versus circa Persidis fines vitam degisse. Quis enim in animum

(1) Cfr. Mansi, t. II, col. 1306.

sibi inducat illa omnia, quæ memoravimus, in viginti tribus *Epistolis* de rebus religionis agentibus tam alto silentio pressa fuisse, si eadem scriptor in propria regione vigentia et sese in iisdem quasi medium constitutum vidisset?

Firmatur conclusio si attendatur, ab eo Marcionitarum, Valentinianorum et Manichæorum sectas gnosticas, quæ tunc præcipue in Syria orientali et Perside pullulabant, acriter reprehendi. In *Dissertatione* tertia, quæ est *de jejunio*, dum illud carpit jejunium quod externum tantum nec cum mandatorum Dei observatione conjunctum est, hæc profert (1) : « Nam et doctrinarum fallacium sectatores, diaboli instrumenta, jejunant et peccata confitentur; nec est qui eis mercedem rependat. Quis enim Marcioni, auctorem nostrum bonum esse non confitenti, præmium tribuet? Quis mercede donabit jejunium Valentini, qui prædicat plures fuisse factores suos, docetque Deum perfectum ori ineffabilem, menti esse investigabilem? Quis denique remunerabitur filios tenebrarum, impii Manetis asseclas, qui, serpentium more, in obscuris locis commorantur et Chaldæorum artes, Babylonicas disciplinas, colunt? Jejunant quidem hi omnes, at ipsorum jejunium non est acceptum. »

Aliud adminiculum ad definiendum quonam in loco Aphraates vixerit, in eo situm est, quod sæpius memoret Saporis II persecutiones, et quidem ut sibi popularibusque suis graves; quibus tamen, ut ex omnibus fontibus historicis colligitur, præter Persidem, nonnisi paucæ urbes vel provinciæ, ad occidentem Tigridis proxime sitæ et Persarum dominationi subditæ, vexatæ

(1) Wrightius, p. ܒܠ .

sunt (1). Occasione persecutionum sui temporis, ut animum amico adderet, specialem scripsit *De persecutione dissertationem*, quæ occurrit ordine vigesima prima (2). Quod autem ad rem nostram magis etiam facit, tempora non raro designat ex annis Saporis regis. Sic, absoluta *Dissertatione XIV*, cui titulus *Deprecatio* vel *Adhortatio*, scribit (3) : « Composita est *Epistola* hæc mense *Februario* (Schebot) anni sexcentesimi quinquagesimi quinti regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, anno autem trigesimo quinto Saporis, Persarum regis. » Ad eumdem Saporis annum refert *Homilias* duodecim (XI-XXII), verbis quæ supra, p. 30, recitavimus (4). Item, ad calcem *Dissertationis de acino*, annum indicat regnantis Saporis, simulque tangit multiplices vexationes quas ab eo Christiani jam perpessi erant (5) : « Scribebam tibi *Epistolam* hanc, carissime,... anno trigesimo sexto Saporis, regis Persarum, ejusdem qui, quinquennio ab ecclesiarum eversione elapso, persecutionem movit ; eo etiam anno quo edita fuit strages magna martyrum in terra orientali (6). » Denique *Dissertatione* quinta (7) quæ est *de bellis* seu *pugnis* (ܬܚܘܝܬܐ ܕܩܪ̈ܒܐ), agi de expeditione militari, a Sapore contra Romanos parata et anno 337 demum inchoata, si quis rem diligentius expenderit,

(1) De variis harum persecutionum adjunctis consule Steph. Evod. Assemani *Acta Sanctorum martyrum orientalium et occidentalium*, part. I, pp. 1-210.

(2) Wrightius, p. ܫܕ seqq.

(3) Wrightius, pp. ܫܓ et ܫܗ.

(4) Ibid., pp. ܬܡ et ܬܡܐ.

(5) Ibid., p. ܬܡܐ.

(6) De hujus loci sensu recole quæ pag. 18, nn. 1 et 2, disseruimus.

(7) Wrightius, p. ܥܛ seqq.

non opinantis more, sed omni remota dubitatione affirmabit.

Quorsum autem apud auctorem nostrum iterata illa Saporis, persecutionis ab eo motæ, bellorum quæ suscepit, mentio? Cur præsertim communi annorum indicationi juxta æram Seleucidarum ubique addit annos ab initio regni Saporis elapsos? — Una hujus moris ratio sufficiens assignari posse videtur, Aphraatem scilicet et ipsum fuisse, et homini scripsisse qui esset sub Saporis dominatione; hinc tam illi quam isti solemne fuisse ut tempus ex annis regis sui computarent; nec mirum si uterque de rebus quæ ad patriam spectabant vel in ea gerebantur sese exhibuerit valde sollicitum.

Ex dictis rejicienda est, tanquam omni fundamento carens, imo argumentis internis opposita, conjectura qua Georgius, Episcopus Arabum, Nisibin numerat inter urbes quæ Aphraati habitationis locus forsan fuerint; nam constat civitatem hanc, tempore quo floreret auctor, Romanæ, non Persicæ ditionis fuisse. Hoc diserte testatur Theodoretus in *Vita S. Jacobi Nisibeni*. Postquam enim narravit S. Episcopum concilio Nicæno adfuisse, hanc subdit rationem : Τῆς Ῥωμαίων γὰρ ἡγεμονίας τηνικαῦτα ὑπήρχεν ἡ Νίσιβις, « Romanorum namque potestati Nisibis tunc suberat (1). » Idem manifesto supponunt *S. Ephræmi Acta* (2), ubi hæc leguntur : ܥܠ ܕܐܒܐ ܡܠܟܐ ܥܒܕ ܠܗܘܢ ܡܪܗ ܐܦܣܩܘܦܐ ܩܕܝܫܐ ܕܢܨܝܒܝܢ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܘܡܠܟܘܬܗ ܗܘܐ ܡܠܦܢܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ. ܘܡܩܪܝܢܐ ܕܐܣܟܘܠܝܬܐ ܗܘ ܕܢܨܝܒܝܢ ܠܪܗܘܡܝܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܠܘܬ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܘܡܢ ܠܘܬ ܢܦܫ

(1) Migne, *Patrologiæ Græcæ*, tom. LXXXII, coll. 1299 et 1300.
(2) *Bib. Orient.*, I, p. 31.

ܘܥܡܰܪ ܒܐܬܪܐ ܕܪܗܘ ܡ̈ܝܐ . « Paulo post migravit ad Dominum suum sanctus Episcopus Nisibenus, Mar Jacobus; quem beatus Mar Ephræmus sepelivit. Donec autem Nisibis Persis tradita fuit, Mar Ephræmus ibi commoratus est; et dein, egressus inde, in terris Romanorum habitavit. » Ipse S. Ephræmus illam veritatem indubitatam reddit *Carminibus* quæ numero plurima de urbe patria edidit (1). In his enim late juxta ac eleganter disserit de triplici illius obsidione a Sapore annis 338, 346 et 350 (2) suscepta; in promptu autem est regem Persarum non adeo desipuisse, ut civitatem suis subditam legibus ter oppugnaret. Aliunde denique novimus Nisibin cum maxima Mesopotamiæ parte demum anno 363 Sapori a Joviano concessam esse : id referunt, præter alios multos, Dionysius, Jacobitarum Patriarcha in *Chronico*, Ammiamus, lib. 25, et Zosimus, lib. 3.

Omnia igitur persuadent ut fidem adhibeamus annotationi amanuensis cujusdam anonymi, quam antea (pag. 65) ex Wrightio protulimus et qua affirmatur Sapientem Persam Episcopum fuisse in monasterio Mar Matthæi seu sancti Matthæi, quod alias monasterium Kuchtæ nuncupatur et in monte Elpheph, haud procul a Mossulo, situm est (3). Cœnobium istud a primis æræ

(1) *S. Ephræmi Syri Carmina Nisibena* primus in unum corpus collegit, edidit, vertit, explicavitque G. Bickell. Lipsiæ, 1866.

(2) Videsis *op. cit.* præfationem, pag. 11 seqq.

(3) Monasterium Mar Matthæi, vel a conditoris nomine, vel probabilius in honorem Matthæi Apostoli, cui dicatum fuerit, ita nuncupatum, jam antequam Sapiens Persa claresceret, h. e., a. 334, si fides sit traditioni quam refert Rich ap. Ritter, et certe non ita multo post dynastiæ Sassanitarum exordia fundatum erat. Ad orientalem Tigridis ripam, in monte prærupto Elpheph seu Maklob constructum, accessus est difficillimi, et, ut sæpe fit in illis regionibus propter imminentes barbarorum

christianæ sæculis celeberrimum fuit apud Syros, qui illud sive ܕܝܪܐ ܕܩܘܦܠܐ, sive ܕܝܪܐ ܕܡܪܝ ܡܬܝ ܕܛܘܪܐ ܕܐܠܦܦ vocabant. Olim, ait J. S. Assemanus (1), sedes fuit Metropolitæ Ninives, qui et Metropolita S. Matthæi dicebatur et primum a Maphriano locum inter orientales Episcopos tenebat; unde nihil mirum si jam initio sæculi IV Aphraates suum ibi habuerit domicilium.

# CAPUT TERTIUM.

## DE APHRAATIS CONDITIONE ET DIGNITATE.

### ARTICULUS I.

### *De Aphraates clericali et episcopali munere.*

#### § 1. QUÆDAM PRÆNOTANDA.

Hactenus de Sapientis Persæ nominibus, tempore et patria actum est. Quæ ad hæc illustranda attulimus jam ostendunt quid șentiendium sit de conditione ejus et

incursiones, castelli perinde ac asceterii speciem præ se fert. In historia Christianorum Syriæ orientalis frequentissima est illius mentio, et jampridem a Jacobitis possidetur, quorum plurimi Episcopi, et postea Maphriani ibi commorati sunt, immediatam in monasterium jurisdictionem exercentes. In ecclesia, celeberrimi Gr. Barhebræi sepulchrum hodieque exstat. Anno 1171, iterum a. 1369, tertio denique post a. 1820, quo illud visitaverat Rich, a Curdis expugnatum atque direptum, cœnobium nunc derelictum et ruinosum jacet. A viciniæ incolis *Scheikh Matta* vulgo appellatur.

Cfr. Asseman. *Dissert. de Monoph.*, pp. 99 et 100; — Ritter, *Die Erdkunde*, West-Asien, IX Theil, II Abt., p. 732 seqq.; — Martin, *De la métrique chez les Syriens*, p. 5, in nota (*Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes*, VII Band, no. 2).

(1) *De Syris Monophysitis dissertatio* (Romæ, 1730), pag. 100.

de munere quo functus fuerit. Huc imprimis facit nota illa quam e codicis manuscripti margine nobis suppeditavit cl. Wrightius (pag. 29), cum ea simul memorentur et locus domicilii Aphraatis et *dignitas ejus episcopalis*. Nemini vero, opinor, difficultas de hac re vel dubitatio ingeretur eo quod perhibeatur Sapiens Persa *Episcopus* fuisse *monasterii S. Matthæi*, quasi nempe ex hoc asserto concludendum sit ipsum nonnisi in cœnobium episcopalem exercuisse jurisdictionem, quod vix intelligi posset. Appellatio illa ex temporis et regionis moribus enucleanda. Ut enim omnes norunt, qui rebus ecclesiarum orientalium addiscendis aut investigandis vel levem operam unquam navavere, haud rarum, imo nihil ferme frequentius erat apud Orientis Præsules, quam ut sedem haberent in cœnobio aliquo suæ diœceseos, atque ipsa diœcesis vel a cœnobio illo, vel ab urbe quadam præcipua, vel etiam ab alterutro pro cujusque scriptoris arbitrio, nomen sortiretur. Hinc supra docuit Assemanus, monasterium de quo agimus olim sedem fuisse Metropolitæ Ninives, qui et Metropolita S. Matthæi dicebatur; hinc etiam ex Barhebræi *Chronico ecclesiastico* discimus posteriori tempore, id est ab anno 1155, Maphrianos Orientis in eodem cœnobio domicilium sibi elegisse, interim tamen Tagriti, Ninives et adjacentium locorum ecclesias tanquam proprias retinentes (1).

Etiamsi vero aliquis contendere vellet, quod utique ultro ei concedimus, de dignitate et sede Aphraatis non plane constare ex indicatione marginali cujus ætas et auctor ignorantur, perpensis tamen et in unum quasi fascem collectis variis, quæ suppetunt, argumentis inter-

(1) Cfr. *Chron. eccl.* præfatio, p. XVIII; item sect. II, col. 339 seqq.

nis, ipsum Sapientis Persæ clericale, imo et episcopale officium non videtur posse negari. Indicia hæc magnam partem *Epistola X de pastoribus* et *Epistola XIV*, quæ dicitur *exhortatoria* vel *deprecatoria*, continentur (1); quæ præcipua sunt paucis exponemus.

### § 2. OSTENDITUR APHRAATEM IN STATU ECCLESIASTICO VIXISSE.

Suam *Dissertationem XIV* scripsit Aphraates nomine multorum Episcoporum in solemni quodam conventu coadunatorum, ut dissensiones inter Christianos exortas compesceret et vitia quæ in clerum irrepserant corrigeret. Porro quum jam a priori nullatenus verisimile sit ejusmodi munus presbytero, multo minus laico, etsi doctissimo, demandatum esse, ut nomine totius synodi seu consessus reprehensiones, monita, exhortationes, ad fideles, ad sacerdotes necnon ad Præsules dirigeret, ex ipsius insuper orationis consideratione magna scriptoris auctoritas atque dignitas non mediocris certissime colliguntur.

Et primo quidem clericum eum fuisse facile deprehendes. A quibusnam et ad quosnam mittatur hæc *Epistola* auctor initio ita significat : ܠܚܣܝܢ ܪ̈ܚܡܐ ܡܠܒܢ ܡܢ ܦܠܚܝܢ ܣܓܝ ܕܢܗܘܘܢ ܐܝܟܢܐ ܗܕܐ ܐ̈ܢܫܝܢ ܡܢܗܘܢ ܒܢ̈ܝ ܥܕܬܐ ܕܒܟܠ ܐܬܪ ܐܦܣܩܘܦܐ ܘܩܫ̈ܝܫܐ ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ ܘܠܟܠܗ ܥܕܬܐ ܕܐܠܗܐ . ܟܠ ܡܢܗ ܡܕܝܢܬܐ ܕܒܟܠ ܐܬܪ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ . ܐ̈ܢܫܝܢ ܡܫܡ̈ܥܢܐ ܘܪ̈ܚܡܐ ܐܦܣܩܘܦܐ ܘܩܫܝܫܐ ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ ܟܠ ܡܢܗ ܡܕܝܢܐ ܕܟܘܪܐ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܘܡܕܢܚܐ ܡܢܗ ܕܐܠܗܐ ܕܐܝܬ

(1) De *Epistolarum* Aphraatis, præsertim vero de *Epistolæ XIV* genuinitate agemus in *Dissertationis* nostræ parte II, cap. I.

ܣܠܝܩ ܘܩܛܝܣܦܘܢ ܘܒܐܬܪ ܐܬܪ ܒܡܪܢ ܘܐܠܗܢ ܘܡܚܝܢܢ
ܕܒܝܕ ܡܫܝܚܐ ܐܚܝܢ ܘܩܪܒܢ ܠܘܬܗ ܫܠܡܐ ܢܣܓܐ ✣

« Scribendi *Epistolam* hanc ad fratres nostros, universos Ecclesiæ filios, qui in diversis regionibus degunt, consilium cepimus, dum congregati sumus, nos, Episcopi, presbyteri, diaconi, et omnis ecclesia Dei, una cum universis variorum locorum natis ejus, qui nobiscum sunt. Fratribus nostris carissimis, Episcopis, presbyteris, diaconis, sicut et omnibus Ecclesiæ natis, qui vobiscum sunt, universo etiam populo Dei Seleuciæ, Ctesiphonte et per varia loca existenti, sit in Domino, Deo ac Vivificatore nostro, qui per Christum nobis vitam impertivit nosque ad se attraxit, pax magna (1). »

Exordium istud argumentum non spernendum pro clericali saltem dignitate Aphraatis suppeditat, cum hic sese viris ecclesiasticis annumeret atque a laicis sejungat. Ait enim : « *Nos Episcopi, presbyteri, diaconi et omnis ecclesia Dei, una cum universis variorum locorum fidelibus,* » seu, — si litteram Syriacam pressius sequaris, « *cum universis... natis ejus* (i. e. *Ecclesiæ*). » Ubi per *universos Ecclesiæ natos* seu *universam Ecclesiæ prolem,* ܟܠܗ ܝܠܕܗ, nonnisi laici, ut opinor, denotari possunt (2) ; contra quos aperte distinguuntur Episcopi,

(1) De hujus loci tenore et sensu recole quæ pag. 15, nott. 4 et 5, advertimus, collatis quæ hic statim subjiciuntur.

(2) Cave itaque, me auctore, ne opineris dictionem ܝܠܕܐ ܕܥܕܬܐ eo sensu accipiendam, quo alteram appellationem ܒܢ̈ܝ ܥܕܬܐ, in hoc eodem loco occurrentem et priori, si verba spectes, parallelam, sumendam esse supra (p. 15, n. 3) monui. Ut hæc enim ad *viros ecclesiasticos* designandos coarctaretur effecit mos ille notissimus, quo ܒܪ vocabulum apud Syros, non secus ac Hebræis בֵּן, vi primigenia procul amandata, sæpe denotat *quamcumque dependentiæ, connexionis, aliamve*

presbyteri, diaconi, illi, uno verbo, qui, quoquo modo ad hierarchiam ecclesiasticam pertinentes, nomine *omnis ecclesiæ Dei* videntur designari et ex forma orationis ipsum *Epistolæ* scriptorem includere intelliguntur. Quare jam Georgius, gentium Episcopus, ex hoc loco demonstrat Sapientem Persam clero adscriptum fuisse (1).

Ut tamen præcaveatur difficultas quæ contra inter-

*relationem*, pro locutionum et rerum diversitate diversam. At enimvero de nuncupatione ܝܠܕܐ ܕܥܕܬܐ non ita sentiendum videtur, cum nulla sit causa cur ܝܠܕܐ nomen, a radice ܝܠܕ, *peperit* vel *genuit*, derivatum, propriam illam suam significationem *sobolis*, *progeniei*, etymo consonam et communi loquendi ratione firmatam, amittat. Metaphorice quidem, seu de nativitate spirituali, hic usurpatur. Neque tamen continuo licet quemlibet sensum metaphoricum pro lubitu ipsi affingere; sed ex usu constanti, ad cujus utique normam omnis etiam metaphora redigenda est, semper retinenda erit *generandi* et *generationis* notio. Quæ cum ita se habeant, dicendum est appellatione ܝܠܕܐ ܕܥܕܬܐ venire omnes *Christianos* seu *fideles*, illos nimirum quos Ecclesia per Baptismi collationem et institutionem in vera fide Deo genuit. De quibus Apostolus, I Cor. IV, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui;* ubi syriace legitur : ܒܝܫܘܥ ܓܝܪ ܡܫܝܚܐ . ܐܢܐ ܗܘ ܐܘܠܕܬܟܘܢ ܒܣܒܪܬܐ . — et Philem. I, 10 : *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo;* syriace vero : ܘܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟ . ܥܠ ܒܪܝ ܐܝܢܐ ܕܝܠܕܬ ܒܐܣܘܪܝ . Neque aliter S. Jacobus, I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis*; pro quibus Peschittha : ܗܘܝܘ ܨܒܐ ܘܝܠܕܢ ܒܡܠܬܐ ܕܩܘܫܬܐ . Hæc testimonia sufficiunt, nisi fallor, ut constet quænam sit vis radicis ܝܠܕ ac proinde vocis cognatæ ܝܠܕܐ, ubi ad res spirituales exprimendas transferuntur : de illa scilicet *generatione* et *nativitate* usurpantur, cujus participes sunt *quicumque Christo et Ecclesiæ nomina dederunt.* — Porro licet generatim ea sit, quam exposuimus, dictionis ܝܠܕܐ ܕܥܕܬܐ amplitudo, in loco tamen qui nobis nunc obversatur, propter contextam orationem, *laicos* præ cæteris fidelibus mentibus legentium ingerit; clerici enim antea nominati, imo et per quasdam classes enumerati sunt. Unde locutio hic, sin minus quoad *significationem*, saltem quoad *rem demonstratam* convenit cum alia, vix non eadem, ܝܠܕܐ ܕܡܥܡܕܬܐ, qua Ephræmus alicubi (*Ed. Rom.* III, 284) laicos designat.

(1) Apud Wrightium, *op. cit.* præf., pag 21 ; item supra, p. 14.

pretationem nostram, simulque contra illationem ex ea ductam afferri posset, quædam hic notare opportunum erit, eo vel magis quod duo viri doctissimi, Wrightius et Sassius (1), auctoris verba aliter ac nos intellexerint. Animadvertendum igitur est Georgium, dum locum hunc citat atque ex eo argumentatur, primæ propositioni ante vocem ܐܦܝܣܩܘܦܐ inserere ܗܢܘܢ pronomen, quod deest apud Aphraatem. Sic nempe integram sententiam profert : ܢܚܫܒܢ ܕܟܠܢ ܥܡ ܡܬܟܢܫܝܢ . ܕܢܟܬܘܒ ܐܓܪܬܐ ܗܕܐ ܠܐܚܝܢ ܡܢܗܘܢ ܒܢܝ ܥܕܬܐ ܕܒܟܠ ܐܬܪ . ܗܢܘܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܩܫܝܫܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܘܟ̄ . Qua lectione admissa, luce meridiana clarius evadit nominibus ܐܦܝܣܩܘܦܐ, ܩܫܝܫܐ, etc., appositionem, quam dicunt, contineri ad ܗܢܘܢ, seu ad verbi ܢܚܫܒܢ, subjectum (2), non ad objectum verbi ܢܟܬܘܒ; ac proin translationem quam dedimus recte se habere. Nequaquam

(1) Ita Sassius, *Prolegg. in Aphraatis sermones homileticos* p. 14 : « Cepimus consilium nos omnes, quum congregati essemus, scribendæ *Epistolæ* hujus ad omnes fratres nostros, filios Ecclesiæ, qui sunt in variis regionibus, ad Episcopos, presbyteros, diaconos totamque ecclesiam Dei cum omnibus liberis ejus in variis regionibus, qui sunt nobiscum. » — In eumdem prorsus sensum Wrightius, *op. cit.*, præf. pag. 9 : « We have taken counsel, all of us, being assembled together, to write this letter to all our brethren, the sons of the Church, who are in various places, bishops and priests and deacons, and the whole Church of God with all her children in various places, who are with us... »

(2) Si quis ܗܢܘܢ pronomen et quæ apposita sunt nomina non ad verbum ܢܚܫܒܢ, sed ad ܢܟܬܘܒ tanquam subjectum referre velit, is aliquod forsan suæ causæ patrocinium inde quærere poterit quod in Aphraatis textu supra producto nullum interpunctionis signum post vocem ܐܬܪ appictum sit. Sed quidquid sentiatur de istius fundamenti soliditate, quam expendere in præsenti non vacat, eadem manebit, ad propositum nostrum quod spectat, loci hujus vis atque utilitas.

vero existimandum est prædictum pronomen forsan ex scopo polemico hic esse inductum et propositionis vim pervertisse, ipsoque seposito, nomina substantiva proxime subsequentia ad antegressum ܠܐܚܝ̈ܢ referenda fuisse, ut sensus esset : « Cepimus consilium nos omnes, dum congregati sumus, scribendæ *Epistolæ* hujus ad fratres nostros, universos Ecclesiæ filios, qui in variis regionibus degunt, ad Episcopos, presbyteros, diaconos, etc. » Ita quidem, ad rei substantiam quod attinet, vertunt Wrightius et Sassius ; sed perperam. Sive enim voculam ܚܢܢ admittas, sive tollas, textus Syriacus eumdem sensum fundere videtur, quem latine expressimus. Nam quominus vocabulum ܐܦܝܣܩܘ̈ܦܐ et quæ subjuncta sunt antegresso ܠܐܚܝ̈ܢ apposita dicantur plura obstant. Primo quidem haud exiguam admirationem moveret eadem illa *enumeratio* variorum hominum quibus *Adhortatio* destinatur, absque ulla necessitate, absque ulla etiam interjecta sententia semel atque iterum occurrens, in fine scilicet prioris propositionis et initio secundæ. In hac quippe sic recensentur illi quos admonitos vult Aphraatès :
ܠܐܚܝ̈ܢ ܚܒܝ̈ܒܐ ܘܪ̈ܚܡܝܐ ܐܦܝܣܩܘ̈ܦܐ ܘܩܫܝ̈ܫܐ ܘܡܫܡܫܢ̈ܐ
ܟܠ ܥܡܗ ܒܢܝ̈ܐ ܕܥܕܬܐ ܕܐܝܬ ܠܘܬܟܘܢ ܘܥܡܐ ܟܠܗ
. ܐܬܪ ܒܐܬܪ ..... ܕܐܠܗܐ « Fratribus nostris carissimis, Episcopis, presbyteris, diaconis, sicut et omnibus Ecclesiæ natis, qui vobiscum sunt, universo etiam populo Dei... per varia loca existenti. » Si igitur ponas et in inciso proxime antecedente singulas classes iisdem fere vocibus commemoratas de iisdem fidelibus vel clericis accipiendas esse, quis tandem hujusmodi redundantiam etiam apud auctorem Syrum facile ferat? Dein vero,

quod mihi decretorium videtur, in adversariorum sententia, qui prius hac appellatione designati sunt : « Omnes Ecclesiæ nati, *qui nobiscum sunt*, » ܟܠܗ ܡܠܟܗ ܕܐܝܬ ܠܘܬܢ, mox, mutata, loquendi forma, nominarentur « omnes Ecclesiæ nati, *qui vobiscum sunt*, » ܟܠܗ ܡܠܟܐ ܕܡܠܟܐ ܕܐܝܬ ܠܘܬܟܘܢ. Aliis verbis, qui Wrightio in hoc loco interpretando consentire velint, ambas illas dictiones de eodem subjecto prolatas esse propter evidentem sententiarum parallelismum fateantur necesse est : dicant igitur, amabo, quomodo alteram cum altera conciliaturi sint.

Concludimus Georgium, quando ܚܢܢ pronomen loc. cit. legit, illud quidem de suo addidisse, nullatenus tamen sensum mutasse, imo liquidius eumdem et cum emphasi quadam expressisse ; nihil igitur ex hac parte obstare valori argumenti quo Sapientem Persam in clericorum censum relatum esse demonstravimus. Cæterum hanc scriptoris nostri dignitatem, etiam admissa Wrightii interpretatione, in eadem *Epistola* clare manifestari modo quo de fidelibus et universo clero loquitur auctor, satis patebit ex infra dicendis.

### § 3. DE DIGNITATE EPISCOPALI APHRAATIS.

Misso illo exordio, de cujus significatione et vi probativa propter eorum qui a nobis dissentiunt nomen atque auctoritatem paulo fusius disputandum censuimus, gressum facimus ad integrum *Epistolæ XIV* tenorem examinandum, ut inde eruamus Sapientem Persam non tantum in hierarchia ecclesiastica constitutum, sed episcopali dignitate præditum fuisse.

Jamvero in tota hac lucubratione auctor, ut legenti statim apparet (1), præ oculis præcipue habet populi fidelis *pastores*, hoc est, *tam Episcopos quam sacerdotes;* eorum vitia, præsertim superbiam, ambitionem, avaritiam, invidiam, discordias, multiplices denique potestatis abusus carpit, simul indicat remedia et ad virtutes oppositas hortatur, hæcque omnia tanta cum vi et auctoritate peragit quantam nullum unquam christianum, nisi sit gradu superior vel certe æqualis iis quos alloquitur, erga Præsules et presbyteros præ se ferre ausurum autumamus. Illud insuper notandum est, Aphraatem, quemadmodum jam statim ab initio non tantum fideles, sed diaconos, sacerdotes, Episcopos nomine fratrum compellat, ita deinceps ipsa loquendi forma sese sæpius accensere pastoribus ad quos verba dirigit. Exempla nonnulla producemus ad eorum quæ asseruimus confirmationem.

Vix sermonem exorsus, vitia cleri gravissimis verbis notat atque reprehendit (2) : « Scriptum etiam est (3), ait, *non esse quem peccatorum pœniteat et qui dicat : Quid feci?* Surrexerunt enim in populo nostro duces qui legem reliquerunt et gloriati sunt in iniquitate. Divitias comparaverunt et victi sunt avaritia; fœnerati sunt et usuras acceperunt, neque ullus est qui recordetur horum verborum S. Scripturæ (4) : *Usuras et fœnus ne exigas;* et aliorum (5) : *Qui in tabernaculo*

(1) Præ cæteris digni sunt qui conferantur §§ 1, 2, 3, 6, 12, 13, 15, 16, 23, 24, 26 et 28.

(2) Cfr. § 1, circa finem; item §§ 2 et 3.

(3) Videsis *Numer.* XXIII, 19, et I *Regum* XV, 29.

(4) *Levit.* XXV, 36.

(5) Ps. XV, 5.

*Domini vult habitare non fœneratur*. Insuper autem scriptum est, in eum qui non fœneratur, nec usuras exigit, neque ullam committit ex abominationibus quas recenset Ezechiel Deum benevolum esse (1). Sunt quidam hoc tempore qui vim in regimine adhibent et judicium pervertunt, admittentes personarum acceptionem. Reos absolvunt et damnant innocentes; divites favore prosequuntur et pauperes odio habent; seipsos pascunt, gregemque dispergunt. Mundus eos obcæcavit. Amant munera, repellunt æquitatem, reprehensionem oderunt et diligunt improbitatem. Homines humiles aversantur, in elatos, arrogantes et superbos propensi. In diebus eorum lux obscurata est, sal insipidum factum, doctrina tenebris obvoluta jacet, lex negligitur; vinea vastata fuit et protulit spinas; dormientibus agricolis, inimicus zizania sua seminavit. Intumuerunt fluctus, invaluit procella, et, nautis somno deditis, eorum naves submersæ fuere. Clausa est lex, divina præcepta obsignata sunt, nec populo sacerdos dissimilis. Magistratus petit dona, judex sibi munera afferri jubet, qui præest pro arbitrio omnia disponit. Contemnunt pauperes, miseros a se repellunt. Si quid vorandum objiciatur, prædicant pacem, in eum autem qui nihil alimenti sibi suppeditat bellum annuntiant (2). Abominantur judicium et omnia recta pervertunt; ædificant Sion in sanguine

(1) Cfr. Ezech. XVIII, 8.

(2) Hæc ex Mich. III, 5, fere ad litteram desumpta sunt. Ita enim ille: « Qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. » Quibus Vulgatæ verbis Syriaca hic omnino consentiunt. Propositionis autem sensus apud Aphraatem hic est: Pravos illos animarum pastores, prout commoda et bona terrestria ab aliquo accepere, vel non, eidem fausta lætaque, vel infausta omnia vaticinari.

et Jerusalem in iniquitate (1). Hujus civitatis principes propter munera jus dicunt et sacerdotes ejus mercedis gratia docent; prophetæ vaticinia vendunt et Domino confidunt dicentes : Dominus inter nos. Quamobrem nox eis superveniet et præ caligine mentis prædictiones edere non poterunt. Iræ pleni sunt et furore accensi; delectantur ludibriis, amant peccata, dulcis eis maledicentia mutua, sicut comedenti mel in favum coalescens. Contempta est æquitas, fugata redargutio. Viluerunt viri honore digni, despectui habentur doctores; quod bonum est vocant malum, quod malum, bonum; lucem putant esse tenebras et tenebras lucem; quod amarum est dulce habent, quod dulce, amarum æstimant. Seipsos sapientes et prudentia conspicuos reputant; nocentes muneribus acceptis absolvunt, justorum autem innocentiam non tuentur; carent visionibus et prohibentur a prophetia. »

Manifestum est Aphraatem, in hoc loco, de vitiis et peccatis ministrorum sacrorum tam primi quam secundi ordinis, seu presbyterorum et Episcoporum, sollicitum se præbere. De iis enim hominibus agit, qui in populo christiano constituti sunt *rectores, judices, pastores, sacerdotes, principes, prophetæ seu doctores*, et quorum proinde est ut, juxta Christi Domini monitum, sint *lux mundi* et *sal terræ, legem populo interpretentur, vineam patrisfamilias* studiose *colant*, Ecclesiæ denique *navim* vel *currum*, prudentium sive *gubernatorum* sive *aurigarum more*, dirigant. Hunc esse loci adducti sensum ex multis aliis, imo ex tota *Epistola* confirmatur. Hinc scriptor, seipsum iis annumerans de quibus adhuc

(1) Cfr. Mich. III, 10.

locutus est, post querimonias et objurgationes supra relatas, continuo subdit (1) : « Hæc egimus, et hæc acciderunt nobis. Spoliati nos, vexati, dispersi......... Quoniam alius alium odimus, multiplicati sunt qui sine causa nos oderint; quia ludibrio eramus usi, ludibrio fuimus; quia mentiti eramus, mendacio sumus decepti; quia contempseramus, contempti sumus; quia elati eramus, humiliati fuimus; propter injurias a nobis illatas, injuriis affecti sumus; eo quod opprimeremus, fuimus oppressi. En quibus in viis, dilecti, quidam ex nobis ambulaverunt : jus non dicunt, de æquitate indaganda non curant, nec aliquis est qui recordetur verborum prophetæ (2) : *Quærite judicium, subvenite oppresso.* »

Nec minus perspicua sunt aut decretoria quæ infra (§ 13) proponit Sapiens Persa, eos qui ejusdem ministerii sacri secum sunt consortes ad pœnitentiam peragendam et meliorem vitæ rationem ineundam exhortans : « Humiliemus nos, dilecti, labore, fatigatione, vigiliis, petitione, jejunio, oratione, supplicatione et gemitibus, ne forte cito rapiamur ex hoc mundo et justo Dei judicio condemnemur. Non negligendum ministerium Sancti, ne repudiemur ab ipso, sicut per prophetam dixit (3) : *Quia repulisti legem, repellam te a sacerdotio.* Et etiam scriptum est (4) : *Honorabo ego eos qui me honorant, et contemptores mei contemptu afficientur.* Considerate autem quamnam mercedem receperint sacerdotes qui ministerium Domini contempserant.... » Hic adducit

(1) § 3.
(2) Isaiæ I, 17.
(3) Ap. Oseam, IV, 6.
(4) I *Regum*, II, 30.

auctor ex S. Scriptura et aliquatenus evolvit quædam severitatis divinæ exempla, quæ ministros sacros ad diligentem munerum adimpletionem excitare debeant. Nadab et Abiu, ait, eo quod ignem extraneum in sacrificiis offerendis adhibuissent, Ophni et Phinees, quia per impietatem suam homines a cultu Domini avertebant, Heli, utpote culpæ filiorum ex nimia in eos indulgentia particeps, demum Oza, propter temeritatem in manu arcæ admovenda, gravissimas pœnas Deo dederunt. Tunc his verbis concludit : ܗܠܝܢ ܡܣܬܒܥܝܢ ܕܐܟܬܘܒ ܠܟܝܢ
ܠܡܥܗܕܘ ܂ ܕܠܗܘ ܠܢܦܫܢ ܐܦ ܠܟܘܢ ܂ ܕܟܠ ܕܚܫܢ
ܒܬܫܡܫܬܗ ܕܩܘܕܫܐ ܂ ܫܝܛܢ ܠܗ ܘܠܗܘܢ ܡܛܠܗܘܢ
ܒܗܢܐ ܙܒܢܐ ܂ ܡܛܠ ܕܠܐ ܝܩܪܢܝܗܝ ܐܫܠܡܢ ܠܡܘܩܝܢܐ ܩܕܡ
ܒܥܠܕܒܒܝܢ ܂ ܘܐܫܝܛܢ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܕܡܫܝܛܝܢ ܠܝ ܢܫܬܝܛܘܢ ܂
« Hæc necesse erat scribere vobis, carissimi, ut in nostram et vestram etiam memoriam revocaremus illa omnia nobis hoc tempore accidisse quia ministerium Sancti neglexeramus. Quoniam ipsum non honoravimus, tradidit nos in ludibrium inimicis nostris, et contempsit nos, sicut dixit (1) : *Contemptores mei contemptu afficientur.* »

Talia sane sunt ista effata, ut vix aliquid apertius, luculentius aliquid adduci unquam vel desiderari queat. Ex illis evidenter id sequitur quod intendimus, Aphraatem et de hominibus in hierarchia ecclesiastica constitutis habuisse sermonem, et ipsum inter eos non infimum locum obtinuisse. Ideo ne, in re satis perspicua moras nectendo, tædium afferamus lectori, ex plurimis testimoniis quæ de iisdem veritatibus congeri adhuc

(1) I *Regum*, II, 30.

possent, plerisque consulto omissis, nonnisi unum alterumve majori attentione dignum deinceps subnectemus. Hujusmodi autem esse putamus integrum § 15, non eo tantum quod de animarum pastoribus et doctoribus disertissime agat, verum etiam quia nonnullis viris doctis argumentum omnium validissimum simul et expeditissimum pro episcopali scriptoris dignitate continere visus est.

Postquam igitur hic jam sæpius in cleri vitia invectus est, ad eamdem dicendi materiam initio paragraphi prædicti rediens :

« Præterea quod attinet, inquit, ad ea quæ vobis scripsimus, nostis, carissimi, eos qui doctores sunt legis et potestatem exercent in populo nostro, propter avaritiam invidia atque odio exarsisse, conveniente correctione moribus nostris : qui enim manifeste peccavimus manifeste castigati sumus. Dein quoad sanctam manuum impositionem, quam quidam nostrum accipiunt, de solo impositionis facto inter se contendunt; nec statim reperitur, tempore nostro, qui quærat pium Dei cultorem, sed de hac re solliciti sunt, quisnam sit impositione manuum antiquior, et postquam didicerunt aliquem antiquiorem esse, dicunt ei : Te decet in primo loco accumbere. Nemo itaque est qui meminerit verborum Salvatoris, Scribis et Pharisæis pœnas intentantis, eosque sic compellantis (1) : *Væ vobis, qui amatis cathedras in synagogis et recubitus in cœnis, quique gaudetis vos ab hominibus magistros etiam atque etiam vocari!* Fratres, nomina nec ad vitam ducunt, nec eripiunt a morte, quemadmodum non eripuere Nadab

(1) Matth. XXIII, 6, 7; Luc. XX, 46.

et Abiu, Ophni et Phinees; sed præter nomina, opera bona necessaria sunt. Opera enim sine nominibus auctores suos a morte liberant, nomina vero absque recte factis nihil commodi vel utilitatis afferunt, ut supra scripsimus vobis. Superbiunt tamen fratres nostri propter nomen quod acceperunt, occasionem inde sumentes ligandi, blandiendi, honorem sibi conciliandi, jactantesque suam potestatem. Quare hodie impletum est illud prophetæ effatum (1) : *Princeps quodcumque libuerit imperat.* Scriptum est etiam (2) : *Oves meæ, deficiente pastore, dispersæ sunt.* Et iterum (3) : *Pastores seipsos, non autem gregem meum paverunt.* Et iterum (4) : *O pastores, qui gregem pascuorum meorum perditis atque dispergitis!* Alibi sic arguuntur pastores (5) : *Pascua pinguia depascitis vos, et quod reliquum est pedibus vestris conculcatis; dulces bibitis aquas, et quod remanet pedibus turbatis. Itaque oves meæ pascunt quod vestræ conculcarunt plantæ, aqua turbida quam reliquistis sitim restinguunt.* Et iterum (6) : *Pingues gregis oves comeditis, lana vestimini, gregem vero non pascitis, sed in eum per vim dominamini.* — O pastor, propriæ dignitatis ignare, tu quis es, ut servum judices alienum? si enim stet, stat domino suo, et si cadat, domino cadit; at certe stabit. Quod si justificari nequeas, quare peccata varia adhuc admittis? Si teipsum super me extollas, jactesque te mihi et doctoris et regis jure præesse, et te repudiem ego, vinculis me constringis. Quomodo

(1) Mich. VII, 3.
(2) Ezech. XXXIV, 5.
(3) Ibid., v. 8.
(4) Ibid., XXXIV, passim.
(5) Ibid., vv. 18 et 19.
(6) Ibid., vv. 3 et 4.

autem humilitatem mihi inculcabis, qui elatus es et superbia tumidus? Qua fronte mihi præcipies : Alii alios diligite, cum sis odii et iræ plenus? Quî mihi dices : Si quis quod tuum est abstulerit, ne repetas, dum quod tuum est tu exigis cum usura? Qua ratione me jubebis esse modestum, qui impudens es, garrulus et jactans? Quomodo me hortaberis ut mundum hunc relinquam, in quo tu demersus jaces et suffocatus? Quomodo docebis me pauperes refocillandos esse, vexans socios tuos pauperes? Quomodo incitabis me ut id deponam quod cordi inest, cum in te collectum sit vetus fermentum? Quomodo mihi persuadebis ut in gratiam cum fratre redeam, qui multorum hominum perturbas pacem?. Si vero opera haud honesta in te deprehenderim, mihi dicis : Peccante me et impie agente, verba mea tu sequere; cum tamen is qui docet simul et facit magnus, qui vero docet, nec facit, minimus sit vocandus. Pecuniam accepisti, recondidisti, et, clave tibi commissa, portam custodis : tu non intras, et eos qui animo ingrediendi accedunt prohibes. Corporis oculus es, sed cæcitate laboras, et corpus, deficiente oculo, in tenebris jacet. Corpus tuum cæcum est; te cæco, faciei ejus ornamentum lumine caret; cæcus igitur cæcum ducis, et vis totum corpus tuum in foveam projicere. Sal si insipidum fiat, foras abjicitur; servus qui pecuniam suam abscondit mittitur in tenebras; famulus qui socios percussit pœnas domino suo dat; pastoris imperiti oculus excæcatur, ejusque brachium arescit. Sacerdotes non indicarunt ubi sit Dominus, hunc custodes legis non noverunt, pastores perfide in eum egerunt, et ex prophetis Hierosolymæ prodiit idololatria in universam terram. Principes populi mei reliquias ejus collegerunt

et mulieres in ipsum dominatæ sunt. Dominum itaque non timuimus; quid faciet nobis rex? Væ nobis! quanam prudentia reliquimus legem et quidam ex nobis in iniquitate gloriantur? Nos in silentio et stupore sedere par est. Dicis tu mihi : Veni, sis mecum particeps omnium quæ facio. Idcirco in te, doctor, adimpletum est Domini nostri effatum (1) : *Circuitis mare et aridum, ut unum conquiratis proselytum, eumque vobis adhæserit, eum redditis gehenna dignum.* Mentitus est propheta et seduxit collegam suum; hic autem, eo quod illi morem gessisset, leoni traditus est, qui ipsius membra confregit. Quando, in diebus Achab, aberravere plurimi prophetæ et sacerdotes, Deo remanserunt septem millia virorum, qui non curvarunt genua ante Baal neque ipsum adoraverunt. Hi, quos nec Elias noverat, sacerdotes cæcos atque impios, ad perniciem trahentes, non sunt secuti. Si Roboamus regnum divisit, num illum sequar ego? — Absit hoc a me! Et si Jeroboamus Deum suum reliquit, num ipsius vestigiis instabo? — Ab istis peccatis serva me, Deus meus. »

Hæc singillatim expendere et ea accurate exponere, quæ ibi non tam aperte exprimuntur quam tecte potius ac prudenter significantur, in præsenti non vacat. Satis sit illud advertisse, quod unusquisque primo quasi intuitu videt, eorum omnium qui potestatem in Ecclesia exercent defectus et culpas verbis gravibus ac severis redargui. Post ea vero quæ hucusque allata sunt, pluribus agit Sapiens Persa de vocatione divina, sine qua sacrum ministerium suscipere possit nemo vel obire (2), multaque alia persequitur de pace et humilitate a pas-

(1) Matt. XXIII, 15.
(2) § 16.

toribus colenda (1); et tandem, § 23, quæ rectorum populi fidelis, si sua vocatione digni sint, munus et excellentiam commendant encomiis magnificis sic prædicat : « Carissimi, filii pacis et discipuli Christi, vos estis lux mundi, sal terræ et oculus corporis. Vos familiariores sponsi comites, semen bonum, domus supra petram ædificata, architecti sapientes, qui fundamenta jaciunt et humida manifestant. Vos agricolæ solertes, qui terræ proventus congregant et horrea implent, negotiatores prudentes, qui ex pecunia sibi commissa lucra comparant, operarii pretio conducti, qui, mercedem accipientes, majorem postulant. Vos estis custodes clavium, legati fideles, tubicines. Vos œconomi et dispensatores, utres novi, vestes gloriæ, apostoli, virginis comptæ desponsores, lux in tenebris, filii pacis, Christi fratres et templum Spiritus. Curritis in stadio, in agone fatigamini et coronas reportatis. Vos vitis in vinea, semen tritici eximii, fructum centuplum proferens. Lucernas defertis accensas et intratis per angustam regni portam. Vos filii dexteræ estis, via arcta et angusta incedentes. Per crucem liberati, sanguine et corpore Christi redempti fuistis. Legati Christi, præcones veraces, vitam per aquam confertis. Vos odor suavis, qui in omnem locum diffusus est, creatura nova, cui nihil inest veteris fermenti. A sponso invitati, vestes longas, convivio congruentes, induistis. Jugum portatis, sedetis in silentio, populo fideli alligati estis. Ab Ecclesia geniti, educatis filios ejus, oves congregatis. Vos pastores inclyti, qui gregem suum in pascua pinguia ducunt; et Salvator noster, pastorum princeps, lux est

(1) §§ 17 et 18.

in tenebris et lucerna quæ, candelabro imposita, mundum illuminat... »

Ut seriem testimoniorum ex *Epistola XIV* deprompto-rum tandem claudamus, quæ ex illis conflanda est demonstratio sic brevissime contrahi potest.

Qui ita loquitur de omnibus indiscriminatim animarum pastoribus, deque eorum agendi ratione, qui malorum peccata et vitia tam severe perstringit, qui eos ut ad meliorem frugem redeant tam vehementer incitat, qui bonorum encomia fuse persequitur; paucis, qui laudes, adhortationes, reprehensiones pro meritis unicuique magna cum auctoritate attribuit (1), is sane haud obscure ostendit se non esse illis de quibus vel quibuscum agit inferiorem, sed in eadem saltem conditione vivere in qua illi vivunt. Cum autem Aphraates insuper seipsum constanter iis annumeret ad quos monita dirigit et qui potestate in Ecclesia præcellunt, inferimus dignitatem ejus episcopalem et ex libertate qua in dicendo utitur, et ex ipsa loquendi forma solide evinci.

Nec opponat aliquis, apud auctorem non de Episcopis sermonem esse, sed tantum secundi ordinis sacerdotes, seu presbyteros, laudari, moneri et vituperari. Hæc namque difficultas, iis vel raptim consideratis quæ antea protulimus, statim corruit : ibi enim nulla inter duos pastorum ordines distinctio; contra locutiones diversissimæ, quæ passim occurrunt, quam latissime patent, nec plenam suam vim sortiuntur, nisi accipiantur et de Episcopis; imo hi distincte nominantur in proœmio, ubi scriptor « fratribus carissimis, Episcopis, pres-

(1) Eamdem auctoritatem et libertatem in dicendo manifestant monita ac consilia quæ ad pastores diriguntur *Epistolæ de pœnitentibus* §§ 11 et 12, ap. Wright., pp. ܡܠܒ et ܡܠܓ .

byteris, diaconis, sicut et omnibus Ecclesiæ filiis, » salutem et pacem in Domino apprecatur. Denique, si cui ista ad firmissimam persuasionem satis non sint, huic auctor sum ut *Epistolam X*, *de pastoribus*, consulat. Cum enim in ea, quod jam inscriptio sola indicat, agatur de clero universo, seu de illis omnibus qui Christi Domini oves quoquo modo pascendas et regendas acceperunt, nonnunquam etiam *Episcopi* expresse compellantur atque ad officium sedulo prudenterque adimplendum incitantur. Cujus asserti documentum accipe monitum illud(1) : ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟܘܢ ܪ̈ܥܘܬܐ. ܕܠܐ ܬܩܝܡܘܢ ܒܡܪܥܝܬܐ. ܕܒ̈ܪܢܐ ܣ̈ܟܠܐ ܘܒܘܪ̈ܐ. ܘܐܦܠܐ ܡܟ̈ܢܐ ܘܪ̈ܚܡܝ ܩܢܝ̈ܢܐ. « Postulo a vobis, *Pastores*, ne constituatis super gregem *rectores* insipientes, aut imperitos, aut etiam cupidos et divitiis addictos. » In ista propositione nomine *Pastorum*, ܪ̈ܥܘܬܐ, *Episcopos* proprie dictos designari nemo nisi absurde negaverit. Res namque evidens est ex textus, contextus et usus apud Syros communis consideratione. Hic sane qui dicuntur *Pastores* alii sunt a *rectoribus*, iisque superiores; Præsules autem, prout contra presbyteros ministrosque inferiores distinguuntur, ܪ̈ܥܘܬܐ frequentissime nuncupari testis est, inter alios, S. Ephræmus, plurimis in locis, ut scite advertit probavitque cl. Bickell (2); ipse demum Aphraates sui

(1) *Epistolæ X* § 5; ap. Wright., p. ܩܦ .

(2) Cfr. *Carmina Nisibena*, pag. 58, ad voc. ܟܗܢܐ . Ex variis exemplis a se allatis concludit doctus editor per vocem ܪܥܝܐ solum *Episcopum* designari, per vocem ܟܗ̈ܢܐ *presbyteros*, *diaconos*, *cæterosque clericos*. Ephræmus, qui diaconus erat, seipsum ܟܗܢܐ vocat, *Opp. Syr.* tom. II, 560, c.

interpres omni fide dignus est, dum hæc paulo post subdit, in quibus inter duo vocabula ܪ̈ܥܘܬܐ et ܕܒܪ̈ܢܐ eadem distinctio eodem sensu recurrit : ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܩܠܝܠ ܣܦܩܝܢ ܠܪ̈ܥܘܬܐ ܘܡܕܒܪ̈ܢܐ ܛܒ̈ܐ ◆ « Hæc autem pauca sufficiunt *Pastoribus* et rectoribus bonis. »

Antequam huic disquisitioni de Sapientis Persæ dignitate finem imponamus, commemorandum nobis est et expendendum argumentum quod, ut episcopale munus illius adstruant, Bickell et Sasse afferunt, prior quidem absque ullo dubitationis indicio, alter vero, adjecta probationis, quam optimam esse putat, commendatione. Locum scilicet qui apud nos latine sic legitur : « Dein quoad sanctam manuum impositionem, quam *quidam nostrum* (monachorum? scilicet) *accipiunt*..., » illi hoc modo verterunt (1) : « Etiam quod attinet ad sanctam manuum impositionem, quam *homines a nobis accipiunt*... » Quibuscum consentit Antonellus, translationis Armeniacæ sensum ita exprimens (2) : « Etiam super sanctam impositionem manuum, quam *recipiunt a nobis*... » Inferunt auctores prædicti Aphraatem unum fuisse ex iis qui impositionem manuum, hoc est, sacram ordinationem conferebant, ac proin episcopali fulsisse dignitate. At pace doctissimorum virorum dixerim ipsorum interpretationem minus firmam videri. Sic enim se habet textus primigenius (3) : ܘܐܦ ܥܠ ܣܝܡ ܐܝܕܝܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܡܩܒܠܝܢ ܐ̈ܢܫܝܢ ܡܢܢ ܠܟܗܢܘܬܐ ܫܒܝܩܐ ܥܠܘܗܝ

(1) Cfr. Sassius, *op. cit.*, p. 7, et Bickell, *Ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenväter Aphraates, Rabulas und Isaak von Ninive* (Kempten, 1874), pag. 11.

(2) *Opera S. Jacobi Nisibeni*, pag. 423.

(3) Ap. Wright., p. ܪܟܗ .

ܡܩܒܠܝܢ ܠܠܒܗ̇ . Jam si præpositionem suffixo instructam, ܡܢܟܘܢ, conjungas cum participio præcedente ܡܣܡܟܝܢ, ita ut particula ܡܢ (*e, ex, ab*), originem seu fontem designet, vera est Antonelli aliorumque interpretatio; sin vero illud ܡܢܟܘܢ ad vocabulum propius antegressum ܐܢܫܝܢ referas, dicasque voculam ܡܢ illam hic præ se ferre partitivam potestatem, quæ ei ex nominali significatione (1) primario inest, tum probanda translatio nostra, nec quidquam sequitur pro Aphraatis episcopatu. Porro ut alteram hanc hypothesim præferamus movent tum primarius ille, quem diximus, præpositionis ܡܢ sensus et consueta loquendi ratio, qua vox ܐܢܫ, ܐܢܫܝܢ, ubi *aliquem*, *aliquos*, significat, haud absolute, sed addito nomine rei de qua fit sermo, sæpissime adhibetur, tum multo magis phraseos structura qua usus est scriptor, dum verbum ܡܢܟܘܢ non participio ܡܣܡܟܝܢ, sed nomini substantivo ܐܢܫܝܢ proxime subjunxit : ܕܡܣܡܟܝܢ ܐܢܫܝܢ ܡܢܟܘܢ . Quamvis enim ea sit præpositionis ܡܢ indoles, ut utrique vocabulo jungi possit, si tamen contendas, illam hic, interjecto licet nomine ܐܢܫܝܢ, a voce ܡܣܡܟܝܢ pendere, nonne dicendum erit orationem ad fallendum compositam videri ?

Præterea vero quem tuemur sensum, is nullum accipit probabilitatis detrimentum, si quis contendat, tunc pronomen ܗܢܘܢ, in ܡܢܟܘܢ inclusum, de ascetis, quibus, ut mox dicemus, annumerandus erat Aphraates, intelligen-

(1) De vi primigenia particulæ ܡܢ scite disserit Bernstein, in *Lexico Syriaco chrestomathiæ Kirschianæ denuo editæ* (Lipsiæ, 1836), ad h. v.

dum esse. Imo in ista sententia, de cujus firmitate hic disputare necesse non est, explicatio quam proposuimus mire roboratur ex more Sapientis Persæ ætate apud Syros vigente, ut in singulis cœnobiis pars tantum monachorum clericatum et ordines susciperet. Cujus consuetudinis indicia in omnibus legibus ecclesiasticis, quibus regularium vita tunc regebatur, frequentissime occurrunt. Huc pertinet usitata illa vocabulorum distributio ac distinctio, qua ab antiquis temporibus Syri admissionem in statum religiosum *tonsuram*, ܣܘܦܪܐ, vocant, et *monasticæ vestis inductionem*, ܠܘܒܫܐ ܕܕܝܪܝܘܬܐ, non *chirotoniam*, ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ, aut *impositionem manus*, ܣܝܡ ܐܝܕܐ. Monachi nimirum per se extra clerum sunt reputanturque. Id perspicue ostenditur ista connumeratione, in divinis officiis et precibus publicis passim obvia : ܥܕ̈ܬܐ, ܘܕܝܪ̈ܬܐ ܘܥܡܐ ܡܗܝܡܢܐ, *ecclesiæ, monasteria, populusque fidelis*, i. e., *clerici, monachi et laici*; idem canone hoc, quem Barhebræus (1) ut apostolicum affert, declaratur : ܒܬܘ̈ܠܐ ܐܘ ܒܬܘܠܬܐ ܠܘ ܡܢ ܐܢܫ ܩܐܡ ܐܘ ܡܬܬܣܝܡ ܒܣܝܡ ܐܝܕܐ : « Utriusque sexus virgo non a quoquam fit aut per manus impositionem ordinatur. » Denique cœnobitas nullo sæpe ordine insignitos fuisse colligitur ex prohibitione, a Rabula Edesseno (2) paulo post sæculi V ini-

(1) In *Nomocanone*, seu libro cui titulum indidit : ܟܬܒܐ ܕܗܘܕܝܐ : ܡܬܘ̈ܢܐ ܘܡܬܩ̈ܢܐ ܠܟܘܠ ܡܠܟܐ ܕܡܬܟܬܒܝܢ ܒܗ ܥܕ̈ܬܐ . Cfr. Asseman. *Dissert. de Monophys.*, p. 134 seqq.

(2) Hic, juxta *Chronographiam* Jacobi Edesseni, episcopatum anno Christi 412 inierat, et a. 435 mortuus est. Opera plura, *Epistolas* præsertim, scripsit vir doctus et acer orthodoxæ fidei defensor; de quibus

tium lata, « ne monachus qui neque presbyter est neque diaconus, audeat unquam Eucharistiam porrigere : » ܕܝܪܝܐ ܕܠܐ ܩܫܝܫܐ ܗܘ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ ܠܐ ܢܡܪܚ ܕܢܬܠ ܩܘܪܒܢܐ . Illum autem usum, a primis Christianismi sæculis inductum, ad nostros usque dies perseverasse testantur quicumque de hac materia scripserunt. Neque id Syris tantum proprium est, siquidem apud Græcos hodieque cœnobitæ in duas discernuntur classes, quarum altera *μοναχούς*, *ἱερομονάχους* altera complectitur.

Ex dictis igitur liquet, etiamsi daretur auctorem, in inciso de quo nobis sermo est condendo, ad monachos, collegas suos, respexisse, interpretationem nostram nullo modo labefactari. — Cæterum cum de hac viros doctissimos Bickell et Sasse contrarios nobis habeamus, eam quisque sententiam seligat, quæ sibi magis arriserit. Ab ipsis equidem propter rationes expositas absque temeritate dissentiri posse opinor; et ideo, argumento quod ex hac propositione pro Sapientis Persæ dignitate deducunt seposito, satius habui aliud, quamvis minus expeditum nec tam paucis verbis comprehendendum, ex iis quæ scribit auctor et ex modo quo de universo clero agit colligere atque concinnare.

**ARTICULUS II.**

## *De statu monastico Aphraatis.*

Georgius, Episcopus Arabum, qui, in suo ad Josuam reclusum responso, affirmat atque demonstrat Sapientem

videsis Wright., *Catalog. of the Syr. Mss.*, III, p. 1317. Quæ hic ex Assemano commemoratur prohibitio, ea desumpta est ex legibus quas de cleri et regularium moribus edidit cum hac inscriptione : ܦܘܩ̈ܕܢܐ ܘܐܘܗ̈ܪܐ ܕܥܠ ܟܗ̈ܢܐ ܘܩ̈ܝܡܐ ܡܗܝܡܢܐ ܕܩܘܪ̈ܝܐ .

Persam clero fuisse adscriptum, docet etiam et internis itidem argumentis probat (1) eumdem in statu monastico vixisse. Et re quidem vera, initio *Epistolæ XVIII*, qua disputat *contra Judæos de virginitate et de continentia* (2), ostendit Aphraates seipsum virginitatis voto Deo sacratum fuisse. Cujus verba ipsa legere haud injucundum fore arbitror, ideoque ea hic subjecta volo (3) :

ܪܢܳܐ ܐܢܐ ܕܐܦܫܘܩ ܫܥܫܥܐ ܘܐܦ ܥܠ ܗܕܐ ܕܐܠܨܐ ܠܝ . ܥܠ
ܗܢܐ ܩܝܡܐ ܩܕܝܫܐ . ܘܒܬܘܠܘܬܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ ܕܡܫܡܫܝܢ ܒܗ .
ܕܡܛܠܬܗ ܦܓܪܗܘܢ ܘܙܢܝܘܬܗܘܢ ܕܦܪܝܨܘܬܗܘܢ ܡܬܟܫܠܝܢ ܒܗ ܠܥܡܐ
ܝܗܘܕܝܐ . ܘܡܛܥܝܢ ܘܡܙܝܥܝܢ ܠܪܥܝܢܐ ܕܐܢܫܐ ܦܫܝܛܐ ܘܗܕܝܘܛܐ .

« Propositum mihi est, amice, ad te sermonem etiam instituere de re quam prætermittere non possum, de sacro scilicet pacto, seu (4) de virginitate et continentia in qua vivimus. Hac enim, propter corporum suorum libidinem atque lasciviam, offenduntur Judæi; qui et hominum simplicium imperitorumque mentes commovent atque seducunt. » Asserit igitur auctor se ducere vitam ab omni voluptate carnali alienam et insuper quominus ab eo instituto recedat pacto seu fœdere cum Deo intio (ܩܝܡܐ ܩܕܝܫܐ), id est, voto, prohiberi. Istud autem votum ex emissa vitæ monasticæ profes-

(1) Ap. Wright., *op. cit.*, pp. 20 et 21; supra, p. 12.

(2) Cur vocem ܩܕܝܫܘܬܐ per *continentiam* reddiderim vid. sup., p. 13, n. 4.

(3) Wright., p. ܫܠܗ.

(4) ܘܒܬܘܠܘܬܐ . Quod hic præponitur ܘ non *conjunctivum*, sed *exegeticum* est, et quædam occurrit *hendiadys*. Dum enim loquitur Aphraates *de sacro pacto, seu de virginitate et continentia*, nihil aliud significat nisi *virginitatem et continentiam, ad quam quis pacto seu voto sese obstrinxit*.

sione repetendum esse quisque sibi facile persuadebit, si ad hæc animum advertere velit quæ in *Dissertatione de monachis*, § 4, leguntur (1) : ܡܛܠ ܗܢܐ ܐܚ̈ܝ . ܐܢ ܓܒܪܐ ܒܪ ܩܝܡܐ ܐܘ ܩܕܝܫܐ ܕܪܚܡ ܝܚܝܕܘܬܐ . ܘܨܒܐ ܕܐܢܬܬܐ ܒܪܬ ܩܝܡܐ ܕܐܟܘܬܗ ܬܥܡܪ ܥܡܗ . ܗܘܐ ܦܩܚ ܠܗ . ܕܐܢܬܬܐ ܢܣܒ ܓܠܝܐܝܬ . ܘܠܐ ܢܬܡܪܚ ܒܪܓܝܓܬܐ . ܘܐܦ ܐܢܬܬܐ ܙܕܩ ܗܘܐ ܘܠܐ ܠܗ . ܕܐܦ ܠܒܪ ܓܒܪܐ ܝܚܝܕܝܐ ܠܐ ܦܪܝܫܐ . ܝܚܝܕܐܝܬ ܠܓܒܪܐ ܢܗܘܐ . ܐܢܬܬܐ ܥܡ ܐܢܬܬܐ ܬܗܘܐ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܘܓܒܪܐ ܥܡ ܓܒܪܐ ܙܕܩ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܘܐܦ ܓܒܪܐ ܐܚܪܢܐ ܕܒܢܝ ܩܝܡܬܐ ܗܘܐ . ܡܫܟܚܘܬܗ ܠܒܝܬܗ ܠܐ ܬܬܒܪ . ܕܠܐ ܢܗܘܐ ܠܗ ܠܡܥܠܗ ܡܟܫܠܐ . ܘܢܫܡܫ ܠܗ ܓܒܪܐ . ܡܛܠ ܗܢܐ ܡܬܚܢܢܐ . ܐܢܐ ܘܐܦ ܡܦܝܣ . ܕܡܠܟܐ ܐܢܐ ܠܢܦܫܝ . ܕܐܦ ܠܟܘܢ ܩܕ̈ܝܫܐ ܡܬܒܥܝܐ . ܕܩ̈ܝܡܐ ܠܐ ܢܫܡܫ . ܘܩܕ̈ܝܫܘܬܐ ܕܓܒܪ̈ܐ ܠܐ ܗܘܝܢ . ܘܐܝܠܝܢ ܕܪܚܡܝܢ ܩܝܡܘܬܐ . ܥܡܝ ܘܐܪܒܥ ܘܡܠܐ . ܕܐܦ ܒܡܘܟܠܢܐ ܠܗܘܐ ܒܪܝܬܐ . ܒܫܘܪܗܘܢ ܠܗܘܐ . ܘܗܘܢܐ ܡܠܐ ܠܗ ܠܡܟܟܠܟܢ . ܐܝܟ ܕܢܠܡܘܢ ܒܐܪܥܐ ܠܒܫܐ . ܕܢܗܘܢ ܓܒܪܐ ܕܫܡܫܘܢ ܠܡܪܝ ܒܡܟܠܬܗ . ܘܠܐ ܒܫܘܪܗܘܢ ܕܬܠܬܝܢ . ܡܛܠ ܕܒܥܠ ܠܠܘܗܝ ܠܡܪܝ . ܘܗܢܐ ܓܒܪ ܐܢܐ ܡܫܡܫ . ܠܟܠܝ ܕܫܡܫ ܠܡܪܗ ܕܡܫܡܫܐ . ܕܢܬܝܒ ܠܡܪܗ ܒܩܕܝܫܘܬܐ ❖ « Propterea, fratres mei, si vir aliquis vota religionis Deo nuncupaverit, seu monachus sit, et suum statum diligat, velit autem ut mulier, Deo et ipsa obligata, secum habitet, illi utilius esset uxorem palam ducere

(1) Ap. Wright., p. ܩܢܐ .

nec libidine turpi seduci. Itemque mulieri, nisi a monacho discedat, consultius est ut publice nubat. Fœminam igitur cum fœmina, virum cum viro habitare decet. Maritus etiam qui continentiam servare statuit, seorsum ab uxore habitet, ne revertatur ad priorem vivendi rationem et inter adulteros computetur. Quamobrem hoc est consilium honestum, conveniens ac pulchrum, *quod do et mihi et vobis*, carissimi, monachi, qui uxores non ducitis, virgines, quæ innubæ permanetis, vosque omnes qui continentiam diligitis (1) : justum, decens atque decorum est unumquemque, etiamsi afflictione prematur, solitarium manere. Eo namque modo convenit singulos habitare, de quo apud Jeremiam prophetam (2) : *Beatus vir qui jugum tuum in adolescentia sua portabit! Sedebit solitarius et tacebit, quoniam jugum tuum in se susceperit*. Ita igitur decet, carissimi, ab eo qui Christi jugum portat hoc in puritate servari. »

Dum itaque Aphraates consilium ad monachos tantum et moniales, ut ex ejus verbis patet, directum, ad se quoque pertinere, sibique utile esse affirmat, seipsum in monachorum censum manifesto refert.

Neque opponi posset, ad vim argumenti destruendam aut elevandam, consilium illud, juxta contextam orationem, etiam conjugibus destinari, quorum, superstite utroque contrahentium, firmum staret matrimonium. Quæ enim loco citato de *marito* et *uxore* inseruntur, intelligenda sunt, ipso Aphraate teste, de ejusmodi conjugibus, qui, ut in primæva Ecclesia passim fiebat,

(1) ܘܐܦ ܟܠܟܘܢ ܕܪܚܡܝܬܘܢ ܩܕܝܫܘܬܐ. « *Vosque omnes qui continentiam diligitis.* » De hujus incisi sensu videsis quæ sup., p. 13, sub numeris 3 et 4 notavimus.

(2) *Thren.* III, 27, 28.

manente vinculo matrimoniali, ex mutuo consensu « continentiam servare statuerant », et, voto ea de re emisso, vitam asceticam vere erant amplexi; unde si unquam eos ab incœpto desistere et ad consuetudinem conjugalem reverti accideret, ipsis, perinde ac omnibus votorum violatoribus « adulterii » nota inurebatur et nomen, quia, docente S. Cypriano, *Epistola LXII ad Pomponium*, mulier (idem autem sit de viro judicium), « quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est (1). »

Seipsum monachis iterum annumerat Sapiens Persa, quum, *Dissertationi de pœnitentibus* finem jamjam impositurus, quæ in illa conscribenda sibi fuerit mens, quis scopus, sic aperit (2) : ܗܠܝܢ ܡܠܟܝܢ ܡܠܟܬ ܠܟܝ ܫܡܥܬ . ܡܛܠ ܕܩܕܡ ܕܢܦܠ . ܐܢܫ ܕܡܩܝܡܝܢ ܠܢܦܫܗܘܢ . ܕܠܗܘܢ ܫܬܝܢܐ . ܨܒܘ ܒܬܘܠܐ ܘܩܕܝܫܐ . ܘܒܥܝܢ ܫܠܝ ܐܝܟܢܐ ܠܡܫܟܚ ܟܠܠܗܘܢ . ܘܗܘ ܟܠܠܗܘܢ ܠܡܫܟܚܢ ܡܬܒܥܐ . ܕܠܗܘܢ ܠܒܢܝܐ ܕܢܦܩܝܢ ܡܢܗ . ܘܐܝܬ ܡܢܝܢ ܕܡܬܚܣܢܝܢ ܘܒܠܠܝܢ . ܘܡܢ ܚܒܪܐ ܐܢܘܢ . ܠܢܦܫܗܘܢ ܡܙܝܢܝܢ . ܘܐܦ ܫܘܒܚܗܘܢ ܡܒܠܝܢ ܫܠܝ . ܗܢܘܢ ܗܠܝܢ ܕܒܗܘܢ ܢܒܠܐ ܡܬܡܠܝܢ . ܘܠܐ ܝܕܥܝܢ ܕܠܬܪܥܘܗܝ ܠܡܬܒܥܐ . ܘܡܠܟܐ ܒܫܘܬܦܗܘܢ ܡܫܬܡܥܝܢ ܡܛܠ ܕܐܬܐ ܟܢܫܐ . ܘܠܐ ܠܒܢܝܢ ܠܒܢܝܬܐ ܟܬܒܬ . ܘܐܝܬ ܟܘܠ ܕܩܕܝܐ ܒܫܒܠܘܬܗ . ܘܟܬܒܬܐ ܠܐ ܫܒܩܝܢ ܠܗ .... « Hæc omnia scripsi tibi, amice mi, quia ætate hac nostra plures sunt qui, statum monasticum amplexi, sese Deo obligarunt atque consecrarunt. Et bel-

(1) Cfr. Antonellus, *Opera S. Jacobi Nisibeni*, p. 208, not. 2.
(2) Ap. Wright., p. ܩܠܐ .

lum gerimus adversus hostem nostrum, hoc ipso vicissim contra nos pugnante, ut nos ad illud vivendi genus quod deseruimus reducat. Quidam autem ex nobis vincuntur vulneranturque, et, quamvis reorum delicta manifesta sint, ipsi, sese justos fingentes, in hoc suo consilio perseverant nec resipiscere volunt ; hinc propter pudorem (1) suum secundam obeunt mortem, neque illius recordantur qui scrutatur conscientias. Alii vero peccatum confitentur, sed ad pœnitentiam non admittuntur ........ »

In hoc loco, viros illos, qui sese Deo per susceptam vitam monasticam devinxerunt, eosdem esse, ex auctoris mente, cum iis qui dein pugnare et impugnari dicuntur, quorumque nonnulli cadunt pedemve referunt, certo certius est : si enim contra obvium verborum sensum poneres, non ipsos illos ascetas ab infensissimo omnis boni hoste lacessi et ad desertionem sui status sollicitari, jam non intelligitur quinam homines vel quam ob causam bellum gerant, quidnam insuper sibi velint illa nonnullorum clades vulneraque ; paucis, orationis nexus nullatenus sibi constat. Sin autem ita textum interpreteris ut monachi, non alii quicumque, et impeti perhibeantur, et impetum vario successu sustinere, omnia perspicua fiunt, apteque cohærent. Porro Aphraates aperte significat in eorum acie se versari qui belli casus subeunt et pericula : « Bellum *gerimus*, inquit, adversus hostem *nostrum*, hoc vicissim contra *nos* pugnante, ut *nos* ad illud vivendi genus quod *deseruimus*

(1) ܒܗܬܬܐ nomen, a radice ܒܗܬ, *erubuit*, derivatum, notat et *pudorem*, et pudoris causam seu *fœditatem*. Uterque sensus hic admitti posse videtur. Sermo proinde est vel de *peccato* aliquo monachorum, vel de *rubore* quo peccatores impediuntur ne culpam agnoscant et pœnitentiæ actibus eam expiandam curent.

reducat. Quidam autem ex *nobis* vincuntur..... » Quum igitur alii non sint isti milites seu bellatores spirituales ab iis « qui, statum monasticum amplexi, sese Deo obligarunt atque consecrarunt, » in horum censum Sapientem Persam referas necesse est.

Sed hæc ea de re satis sint.

Quæri tamen adhuc ab aliquo posset, cum ex argumentis intrinsecis constet auctorem nostrum, dum *Epistolas* scriberet, cœnobitam fuisse, unde et quî fiat ut, de eodem tempore agentes, ei episcopales infulas asserere conati simus. Respondemus, illa duo adeo inter se non pugnare, ut contra facili atque obvia explicatione prius cum altero componi queat. Omnes enim norunt jam primis post religionem christianam propagatam sæculis monachos ad episcopatum frequenter promotos esse; qui mos ita, tempore progrediente, in ecclesia orientali invaluit, ut, præsertim inde a concilio Trullano, anno 692 habito, pauci admodum sint ex sacerdotibus sæcularibus, qui Præsules constituantur. Quemadmodum autem qui hodie sive apud Græcos, sive etiam apud Latinos, e cœnobio ad diœcesim regendam assumuntur, non dicendi sunt religionis vota ex necessitate abjicere, nisi quatenus forsan eorum adimpletio muneri novo susceptisque officiis contraria sit, ideoque alteram illi dignitatem accipiunt, priorem non amittunt; ita Aphraati, ad episcopalem provecto cathedram, adhuc cœnobitis se annumerare, hosque ut socios atque commilitones alloqui licuit, eo vel magis quod commune quasi contubernium cum fratribus usque servavisse videatur. Eum namque in monasterio S. Matthæi sedem habuisse suam tanquam verisimillimum supra (1) admisimus.

(1) Cfr. p. 79.

## ARTICULUS III.

*Refelluntur qui Aphraatem S. Ephræmi discipulum fuisse asseruerunt.*

Ex iis quæ in capite secundo disseruimus de tempore quo Sapiens Persa floruerit et de loco ubi vixerit tam aperte sequitur eum non posse discipulis S. Ephræmi annumerari, ut fere supervacaneum videatur de hac re seorsum disputare. Quoniam tamen quidam, teste Josua recluso apud Georgium, Arabum Episcopum (1), olim exstitere, qui Aphraatem magni doctoris Syrorum auditorem fuisse comminiscerentur, quam procul ista assertio a veritate historica distet paucis ostendere liceat. Quæ autem huc spectant ad triplex redigemus argumentum.

### § 1. ARGUMENTUM EX AUCTORITATE DESUMPTUM.

Imprimis consideratione dignum est silentium auctorum antiquiorum qui de Ephræmi gestis et doctrina scripserunt. Nullum inter eos reperire est, qui Sapientis Persæ vel mentionem injiciat.

Ante alios commemorandus est scriptor anonymus *Actorum*, qui sic loquitur (2) : ܘܐܬܬܠܡܕܘ ܠܗ ܣܓܝܐܐ ܘܗܘܘ ܠܗ ܬܠܡܝܕܐ. ܡܫܒܚܝܢ ܐܢܫܝܢ ܗܘ ܕܐܡܠܬܗܘܢ ܗܘܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܒܥܕܬܐ ܕܐܘܪܗܝ. ܘܐܝܢܐ ܕܫܡܗ ܐܒܪܗܡ. ܘܐܝܢܐ ܕܡܠܦܢܐ ܡܫܬܡܗ. ܘܐܝܢܐ ܕܫܡܗ ܐܒܝܪܘܢ. ܘܐܝܢܐ ܕܠܐ ܡܬܡܢܝܢ ܡܢܝܢܗܘܢ. ܣܓܝ ܕܝܢ ܠܡܟܬܒ ܦܘܫ ܠܬܠܡܝܕܐ

(1) Vid. sup., p. 16.
(2) *Bibl. Or.*, I, pp. 38 et 39.

[illegible]

[illegible] .

« Ab ipso edocti sunt multi et facti ejus discipuli, inter quos *Zenobius*, qui fuit ecclesiæ Edessenæ diaconus, *Isaacus*, *Simeon*, *Abrahamus*, et alii quorum nomina omittimus. Unicuique autem ex ejus discipulis concessum fuit donum, quo conscriberet sermones ac commentaria; et, divino illustrati splendore, multos ab errore reduxerunt. » Iis qui hucusque nominati sunt addit codex Parisiensis (1) *Asunam*, ܐܣܘܢܐ, et *Julianum*, ܝܘܠܝܢܐ .

In *Testamento* suo (2) appellat B. Ephræmus hosce discipulos : *Abam*, *Abrahamum*, *Zenobium*, *Maram* et *Simeonem*, quibus fausta omnia apprecatur; dein *Paulonam* et *Arovandrum* seu *Aratorem*, quibus, eo quod a recta veritatis christianæ semita defecissent, maledicit.

De eadem re hæc tradit Sozomenus (3) : « Dicitur quoque (Ephræmus) multos habuisse discipulos, qui doctrinam ejus studiose æmulati sunt, inter quos nobilissimi fuerunt *Abba*, *Zenobius*, *Abraham*, *Maras*, atque *Symeones* : quibus Syri et quicumque apud Syros exquisitioris doctrinæ studiosi fuerunt, magnopere gloriantur. Non secus *Paulonam* et *Aranad* eloquentiæ causa celebrant; eos tamen a vera fidei doctrina aberrasse dicunt. » Porro *Aranad* idem est, J. S. Assemano judice, qui supra *Arovander* seu *Arator* appellatur. Manifestum

(1) Codicis hujus apographum perhumaniter mecum communicabat cl. Lamy.

(2) Cf. B. O. I, 38, in nota; item 141, seqq. Integer autem *Testamenti* tenor, adjectis lectionibus variis, tibi prostat *Opp.* tom. II; idemque documentum ad alterius codicis fidem denuo edidit Overbeck, Oxonii, 1865.

(3) *Hist. eccl.* lib. III, cap. 16.

igitur est, ab historicis tum Syris, tum Græcis, qui, Ephræmi temporibus proximi, discipulos ejus maxime conspicuos recensent, imo ab ipso S. Doctore altum de Sapiente Persa servari silentium; quod utique vix aut ne vix quidem intelligi posset, si hic fuisset illius auditor : ex omnibus enim qui nominatim designantur neminem novimus, qui, sive scriptis de re religiosa editis, sive alio modo, æque ac Aphraates sese bonorum memoria dignum præbuerit.

### § 2. ARGUMENTUM DUCTUM EX DIVERSITATE DOCTRINÆ ET MODI SCRIBENDI.

Scite advertit Georgius gentium (1), Sapientem Persam, quoad doctrinam et docendi modum, a S. Ephræmo tantum distare ut etiam ex hoc discrimine levitatis convinci queant qui alterum prioris magistrum fuisse somniati sunt. Isthæc autem diversitas intelligenda est tum de sententiis et variis disciplinæ theologicæ vel exegeticæ capitibus, tum etiam de stilo et externa dicendi forma, cum Ephræmus ligatam orationem, eamque metaphoris et omnibus poeseos ornamentis atque leporibus refertam, sæpissime adhibeat, Aphraates vero sermone ubique soluto, minusque in universum compto ac splendido utatur.

Quod ad res ipsas attinet, longe utique præcellit Doctor Nisibenus materiarum multitudine et varietate : quippe qui non modo dedit continua in omnes V. et N. T. libros *Commentaria*, verum etiam *Odas*, *Carmina* et *Hymnos* conscripsit de innumeris fere argumentis ad

(1) Vid. sup., p. 16.

religionem moresve spectantibus, v. g., *de universis Christi Domini festis*, *de fide et Ecclesia*, *de virginitate et jejunio*, *de Virgine Maria*, *de confessoribus*, *de beato Josepho*, *de Juliano Saba et Abrahamo Khidunensi*, *de civitatis Nisibenæ fatis et calamitatibus*, *adversus hæreses*; quibus addendi sunt *Hymni parænetici* et *Sermones* permulti, tum metrica, tum pedestri oratione concinnati (1). Porro in pluribus operum suorum locis errores dogmati catholico oppositos vehementer insectatur, solidisque confutat rationibus. Vix ulla nominari posset secta ipso anterior, quam non impugnaverit, vix aliquis hæresiarcha, quem non notaverit atque suggillaverit, stilo suo acri, purum fidei amorem spirante (2) : Valentinianos, Bardesanitas, Cuchitas, Marcionitas, Manichæos, Aria-

(1) *S. Ephræmi Syri opera* ex Codd. Vaticanis syriace, græce et latine ediderunt P. Benedictus S. J. et Stephanus Evodius Assemanus, Romæ, 1732-1746, 6 vol. in-fol. Quomodo materiæ diversæ ibi tractatæ in classes aliquot apte distribui queant vide *Bib. Or.* I, pp. 55-164. Insuper ex Codd. Nitriensibus, qui in Museum Btritannicum ante annos fere 35 illati fuere, *S. Ephræmi Syri Carmina Nisibena* primus edidit, vertit, explicavit G. Bickell, Lipsiæ, Brockhaus, 1866; item *S. Ephræmi Syri, Rabulæ, Episcopi Edesseni, Balæi aliorumque opera selecta* primus edidit J.-J. Overbeck, Oxonii, 1865; adjecit ex Codd. Romanis Zingerleius tum *Sancti Patris Ephræmi sermones duos*, Brixen, Weger, 1868, tum alia quædam, quæ *Monumentis Syriacis ex Romm. Codd. collectis* (tom I, OEniponti, Wagner, 1869) inseruit. Dedit etiam Martin volumen autographicum quo Doctoris Nisibeni *Hymnos de Abrahamo Khidunensi* complexus est. Necdum tamen exhausta est ampla illa messis quæ ex Musei Britannici aliarumque bibliothecarum monumentis colligi potest. Quare Londini nuper descripsit cl. Lamy nova Ephræmi anecdota, *Hymnos* videlicet *de Nativitate Christi*, *de Epiphania*, *de sacra cœna*, *de crucifixione*, *de resurrectione*, *de jejunio*, *de Beata Virgine*, *de martyribus*, *de Juliano Saba*; *Sermones* item bene multos et *Commentaria* in plures Scripturæ libros. Quæ omnia translatione Latina notisque illustrata prodibunt. Nec diuturna jam erit virorum litteratorum exspectatio : dum enim hæc scribo, volumen primum prælo subjacet.

(2) Cfr. B. O. I, 118-132.

nos, Aetianos seu Eunomianos, Paulinianos, Sabellianos, Photinianos, Borboritas, Catharos, Audianos, Messalianos memorat et refellit, neque Chaldæos sive Astrologos omittit. Quoad Aphraatem vero, multum abest ut tam multa tamque diversa protulerit. Neque carmina, quæ quidem ad nos pervenerint, composuit unquam, neque ullum Scripturæ librum ab initio ad finem, sed quædam tantum loca et effata, data occasione, interpretatus est. In *Homiliis* quæ ipso auctore prodiere et ad nos transmissæ fuere, late disputat contra Judæos; aliqua etiam adversus Chaldæos et artes magicas, itemque adversus Manicheismum et hujus hæreseos propagines passim inserit; at de Arianismo sectisque affinibus, quas Ephræmus, suadentibus temporum adjunctis, speciali quodam ardore semper impugnavit, ne ullum quidem verbum habet.

Præterea vero in Sapientis Persæ *Epistolis* occurrunt singulares quædam sententiæ quæ doctrinæ ipsius indolem magis circumscribunt et illam a Doctoris Nisibeni placitis plurimum differre ostendunt. Talis est opinio juxta quam mundus post sex annorum millia ab ejus exordio computanda destruendus esset (1). Huic enim errori, quem ex prava aliquot testimoniorum S. Scripturæ explicatione ortum, haud pauci ex antiquis Patribus amplexi erant, calculum adjicit Aphraates in *Epistola de charitate* (2); ejusdem vero vel leve vestigium apud S. Ephræmum frustra quæsieris, qui tamen novissima omnia, uti *judicium*, *resurrectionem mortuorum*, *secundum Christi adventum*, *antichristum et consummationem sæculi*, carminibus celebravit.

(1) Vid. sup., p. 28 seqq.

(2) § 13; ap. Wright., p. ܟܗ .

Adduci possent alia nonnulla auctoris nostri asserta vel obscura admodum, vel etiam cum doctrina catholica ægre concilianda, quæ nec Georgium gentium latuere(1). Sed, reliquis omissis, unum adhuc commemorabimus, tanto majoris momenti quanto arctius cum fidei deposito cohæret. Iis continetur quæ disserit Aphraates de animæ immortalitate, vel potius de conditione animæ mortem inter et resurrectionem corporum. Cujus quidem quæstionis fusiore expositione in aliud tempus dilata, hoc interim monemus, ex Sapientis Persæ sententia, animam humanam post mortem cum corpore et in corpore sepeliri, et, in statu quodam somno simili constitutam, neque externarum, neque internarum rerum sensu commoveri, donec et ipsa, die resurrectionis, suscitetur atque ad æternam beatitudinem, si digna fuerit, admittatur. Quæ quantum a vera Ecclesiæ fide aberrent nemo non videt. Nec minus aperte pugnant cum certissima Diaconi Edesseni doctrina, quam cum alibi passim, tum speciatim ejus *Necrosimis* et *Hymnis de paradiso* (2) delineatam reperies.

Ne quis autem, re parum accurate inspecta, suspicari possit Ephræmum Aphraati consentire, docendo piorum animas nonnisi post resurrectionem beatas fore, antea vero una cum corpore quasi somno oppressas esse, quæ ad hujus quæstionis explanationem tradit cl. Bickell hic fere ad verbum exscribere libet (3).

S. Doctor alicubi (4) tempus a morte ad resurrec-

(1) Cfr. sup., pag. 40 seqq.
(2) Cfr. *Opp.* edit. Rom. III, pp. 225-359, 562-598; *Carm. Nisib.* hymn. XXXV-LXXVII.
(3) Cfr. *Carmina Nisibena*, prolegg. p. 24 seqq.
(4) Edit. Rom. *Opp.* III, 225, b.

tionem usque comprehensum *somnum* vocat; justis *in die resurrectionis* æternam felicitatem hæreditate obventuram (1), Moysen et Adamum *per resurrectionem* in paradisum venturos esse (2) docet; denique *omnibus unam viam esse usque ad resurrectionem*, tum autem duas propositas esse, alteram ad Eden, in ignem alteram (3), testatur. — Hæc autem effata, ait Bickell (4), nullam afferunt difficultatem cujus enodatio non sit in promptu. Quid enim *somni* nomine significaverit, Ephræmus ipse explicat ubi ait (5), pie defunctos non mortuos esse, sed dormire, quia vivi et rationabiles sunt. Sic nempe monachum qui e vivis excessit compellat :

ܠܘ ܡܝܬܐ ܐܢܬ ܐܘ ܢܟܦܐ : ܚܝܐ ܐܢܬ ܐܦ ܡܡܠܠܐ . ܕܡܟܝܢ
ܐܢܘܢ ܠܘ ܡܝ̈ܬܐ : ܐܝܠܝܢ ܕܫܢܝܘ ܒܡܫܝܚܐ .

« Non mortuus es, o vír castitatis amans (6), vivis adhuc et ratione præditus es; dormiunt, non sunt mortui qui in Christo decesserunt. » Somnus igitur ille, de quo non semel apud sacrum vatem agitur, haudquaquam ejusmodi est, ut rationis usum tollat et propriæ exstinguat conscientiam personæ : corpus solum mors afficit et suis constringit vinculis, corporis demum, leto adveniente, actus interrumpuntur; mens vero, deposita licet dissolutaque membrorum compage, nunquam sopitur; nunquam torpet animi vis vitalis. — Alia asserta ex sequentibus plenam suam solutionem accipient. Ante

(1) Ibid., 270, a.
(2) Ibid., 572, e.
(3) *Carm. Nisib.*, hymn. LXXIII, str. 4.
(4) Op. et loc. citt.
(5) *Opp.* III, 258.
(6) ܢܟܦܐ . Videsis quæ de hujus vocis sensu sup., p. 9, sub n. 2 notavimus.

omnia nobis quærendus est locus ubi S. Doctor ex professo suam de animæ corporis expertis statu sententiam profert. Hic est *Hymnus VIII de paradiso*, ed. rom. III, 586-588. Ibi poeta primo latronis meminit cui Dominus paradisum promisit, magnoque inde gaudio perfunditur. Tum vero dubitatio ei exoritur, num revera anima a corpore soluta in paradisum intrare valeat, et id fieri posse negat, eo quod nihil manci aut imperfecti illuc admittatur. Mox autem subjungit, Christum, in suo ad inferos descensu, Adamum cum cæteris justis ex hade liberasse et « *in paradisum adduxisse, in amœnas scilicet mansiones ad ejus sepem sitas, ubi animæ eorum habitant et corpora sua exspectant* : » . ܘܐܥܠܗ ܠܦܪܕܝܣܐ .
ܘܐܫܪܝ ܡܘܬܒܐ . ܫܦܝܪܐ ܕܣܝܓܗ . ܠܢܦܫܬܗܘܢ ܫܪܝܢ .
ܕܐܢܫܐ ܘܪܘܚܐ . ܘܡܣܟܝܢ ܠܟܠ . ܠܦܓܪܐ ܕܩܝܡܬܗܘܢ .
Hic asserit S. Ephræmus, justos ante resurrectionem *extra paradisum* et *in paradiso* esse; quam apparentem contradictionem ita solvit, ut eos in pulchra quadam regione, ad sepem paradisi sita, habitare dicat. Hunc enim in tres regiones dividit (1) : *infimam*, quam marginem, ܫܘܦܐ, aut sepem, ܣܝܓܐ, nominat, *mediam*, et *summam* seu *altitudinem*. Nihil ergo aliud sibi vult, quam animas a corpore sejunctas nondum ad summam beatitudinem in editissima paradisi parte possidendam accedere posse, sed in inferiore ejus parte, quam sepem appellat, usque ad resurrectionem manere (2). At hæc

(1) Cfr. *Opp. syr.* III, 567, f; 568, a; 572, f; 573, a; — Uhlemann, in Illgenii *Zeitschr. für hist. Theologie* I, 156.

(2) Attamen et post resurrectionem qui in pietate et virtutibus non satis strenui fuerint, in hac inferiori regione remanent; quam proinde solam pro sua humilitate Ephræmus ipse sibi exoptat.

etiam inferior paradisi pars seu sepes regio est tam beata, juxta ipsum, ut vel vilissimus illius thesaurus omnibus mundi thesauris pretiosior sit. Itaque nullo modo a doctrina catholica deviat, quæ asserit beatitudinem sanctorum per recuperationem corporis magnopere aûgeri.

Hanc esse mentem S. Ephræmi probant et alii loci plurimi, quibus animas sanctorum statim post mortem visione beatifica frui et paradisum inhabitare affirmat (1). « *Animæ justorum*, ait, *vivæ et rationabiles in Eden servantur a Creatore, corpora autem servantur in terra, tanquam depositum restituendum ;* » ܢܦܫܬܗܘܢ ܚܝܬܐ ܘܡܠܝܠܬܐ : ܒܥܕܢ ܢܛܪܐ ܠܒܪܘܝܐ . ܘܦܓܪܐ ܒܐܪܥܐ ܡܬܢܛܪܝܢ : ܐܝܟ ܦܘܩܕܢܐ ܠܡܬܦܢܝܘ . — « Anima defuncti in cœlo excipitur et tanquam unio in coronam Christi inseritur ; — Deus defunctum per mortem ad lucem adduxit, ubi ab angelis et sanctis qui præiverunt exspectatur ; — mortuus a Domino abductus et jam in regnum cœlorum adductus est ; — defunctus jam nunc apud Deum et sanctos ejus commoratur ; — angeli animam demortui abstulerunt et in regnum cœlorum Eden portaverunt, ubi Abrahamus ei obviam se fert, portamque paradisi aperit ; — anima defuncti ab angelis in paradisum, in mansionem luminis, ad justos defertur ; — pueri ante resurrectionem in Eden servantur ; — post mortem corpus quidem in terra manet, anima autem in paradisum aut in gehennam abit ; — animæ omnium sanctorum exspectant corpora sua in

(1) *Opp. Syr. S. Ephr.* III, 225, d; 234, f; 233, a; 239, f; 255, c; 273, c; 275, c, f; 291, f; 293, d; 300 b-d; 325, e — 326, a; 336, f; 337, d; 576, d.

horreo vitæ (ܐܘܨܪ ܚܝ̈ܐ);—mortuus sanctum suum corpus in terra reliquit, sed anima ejus apud angelos habitat et pro nobis orat;—sicut infantes per nativitatem e tenebris in lucem perveniunt, ita etiam defuncti per mortem e terra ærumnosa in hortum deliciarum commigrant. » Tandem in *Hymno Nisibeno* LXXIII, str. 1, clarissime testatur auctor animas sanctorum jam ante resurrectionem in cœlo esse, cum dicat: ܗܐ ܠܬܚܬ ܐܪܥܐ ܚܒ̈ܝܒܝ . ܦܓܪ̈ܐ ܕܩܒ̈ܝܪܐ . ܘܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܙܕܝ̈ܩܐ . ܗܐ ܛܥܝܢܝܢ ܬܪ̈ܝܢ ܠܬܪ̈ܝܗܘܢ . ܦܘܩ̈ܕܢܐ ܕܒ̈ܢܝ ܐܢܫܐ . ܐܪܥܐ ܘܫܡܝܐ ܩܒ̈ܠܝܢ . ܐܢ ܡܬܛܠܡܝܢ ܙܕܝ̈ܩܐ . « *Ecce sub terra, charissimi, sunt cadavera sepultorum, et in cœlo sunt justi* (1). *Hæc enim duo loca portant deposita hominum; terra igitur et cœlum reclamarent, si justi resurrectione fraudarentur.* »

Quod jam antea ex *Hymno VIII de paradiso* didicimus, animas justorum ante Christum in hade detentas per ejus descensum ad inferos liberatas et in paradisum perductas esse, similiter docet Ephræmus tom. III *Opp.*, 312, b; additque eorumdem corpora postea suscitanda (2). De impiis vero idem ac de beatis tradit, scilicet eorum sortem definitivam jam ante resurrectio-

(1) ܘܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܙܕܝ̈ܩܐ . « et in cœlo sunt justi. » — Notandum hic est, monente Bickell, in optimis quidem codicibus A et B ita legi, sed codicem C, qui de industria mutare solet, hæc habere: ܗܐ ܠܥܠ ܕܝܢ ܒܫܡܝܐ . ܙܕ̈ܩܝܢ ܘܨܠܘ̈ܬܢ . « superne autem, in cœlo, sunt eleemosynæ et precationes nostræ; » sine dubio quia hujus scriptor recentiorum Orientalium errori circa animarum statum favebat. Posteriorem autem lectionem falsissimam esse jam inde patet quod stropham uno versu superfluo auget.

(2) Similia leguntur *Opp. Syr.* III, 280-281; 303, c-d; 304; d-f; 313, e; 347, c; 511, e; et in *Carmin. Nisib.* XXXVI, str. 12; XXXVIII, 1, 5; XXXIX, 2, 4, 6, 9, 18; XLI, 15.

nem et judicium universale post ipsam mortem incipere (1). Denique ad demonstrandum animas sanctorum corpore solutas ex Ephræmi sententia et rationis plenum usum habere, et arctissime cum Deo conjunctas esse, firmissimum sane argumentum in eo prostat quod doceat ille, sanctos, præcipue S. Mariam (2), a fidelibus invocandos esse et statim a morte sua apud Deum pro hominibus intercedere, eisque suo suffragio opitulari posse (3). Non autem omnes defunctos ad felicem hanc conditionem continuo pervenire contendit, sed animas nondum ab omnibus peccati maculis purgatas in purgatorio detineri, ibique bonis operibus et precibus superstitum necnon sacrificio incruento adjuvari affirmat (4).

Hucusque Bickell. Ex quo ista in compendium redacta attulimus, ut pateat miram illam Aphraatis sententiam de somno, quo animæ mortem inter et judicium universale velut involutæ maneant, nullatenus S. Ephræmo probari, multo minus ex ejus operibus vel doctrina desumptam esse.

(1) Videsis *Hymnum* inter Nisibenos LXIV, 25.

(2) *Opp. Syr* III, 481, a; 487, f; 532, a.

(3) Ibid., 227, b, e; 231, f; 234, d, e; 236, b; 250, f; 254, a; 255, d; 259, a, b, f; 269, d; 273, c, d; 340, d; 345, e; 354, f; 355, a; 357, d; 509, f. Cfr. etiam *Carmina Nisib*. XIII, 18; XIV, 25; XLIII, 8, 10, 11, 12; XLIX, 17.

Porro docetur sanctos in iis præsertim locis beneficia tribuere, ubi ipsorum reliquiæ asservantur et fidelium venerationi exponuntur. Videsis *Opp*. II, 349 et 350; III, 234, c; *Carm. Nisib*. XIII, 18-21, et XLII fere integrum.

(4) Cfr. *Opp*. III, 565, d et e.

## § 3. ARGUMENTUM EX LOCI ET TEMPORIS DISTANTIA.

Duo jam argumenta habes, quæ ostendant citra omne jus verumque Sapientem Persam exhiberi ut S. Ephræmi discipulum. Quamvis autem decretoria videantur, aliæ tamen adhuc suppetunt rationes, et perspicuæ magis, et validiores. Quominus enim paucorum ignotorumque virorum commento vel verisimilitudo aliqua faveat, obstat diversitas locorum et temporum quibus illi scriptores vixere.

Quod spectat ad utriusque patriam, vel potius ad originis et habitationis locum, notum est Ephræmum, qui Nisibi in lucem editus erat, magnam vitæ partem ibidem, reliquam Edessæ traduxisse, longioribus tamen, juxta multos auctores, itineribus susceptis in Ægyptum et in Cappadociam (1). Aphraatem vero ex Persica stirpe ortum, sub Persarum ditione degisse, proinque regionem quæ ad orientem magis vergeret incoluisse in capite secundo demonstratum est.

Etiamsi igitur poneres aut utrumque circa eosdem annos floruisse, aut (quod utique ex adversariorum sententia consequens esset) Ephræmum Aphraate paulo antiquiorem esse, non idcirco affirmare tibi liceret priorem fuisse alterius magistrum. Sed ipsa illa hypothesis falsissima est. Sapiens Persa, sæculo III ad finem inclinante natus, ab anno 336 usque ad annum 345 *Homilias* suas edidit (2). Ephræmus autem, ut fert unanime monumentorum testimonium, demum imperante Constantino Magno, id est, nonnisi post annum

(1) B. O. I, p. 24 seqq.
(2) Vid. sup., p. 66 seqq.

306 hanc lucem aspexit. Rem pro explorata habet J. S. Assemanus; consentiuntque sancti Doctoris *Acta* (1): ܒܝܘ̈ܡܝ ܕܝܢ ܡܠܟܐ ܙܟܝܐ ܘܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܡܗܝܡܢܐ ܫܪܝܪܐ ܐܬܝܠܕ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܠܐܒܗ̈ܘܗܝ . « In diebus autem Constantini, imperatoris victoris vereque christiani, parentibus suis natus est S. Ephræmus. » Junior proin adhuc erat quando, ut ex iisdem *Actis* (2) et ex Barhebræo (3) discimus, Nicænæ synodo interfuit; indeque forsan repetenda ratio cur utrobique innui videatur eum non adfuisse nisi qua S. Jacobi comitem, sub cujus magisterio hactenus vixisset. Ita enim *Chronici ecclesiastici* auctor : ܩܕ̈ܡܝܐ ܕܝܢ ܐܝܬܝܗܘܢ ܗܘܘ ܐܘܣܝܣ ܕܪܗܘܡܝ . ܘܐܠܟܣܢܕܪܘܣ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܥܡ ܐܬܢܣܝܘܣ ܬܠܡܝܕܗ . ܘܝܥܩܘܒ ܕܢܨܝܒܝܢ ܥܡ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܬܠܡܝܕܗ . « Primores (in Concilio) fuerunt Osius Romæ, et Alexander Alexandriæ cum Athanasio, discipulo ipsius, et Jacobus Nisibis cum Mar Ephræmo, ejus discipulo. » In eumdem sensum scriptor anonymus *Actorum* (4) : ܣܠܩ ܗܘܐ ܕܝܢ ܥܡܗܘܢ ܕܐܦܝܣܩܘܦ̈ܐ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܢܨܝܒܝܢ ܘܥܡܗ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܘܫܪܟܐ . « Ascendit cum aliis Episcopis Mar Jacobus, Nisibenus Antistes, et cum eo Mar Ephræmus, etc. »

Quare tempore quo *Dissertationes* scriberet Aphraates, magnum Syrorum Doctorem vix adhuc innotuisse, necdum potuisse discipulos sibi conciliare, eosque sua doctrina imbuere, jure merito dixeris. Ultimis præsertim vitæ

(1) *S. Ephræmi Syri opera*, III, p. XXIII
(2) *Opp.* III, p. XXIX.
(3) *Chronic. eccl.* I, col. 69 et 70.
(4) B. O. I, 30.

decenniis clarus, certe usque ad annum 373 superstes fuit, imo rationibus non spernendis inniti videntur qui eum annis subsequentibus adhuc in vivis fuisse contendunt.

## § 4. EXAMEN ARGUMENTI CHRONOLOGICI A GEORGIO GENTIUM ALLATI

Et hæc quidem satis sunt, ut pateat, quod cæteroquin a nemine in dubium hodie vocatur, toto cœlo aberrasse qui Sapientem Persam inter S. Ephræmi discipulos reponendum autumarunt.

Id tantum reliquum est, ut ad majorem argumenti ex chronologia desumpti perspicuitatem et confirmationem, quædam hic annotemus de modo longe diverso quo idem proposuit Georgius, Episcopus Arabum (1). Si enim ea quæ scripsit ad trutinam revocentur, dicendus est vir doctus multa in illud argumentum congessisse quæ minus solida sunt, minusque ad finem apta. Ut enim ad hanc conclusionem tandem deveniat, intervallum *quinquaginta circiter annorum* ab Aphraatis *Homiliarum* conscriptione usque ad prima S. Ephræmi opera litteraria lapsum esse, ultra veri vel probabilis limites sæpius progreditur, aliquando in manifestos impingit errores, denique ratiocinatione æquo longiori et ideo non parum intricata utitur. Hasce reprehensiones justæ severitatis modum non excedere fatebitur quisquis ejus *Epistolam* ad Josuam, initio præsentis opusculi præfixam, attenta mente relegerit.

Imprimis enim quod ponit, Sapientem Persam per viginti circiter annos, proinde fere a tempore concilii

(1) Vid. sup., p. 16 seqq.

Nicæni, vel certe per octo annos ante Constantini mortem *Homiliis* conscribendis operam dedisse, nulla ratione satis firma nititur neque per se ullo modo verisimile est. Imo nec desunt argumenta positiva quibus illius commenti inanitas ostendatur. Auctor namque pluries asserit, *Epistolas* suas partim anno 648 Græcorum, partim a. 655 vel 656 non tantum ad alium directas, sed et *scriptas* esse, et ex *Dissertatione de bellis*, § 5, probat Antonellus (1) hanc reapse a. 648 esse exaratam.

Tum, ut hic omittamus varios nævos ad chronologiam spectantes, quos alibi subjectis notulis tetigimus, plura absque necessitate intermiscet Georgius de annis a Constantino imperatore et Nicæna synodo lapsis (2), quæ multum, quantum ego sentio, perspicuitati argumentationis officiunt.

Dein, dum agit de anno quo Ephræmus scribere vel docere cœperit (3), ex eo quod hic apud Theodoretum perhibeatur floruisse tum sub Constantio, tum etiam sub Valente imperatore, computationes suas perinde instituit ac si nondum antea, imo nunquam ante a. 378, quo Valentem obiisse constat, S. Doctor aliquid conscripsisset. — At non solum patet istam conclusionem præter omnes leges ex memoratis principiis erui, verum multa aliunde contra ejus veritatem afferri queunt.

Etenim S. Ephræmus a. 373, juxta communiorem sententiam, diem supremum obiit, et ex omnium confessione a. 378 non prætergressus est. Dein, quamvis nullum suppetat documentum unde determinari queat

(1) *Opp. S. Jacobi Nisibeni,* pp. 83 et 84.
(2) Sup., p. 18 seqq.
(3) Vid. sup., p. 22 seqq.

annus quo ad dogmata catholica tuenda et illustranda calamum primum acuerit, tamen, si attenderis molem operum ejus, tam eorum quæ in editione Romana continentur quam aliorum quæ deinceps edita sunt et adhuc in dies eduntur (1), sive a. 373, sive postea eum mortuum esse ponas, fatearis necesse erit, illum non in senectute tantum, ut vult Georgius, sed diu ante ætatem provectiorem scribere incœpisse. Eaque sententia majorem adhuc evidentiam acquiret, si admittas quæ in *Actis* ejus et in *Vitæ compendio* (2) narrantur de itineribus quæ demum post Nisibim Persis a. 363 traditam in Ægyptum et in Cappadociam suscepisset. Quamquam hujusmodi adminiculo, cum firmiora adsint, nobis opus non est. Asserit enim cl. Bickell et internis quoque argumentis demonstrat (3), ex *Carminibus Nisibenis* alia a. 359, alia a. 358, alia jam a. 350 composita esse.

Etsi igitur accurate definire non possumus tempus quo tanquam scriptor innotuerit Ephræmus, id saltem concludere licet, Georgium gentium nonnisi multa in suam sententiam præter modum trahendo eo tandem devenisse, ut confingeret illam, quam memoravimus, quinquaginta circiter annorum distantiam. Qua agendi ratione eo magis admirationem movet, quod tale figmentum ipsi nullo modo necessarium fuit ad eos refellendos, qui Aphraatem S. Ephræmo auditorem assignaverant : satis quippe erat ut illum aliquatenus anteriorem fuisse constaret, et ex dictis id manifestum est.

Idcirco, rejecta inani computatione, longe præferendam ducimus sententiam, quam postremo loco,

(1) Recole quæ pag. 113 sub num. 1 notavimus.
(2) B. O. I, p. 25 seqq.
(3) *Carm. Nisib.*, prolegg. p. 6 seqq.

eorum quæ prius scripserat velut pœnitens, hoc modo proponit ipse Georgius (1) : « Etiamsi dicendum esset partim convenire tempora quibus Sapiens Persa et S. Ephræmus vixerunt, vel etiam tempora quibus docuerunt, negari non potest priorem, dum alter adolesceret, jam ætate provectum fuisse. »

## PRIORIS PARTIS CONCLUSIO ET MONITUM FINALE

Quæ de Aphraatis nostri vita ex auctoribus et monumentis antiquis conquirere potuimus in hac prima parte collecta habes. Unum monendum restat, sedulo videlicet distinguendum auctorem de quo hucusque egimus ab aliis viris quibus circa illam ætatem idem nomen *Aphraates* seu *Pharhad* fuit (2). Istud enim vocabulum, ex radicibus Persicis derivatum, videtur primis æræ christianæ sæculis in Perside frequentissime adhibitum fuisse.

Et sane in *Martyrologio Syriaco*, ante a. 412 exarato, quod cl. Wrightius publici juris fecit, inter martyres natione Persas temporibusque Simeonis Barsaboes et Schahdosti (3), Seleuciæ atque Ctesiphontis Episcoporum, antiquiores, recensetur Aphraates quidam, qui

(1) Sup., p. 28.

(2) Cfr. Wrightius, *The homilies of Aphraates*, præf. pp. 7 et 8; Sassius, *Prolegomena in Aphraatis sermones homilet.*, p. 8, n. 10.

(3) Simeon Barsaboe, qui anno 326 vel 335 Episcopus ordinatus fuerat, anno 341 obiit, martyrum in Saporica quadraginta annorum persecutione coronatorum antesignanus; cujus successor Schahdostus eodem modo anno sequenti vitam pro Christo profudit. Cfr. Barhebræi *Chronicon ecclesiasticum*, sect. II, col. 35, 36, 39 et 40, et alii AA., qui ibi indicantur, præcipue tamen St. E. Assemani *Acta martyrum orient. et occident.*, I, pp. 2 et 84.

jam palmam adeptus erat quando Sapiens Persa priores decem *Homilias* ad amicum misit (1).

Neque idem est scriptor noster cum Aphraate illo de quo agit Theodoretus Cyrensis tum in *Religiosa historia* (2), tum in *Historia ecclesiastica* (3) : non enim quæ refert Theodoretus ullo modo, quoad vitæ tempus, locum, conditionem et mores, cum iis concordant quæ supra vidimus. In priori opere hæc legimus : « Quod omnium hominum una sit natura et philosophari facile sit volentibus, sive sint Græci, sive barbari, et ex aliis sane multis promptum est cognoscere, et aperte monstrare Aphraates unus potest. Natus enim educatusque apud Persas, gentem iniquissimam, et a talibus parentibus ortus, et in eorum moribus institutus, ad tantam pervenit virtutem, ut eos obscurarit qui, ex piis geniti, religiosam educationem a prima ætate sortiti sunt. Primum enim spreto genere, quod illi clarum erat et illustre, majores magos imitatus, ad Dominum adorandum se convertit : deinde popularium suorum impietatem exsecratus, regionem exteram patriæ prætulit, Edessamque petens (est autem urbs illa maxima et populosa, religionisque cultu longe clarissima) domunculam extra mœnia nactus, in ea se inclusit, in animæ suæ curam incumbens, optimique instar agricolæ affec-

(1) Equidem non intelligo quomodo sibi constet cl. Wrightius, dum asserit (*Op. cit.* præfat. p. 7), martyrem illum, cui nomen Aphraates, *temporibus Simeonis Barsaboes et Schahdosti anteriorem esse*, et statim subdit, *eum tum morti traditum fuisse quum Sapiens Persa postremas Epistolas conscriberet*. Simeon Barsaboe saltem ab an. 335 Episcopus fuit, ac proin prior ille Aphraates jam ante hunc annum passus erat. At Sapientis Persæ decem *Homiliæ* priores ad a. 336-337, reliquæ ad a. 343-344 et 345 referendæ sunt.

(2) Ap. Migne, *Patrol. Græc.* tom. LXXXII, col. 1367.

(3) Ibid., *Hist. eccles.* lib. IV, cap. XXII, col. 1186.

tuum spinas exscindens, et dominicam segetem expurgans. et evangelicorum seminum tempestivos Domino fructus offerens. Inde Antiochiam venit, hæretica tunc procella vehementer agitatam, diversatusque ante urbem in gymnasio quodam philosophiæ, cum Græcæ linguæ pauca verba didicisset, plurimos statim ad divinos sermones audiendos pertraxit, et, semibarbara lingua loquens, animi sensa exprimebat. »

In hac Theodoreti narratione nihil est quod sit conforme imagini Sapientis Persæ a nobis adhuc delineatæ, vel potius (ut veritati magis modestiæque simul consulam) adumbratæ : tempus, habitationis locus, vitæ ratio et institutum omnino differunt; docendi etiam dissimilis est materia, scopus diversus : anachoreta enim de quo apud Episcopum Cyrensem sermo est, præter propriæ sanctificationis atque perfectionis curam, fere totus erat in impugnandis Arianis et fideli populo Antiochiæ ab eorum deceptionibus tuendo; at *Homiliarum* scriptor nunc virtutes christiano homine dignas commendat, nunc Judaismum convellere nititur, Arianismi vero et Arianorum ne mentio quidem vel nomen apud ipsum occurrit. Quod autem speciatim ad temporis discrimen attinet, luculentius id manifestatur duobus factis quæ memorat Theodoretus. Prius est colloquium ab Aphraate monacho, Antiochiæ, dum « hæretica procella » ibi sæviret, habitum cum imperatore Valente, Arianæ impietati addicto et Catholicis infensissimo, quod circa a. 375 contigisse necesse est; ad illud enim tempus referenda esse et Meletii Patriarchæ exilium, et motam contra omnes Antiochenos in orthodoxa fide perseverantes persecutionem ex eodem teste discimus. Alterum pro diversitate temporis indicium ex eo eruitur quod

monachum illum Theodoretus inviserit admodum adhuc juvenis, ac proinde non ante a. 400; anno namque 393 ipse natus erat. « Oculis illum conspexi, ait, sanctæque illius dexteræ benedictionem percepi, cum adolescentulus adhuc matrem ad eum profectam essem comitatus. Atque illam quidem de more aperta janua colloquio et benedictione dignatus est; me vero intromissum precum suarum opibus impertiit. Quibus utinam nunc quoque fruar, qui vivere ipsum credo, et angelorum choris interesse, majorique quam olim apud Deum fiducia uti! »

Ex rationibus et testimoniis adductis, præsertim si omnia simul considerentur, manifestum sane est apud Theodoretum non Sapientis Persæ historiam enarrari, nihil proinde ex illo fonte hauriri posse ad complendam vitæ Aphraatis historiam, quam supra valde mancam et imperfectam, prout scilicet per monumentorum inopiam simulque temporis atque ingenii angustias licuit, exhibuimus.

---

# PARS ALTERA.

## De scriptis et doctrina Aphraatis.

---

Jam supra, ubi de ætate qua Aphraates vixerit scripseritque sermo erat (1), ostendimus quanti facienda sint ejus opera; quippe quæ continent de fide, studiis ac moribus Christianorum in Mesopotamia et Perside degentium monumentum vix non omnium antiquissimum. Nec minoris momenti ei sunt qui in addiscendis perscrutandisque linguis Semiticis versatur, cum ad litterarum Aramæarum origines proxime ascendant. Illi demum maximo emolumento esse possunt, qui ad Sacræ Scripturæ studium appulerit mentem, sive verum genuinumque textus inspirati sensum tantum inquirere, sive etiam de antiquis versionibus Syriacis judicium ferre velit.

Quare operæ pretium facturum me arbitror, si, quibusdam antehac de auctoris nostri vita delibatis, ad scripta ejus examinanda, doctrinamque quam continent diligentius rimandam nunc accingar.

(1) Videsis pag. 70 seqq.

# CAPUT PRIMUM.

## APHRAATIS SCRIPTORUM RECENSIO, HISTORIA, AUTHENTIA, FORMA ET STYLUS.

### ARTICULUS I.

*Recensentur Aphraatis scripta.*

Alia ingenii et doctrinæ suæ documenta, quæ quidem ad nos transmissa fuerint, non reliquit Sapiens Persa præter *Homilias*, quas, a. 1869, uno volumine comprehensas syriace primus edidit cl. Wrightius. Istæ autem *Homiliæ* variis nominibus insigniuntur ab auctore ipso et a scriptoribus Syris qui earum post ipsum meminerunt unquam : nunc ܡܐܡܪ̈ܐ, *Sermones* seu *Homiliæ* (1), nunc ܬܚܘܝܬܐ, *Demonstrationes* seu *Dissertationes* (2), sæpius ܐܓܪ̈ܬܐ, *Epistolæ* (3), aliquando etiam ܥܘܗܕܢ̈ܐ, *Memoriæ* (4), vel ܪ̈ܫܐ, *Capita*, *Tractatus* (5), item ܫܪ̈ܒܝܢ, *Historiæ* (6), et ܣ̈ܦܪܝܢ, *Libri*, *Scripta* (7), appellantur; hæcque vocabula, si duo postrema excipias, ita promiscue adhibentur, ut mirari subeat quo jure

(1) Cfr., v. g., pag. ܨܝܚ edit. Wrightianæ, item p. ܬܨܐ .
(2) Ita codd. mss., in omnium fere *Tractatuum* inscriptionibus, ipseque auctor, p. ܬܨ .
(3) Ed. Wright. p. ܗ , et alibi frequentissime.
(4) Ibid., pp. ܨܝܚ, ܬܨܗ, ܬܠܗ .
(5) Ibid., p. ܬܠܗ .
(6) Ibid., p. ܙ .
(7) Ibid., p. ܙ .

quove sensu cl. Sassius affirmare potuerit, *Sermones* illos ܬܚܘ̈ܝܬܐ, i. e. *Demonstrationes*, *Institutiones*, et ab ipso Aphraate, et in *Epistola* Georgii Episcopi atque Codd. Mss. ubique nuncupari (1).

Homiliæ omnes, dempta ultima, juxta ordinem alphabeti Syriaci dispositæ sunt, ita nempe ut singulæ a singulis litteris, quæ suo quæque loco se excipiant, ordiantur. Earum inscriptiones hic subjicimus, quales leguntur in codicibus qui doctissimo editori præsto fuere.

I. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ *Dissertatio de fide;*

II. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܚܘܒܐ *Dissertatio de caritate;*

III. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܨܘܡܐ *Dissertatio de jejunio;*

IV. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܨܠܘܬܐ *Dissertatio de precatione;*

V. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܩܪܒܐ *Dissertatio de bellis;*

VI. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܒܢ̈ܝ . ܩܝܡܐ *Dissertatio de monachis;*

VII. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܬܝ̈ܒܐ *Dissertatio de pœnitentibus* (2);

VIII. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܚܝܐ . ܡܝ̈ܬܐ *Dissertatio de resurrectione mortuorum;*

IX. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܡܟܝܟܘܬܐ *Dissertatio de humilitate* (3);

X. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܪ̈ܥܘܬܐ *Dissertatio de pastoribus;*

(1) Op. sæpius cit., p. 9.

(2) In cod. A sic legitur : ܬܚܘܝܬܐ ܕܬܝܒܘܬܐ, *Dissertatio de pœnitentia.*

(3) Inscriptionem hanc Bickell, in *Selectis scriptis Patrum Syrorum, germanice versis* (Ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenväter .......... Kempten, 1874), ita reddidit : « *Uber die Sanftmuth.* » Nomen scilicet ܡܟܝܟܘܬܐ, quod *humilitatem* nos interpretamur, ille de *mansuetudine* intellexit. Revera, sive usitatas vocis significationes, sive materiam in *Homilia* tractatam attenderis, utraque translatio recte se habet.

XI. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܓܙܘܪܬܐ . *Dissertatio de circumcisione;*

XII. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܦܨܚܐ . *Dissertatio de paschate;*

XIII. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܫܒܬܐ . *Dissertatio de sabbato;*

XIV. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܦܘܝܣܐ . *Dissertatio deprecatoria* (1);

XV. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܥܠ ܦܘܪܫ ܡܐܟܘܠܬܐ . *Dissertatio de distinctione ciborum* (2);

XVI. . ܬܚܘܝܬܐ (3) ܕܥܠ ܥܡܡ̈ܐ ܕܗܘܘ ܚܠܦ ܥܡܐ . *Dissertatio de gentibus quæ sunt loco populi (Israelitarum);*

XVII. . ܬܚܘܝܬܐ . ܕܚܘܝܢ ܥܠ ܡܫܝܚܐ . ܕܒܪܗ ܗܘ ܕܐܠܗܐ . *Dissertatio qua ostendemus Christum esse Dei Filium* (4);

XVIII. ܬܚܘܝܬܐ (5) ܕܠܘܩܒܠ ܝܗܘ̈ܕܝܐ . ܘܥܠ ܒܬܘܠܘܬܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ . *Dissertatio contra Judæos et de virginitate atque sanctitate;*

XIX. ܐܓܪܬܐ (6) ܕܠܘܩܒܠ ܝܗܘ̈ܕܝܐ ܕܥܠ ܕܐܡܪܝܢ ܕܥܬܝܕ . ܗܘ ܠܗܘܢ ܠܡܬܟܢܫܘ . *Epistola contra Judæos, qui dicunt futurum esse ut denuo congregentur;*

XX. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܥܠ ܦܘܪܢܣܐ ܕܡܣ̈ܟܢܐ . *Dissertatio de sustentatione pauperum;*

1) Cod. B titulum sic exhibet : ܬܚܘܝܬܐ . ܝ̄ܕ . ܕܦܘܝܣܐ .

(2) In cod. B omittitur nomen ܬܚܘܝܬܐ .

(3) Cod. B vocem ܕܥܠܡ̈ܐ hic inserit.

(4) Ita juxta cod. B; paulo enim aliter cod. A : ܕܚܘܝܢ . ܥܠ ܡܫܝܚܐ ܕܒܪܗ ܗܘ ܕܐܠܗܐ .

(5) Cod. B hic insertam vult notationem numericam ܝ̄ܚ. Quod attinet ad nominum ܒܬܘܠܘܬܐ et ܩܕܝܫܘܬܐ significationem et mutuam in Aphraatis textu habitudinem, de iis sufficienter dictum est supra, p. 13, not. 3 et 4.

(6) ܐܓܪܬܐ vox in cod. A deest.

XXI. . (1) ܬܚܘܝܬܐ ܕܪܕܘܦܝܐ *Dissertatio de persecutione;*

XXII. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܡܘܬܐ ܘܙܒܢ̈ܐ ܐܚܪ̈ܝܐ *Dissertatio de morte et temporibus extremis;*

XXIII. . ܬܚܘܝܬܐ ܕܥܘܥܝܬܐ *Dissertatio de acino* (2).

Hocce elencho includuntur omnes, quas novimus, Sapientis Persæ lucubrationes. Quidquam enim ab eo scriptum esse quod ad aliquem ex titulis supra enumeratis non reducatur, nullum est probabile indicium. Et sane Georgius, Arabum Episcopus, qui sæculo VIII ineunte florebat, vir ut in illa ætate eruditissimus, dum

(1) In cod. A sic legitur : ܬܚܘܝܬܐ ܕܪ̈ܕܝܦܐ, *Dissertatio de vexatis.*

(2) Ibid. hæc adduntur : ܘܕܒܘܪܟܬܐ ܕܪܕܬ ܒܟܐܢ̈ܐ ܕܕܪ̈ܐ ܩܕ̈ܡܝܐ, *et de benedictione quæ fluxit in justos priscarum generationum.* — Porro de vi vocabuli ܥܘܥܝܬܐ, quod *acinum* interpretati sumus, hæc notare juvat. Cl. Payne Smith, in *Thesauro Syriaco* (opere utique præstantissimo et ad maximum litterarum Aramæarum profectum nato, quod ingenti labore parique eruditione auctor suscepit et susceptum in dies persequitur), nomini ܥܘܥܝܬܐ non aliam significationem tribuit, nisi *racemi, botri;* et probationis gratia, postremam Aphraatis *Epistolam* allegat. Consentire videtur Bickell, dum in *Ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenväter*, p. 14, hanc inscriptionem liberius ita proponit : « *Ueber die Traube, welche wegen der gesegneten Beere nicht vertilgt werden soll.* » At pace doctissimorum virorum dixerim, vocem Syriacam ܥܘܥܝܬܐ non *racemum, botrum*, sed *acinum* seu *uvam* latine sonare. Et sane idem sensus hic admittendus est, qui apud Isaiam, LXV, 8, deprehenditur, cum hunc locum scriptor respiciat, imo eum explicare intendat. Jamvero in versione Simplici sic se habent Isaiæ verba : ܐܝܟ ܕܡܫܬܟܚܐ . ܥܘܥܝܬܐ ܒܣܓܘܠܐ . Ubi mirum est ܥܘܥܝܬܐ nomen a quoquam potuisse ita intelligi, ut *racemum* sive *botrum* denotet. Omnibus enim fatentibus, hæc ipsa notio propria est vocabuli ܣܓܘܠܐ, contra quod alterum illud, ܥܘܥܝܬܐ, aperte distinguitur, tanquam designans rem aliquam minorem et in ܣܓܘܠܐ inclusam. Unde scite in *Polyglottis Parisiensibus* propositionis Syriacæ vis ita expressa est : « *Quemadmodum reperto acino in racemo* » Quibus concinunt et textus primigenius : כַּאֲשֶׁר יִמָּצֵא הַתִּירוֹשׁ בָּאֶשְׁכּוֹל, et versio Vulgata, litteram Hebraicam presse secuta : « *Quomodo si inveniatur granum in botro.* »

de Aphraatis vita et doctrina late disserit, non alium ejus librum libellumve nisi tres supra viginti *Epistolas* memorat. In his ipsis, cum varios tractatus a se editos scriptor sæpissime citet et ad eos lectorem remittat, imo cum alicubi (1) omnium fere *Homiliarum* suarum inscriptiones ex ordine recenseat, cujuscumque tamen operis ejus, præter ea quæ nominavimus, omne deest vestigium. Occurrunt quidem auctorum testimonia aliquot, quæ, primo saltem aspectu, difficultatem vel obscuritatem creare possint; sed hæc omnia, si studiosius perpendantur, errorem enuntiare aut loquendi ratione minus accurata peccare videntur, adeoque vel nullius, vel admodum dubiæ sunt efficaciæ.

Ita Gennadius, presbyter Massiliensis, qui, inter annos 490 et 495, *Catalogum de scriptoribus ecclesiasticis*, ab Hieronymo incœptum, passim locupletavit et ad suum tempus produxit, enumerationi *Homiliarum* Sapientis Persæ, quas, errore tunc communi deceptus, Jacobo Nisibeno tribuit, sequentia subjungit : « Composuit et *Chronicon*, minoris quidem Græcorum curiositatis, sed majoris fiduciæ, quia divinarum Scripturarum tantum auctoritate constructum, comprimit ora eorum qui præsumptuosa suspicione de adventu Antichristi (2) vel Domini nostri inaniter philosophantur. » — At jure merito conjeceris librum illum chronicum, cujus meminit Gennadius, nihil aliud esse quam *Homiliam de acino;* in hac enim Aphraates acinum benedictum, hoc est, felicem illam stirpem e qua Messias

(1) Videsis infra, ubi de authentia *Epistolarum* Aphraatis nobis sermo erit. Cfr. et Wright., pp. ܙ, ܫܠܗ seqq , ܫܡܐ .

(2) Lect. var.: *Christi*.

proditurus erat et salus universo generi humano obventura, per omnes ætates ab Adamo ad Christum servatum et propagatum esse latissime explicat (1). hacque occasione chronologiam priorum generationum atque præcipuarum saltem antiqui fœderis epocharum mira diligentia attexit. Nec obstat quod jam, in antegressis, Gennadius inter *Homilias* «Jacobi cognomento Sapientis» etiam hanc ultimam, indito titulo *De acino benedicto*, recensuerat. Si enim modum consideraveris quo de illis loquitur, verisimillimum, ne dicam certum, tibi erit easdem ipsi scribenti præsto non fuisse, ut eas oculis usurpare vel lustrare posset, et proinde non tanti æstimandam illius hac in re auctoritatem. In ea quippe quam proponit inscriptionum serie magna confusio et obscuritas : ibi, comparatione cum exemplaribus instituta, deprehenduntur omissiones, repetitiones, tales etiam appellationes quæ in nullam *Dissertationum* facile quadrent; ipseque Gennadius, dum asserit libros sex et viginti a Jacobo Nisibeno compositos esse, eorum tamen ad summum nonnisi viginti tres vel viginti quatuor nominat (2). Quare non improbabiliter dixeris, ei tantummodo ex aliorum relationibus Aphraatis opera perspecta fuisse. Ea forsan noverat ex testimonio Joannis Cassiani, magistri sui, qui Syriæ et Ægypti plurima monasteria inviserat et anno 415 Massiliæ duo cœnobia instituit; unde sicut de ipsa scriptoris persona, ita etiam de diversorum tractatuum mutua habitudine et aliorum ab aliis distinctione ab auctore suo, veritatis minus curioso, in errorem inductus fuerit.

(1) Ed Wright., pp. ܬܡܗ – ܬܨܛ .
(2) Cfr. art. II hujusce partis.

Pari fere modo loquendum est de Ebed-Jesu Sobensi, quem antea (1) audivimus hæc proferentem : ܐܦܪܗܛ ܚܟܝܡܐ ܥܒܕ ܗܘܐ ܬܪܝܢ ܡܟܬܒܢܘ̈ܬܐ . ܥܡ ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܒܬܪ ܐܠܦ ܒܝܬ . « Beatissimus Aphraates duos composuit tomos cum *Homiliis* juxta litterarum seriem ordinatis. » Erroris scilicet crimine scriptor ille purgari nequit, nisi dicas, quod mihi quidem veri similitudine haudquaquam carere videtur, hac ejus propositione sermonem non fieri nisi de *Homiliis duobus voluminibus comprehensis* (2). Aphraates enim, quamvis non duo volumina et insuper *Homilias* composuerit, duo tamen volumina scripsit, quorum priore decem, altero duodecim *Homiliæ*, eæque omnes alphabetico digestæ ordine, continebantur.

*Libro* denique *admonitionum* seu *parænetico*, ܟܬܒܐ ܕܡܪ̈ܬܝܢܘܬܐ, quem Barhebræus (3) a Sapiente Persa conscriptum esse testatur, *Homiliam de acino* significari dixeris, cum *Librum* illum doctus Maphrianus a viginti duabus *Epistolis* litterarum ordine dispositis sejungat. Quoniam

(1) Cfr., sup., p. 63 seq.

(2) Cfr. Wrightius, *op. cit.*, præfat. p. 2; Sasse, *Prolegg.*, p. 14.

(3) Sup., p. 63. Porro Barhebræi testimonium, quale ab Assemano, B. O II, p. 398, ex Cod. Rom. editum est, habet ܟܬܒܐ ܕܡܪܬܝܢܘܬܐ, in singulari numero, non ܟܬܒܐ ܕܡܪ̈ܬܝܢܘܬܐ . Utramque appellationem nos, doctissimos *Chronici ecclesiastici* editores Lovanienses secuti, et hic et antea ita intelleximus, ut reddi queat : *Liber admonitionis* seu *paræneticus*. Pari tamen jure, ut mihi videtur, verti potuisset : *Liber institutionis* vel *institutionum*. Radix enim ܪܬܐ, juxta omnes lexicographos, valet tum *monuit*, *hortatus est*, tum *docuit*, *instituit ;* indeque duplex illa notio in singula vocabula derivata profluxit : qua re etiam factum est, v. g., ut, in lingua ecclesiastica, ܡܪܬܝܢܐ sit *catechetes*, ܡܪܬܝܢܘܬܐ *catechesis*, et ܡܬܪܬܝܢܐ, *catechumenus*.

autem titulus ipse ab eo allatus *Epistolæ* synodicæ seu *exhortatoriæ* (ܐܓܪܬܐ ܕܡܦܝܣܢܘܬܐ), aptius congruit, concludendum puto nec Barhebræum Aphraatis scripta ad manum habuisse (1).

### ARTICULUS II.

### *Epistolarum Aphraatis brevis historia litteraria.*

#### § 1. DE TEXTU EPISTOLARUM PRIMIGENIO EJUSQUE AMISSIONE.

Aphraatis *Epistolæ* non multo postea quam in lucem editæ fuerant adversa expertæ sunt fata : præter Isaacum Antiochenum, qui medio sæculo V floruit, et Georgium, Arabum Episcopum, (quibus forsan addendus Elias Barsinæus) nullus ex scriptoribus subsequentibus primigenium illarum textum præ manibus habuisse vel eo usus esse videtur. Certe si quis eum oculis usurpaverit

(1) Perperam tamen, mea quidem sententia, existimaveris, Barhebræi appellationem in *Homiliam de acino* nullo modo quadrare, eo quod hæc præcipue versetur in quæstionibus theoreticis, ut aiunt, solvendis, ille vero librum ad rectam vivendi normam potius pertinentem indicare videatur. Nam etsi *Homilia* prædicta imprimis doctrinalis est, ejus tamen pars non mediocris constat exhortationibus ad mores vere christianos. Complectitur hæc decem ferme postremas paginas (Wright., p. [illegible]) et in hunc modum incipit : « Principium omnium bonorum operum istud coram Deo requiritur, ut credat homo unum esse Deum; et universa insuper mandata observet necesse est, etc. » Cæterum si verba ܟܬܒܐ ܕܡܪܕܘܬܐ reddita volueris : *Liber institutionis*, jam iis designari potuisse *Epistolam de acino* nemini, puto, dubium erit.
Barhebræum autem, quæcumque tandem verborum ejus explicatio admittatur, ad nullum respexisse tractatum ab iis quos recensuimus diversum, suadent non solum argumenta pp. 134 et 135 allata, verum etiam aliud *Chronici ecclesiastici* (I, col. 86) testimonium, quod omnia Aphraatis opera una voce sic comprehendit : « Innotuit etiam Sapiens Persa, qui est orthodoxus et scripsit *librum Dissertationum* (ܟܬܒܐ ܕܬܚܘ̈ܝܬܐ). »

ejusque meminerit, illa mentio, quia ad posteros transmissa non est, nullius fuit utilitatis; et hoc quidem adeo verum est, ut plurimi ad nostra usque tempora etiam ignorarent Sapientis Persæ opera Syriaco idiomate primitus exarata esse.

Quod autem de Georgio gentium affirmamus, ei Aphraatis scripta præsto fuisse, qualia ex auctoris manibus prodierant, id ex nostræ *Dissertationis* introductione et parte priori perspicue colligitur; quare in illa assertione probanda aut evolvenda nec paulisper immorabimur.

Jam etiam notavimus, in Eliæ Barsinæi *Chronographia* caput reperiri, cui titulus : « *Anni domus Adami, juxta sententiam Sapientis Persæ.* » Sed de tabula chronologica quæ sic inscribitur dubitari potest utrum ex ipsa Aphraatis lucubratione, an ex aliqua hujus translatione desumpta fuerit.

Verum enimvero hic præ cæteris attentione dignus est S. Isaacus Magnus, qui, quantum ex indiciis internis eruere valemus, primigenium *Homiliarum* textum et vidit, et scribendo ita imitatus est, ut aliquando ipsa earum verba expresserit (1). Id præsertim apparet ex *Sermone de sancto jejunio quadragesimali* (2), in quo presbyter Antiochenus *Epistolam* Sapientis Persæ de eadem materia agentem presse sequitur, additis tantum, more poetarum, varii generis ornamentis. Quicumque rem hanc plene perspectam habere voluerit, illi auctor sum ut ambo scripta perlegat : tanta est sive sententiarum, sive elocutionis similitudo, ut vel ex nuda lectione

(1) Cfr. S. *Isaaci Antiocheni, doctoris Syrorum, opera omnia*, part. I. Gissæ, 1873.
(2) Ibid., p. 250 seqq.

oculos etiam cæcutientis non perstringere non possit. Speciminis exhibendi gratia, unum aliquod S. Isaaci testimonium subjicere et cum loco Aphraatis parallelo conferre lubet. Uterque jejunium non qualecumque, sed « jejunium purum, » ܨܘܡܐ ܕܟܝܐ, commendat. Aphraates autem « jejunium eorum qui in veritate jejunant » ita definit atque circumscribit :

ܨܘܡܐ ܓܝܪ ܡܬܡܫܡܫ ܀ ܠܐ ܗܘܐ ܗܢܐ ܕܡܢ ܠܚܡܐ ܘܡܝܐ
ܒܠܚܘܕ ܀ ܐܠܐ . ܣܓܝܐܝܢ ܐܢܝܢ ܠܡ̈ܢܘܬܗ ܕܨܘܡܐ . ܐܝܬ ܓܝܪ
ܕܨܐܡ ܡܢ ܠܚܡܐ ܘܡܝܐ . ܥܕܡܐ ܕܟܦܢ ܘܨܗܐ . ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ
ܕܢܗܘܐ ܒܬܘܠܐ . ܘܟܦܢ . ܘܠܐ ܐܟܠ . ܘܨܗܐ . ܘܠܐ ܫܬܐ . ܘܡܝܬܪ
ܗܘ ܗܢܐ ܨܘܡܐ . ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ ܒܩܕܝܫܘܬܐ ܀ ܘܨܘܡܐ ܐܝܬܘܗܝ .
ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ . ܡܢ ܒܣܪܐ ܘܚܡܪܐ . ܘܡܐ̈ܟܘܠܬܐ ܡܚܝܪ ܡܚܝܪ . ܘܐܝܬ
ܕܨܐܡ ܕܢܥܒܕ ܣܝܓܐ ܠܦܘܡܗ . ܕܠܐ ܢܡܠܠ ܡ̈ܠܐ ܣܢ̈ܝܬܐ . ܘܐܝܬ
ܕܨܐܡ ܡܢ ܚܡܬܐ . ܘܟܒܫ ܚܪܘܗ ܕܠܐ ܢܙܟܝܘܗܝ . ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ ܡܢ
ܩܢܝܢܐ ܀ ܕܢܫܪܐ ܢܦܫܗ ܠܡܫܡܫܢܘܬܗ . ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ . ܡܢ
ܥܪ̈ܣܬܐ ܕܐ̈ܢܫܐ ܀ ܕܢܗܘܐ ܥܝܪ ܒܨܠܘܬܐ . ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ
ܡܢ ܪ̈ܓܝܓܬܗ ܕܥܠܡܐ ܗܢܐ . ܕܠܐ ܢܬܢܟܐ ܡܢ ܒܥܠܕܒܒܐ .
ܘܐܝܬ ܕܨܐܡ ܕܢܗܘܐ ܡܬܐܒܠ ܀ ܕܢܣܒ ܠܡܪܗ ܒܐܘܠܨܢܐ . ܘܐܝܬ
ܕܟܢܫ ܠܗܘܢ ܠܟܦܢ̈ܐ . ܘܡܦܪܢܣ ܠܗܘܢ ܡܢ ܨܘܡܗ ܀ ܐܝܟ
ܕܡܨܐ ܐܢܫ ܡܢ ܗܡܢܘܬܐ ܟܡ ܦܡ . ܘܨܐܡ ܕܨܡܬ ܡܢ
ܕܠܡܐܠܦ ܘܡܢ ܕܠܥܡܠܬܐ . ܐܬܩܪܝ ܠܗ ܨܘܡܐ ܗܘ ܘܠ ܡܫܟܚ
ܠܟܠܗ ܘܢܗܠܐ ܀ ܦܪܘܫ ܠܒܘܨܡܗ ܀ ܗܘܢܐ ܦܪܢܣܐ ܕܐܝܬ
ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ . ܘܐܢܘܢ ܕܟܢܝܢ ܟܪ̈ܝܢ ܠܢܪܐ ܠܟܣܝܐ
ܣܒܐ ܡܬܠܗܝܢ ܀ ܟܘܦ . ܠܐ ܡܬܚܫܒ ܠܗ ܨܘܡܗ ܀ ܡܢ ܕܣܒܐ

ܦܠܓ ܗܠܝܢ ܡܢܗܘܢ ܚܕܐ . ܐܝܟ ܕܠܐ ܡܬܚܫܒ ܨܘܡܗ ܕܡܢ
ܕܐܟܠ ܘܫܬܐ ܡܫܬܪܐ . ܘܟܠ ܕܡܢ ܡܥܠܐ ܢܦܩ ܠܗ ܘܠܡܪܐ
ܨܘܡܗ . ܠܐ ܥܒܕ ܫܠܡܗ . ܐܠܐ ܡܢ ܕܡܬܢܛܪ ܡܢ ܗܠܝܢ
ܟܠܗܝܢ . ܘܡܬܩܪܒ ܠܨܘܡܐ ܚܕܐ ܚܕܐ ܡܢܗܘܢ . ܪܒ ܗܘ
ܫܠܡܗ ܘܠܐ ܗܘܐ ܠܒܪ ✠

« Jejunium non in eo tantum stat, quod abstineat quis a cibo et potu, sed multiplex est jejunandi modus. Plures enim sunt qui a pane et aqua seipsos prohibent donec esuriant et sitiant. Alii jejunant ad servandam virginitatem; esurientes, non manducant; sitientes, non bibunt : quorum jejunium præstantius est. Alii jejunant ex motivo sobrietatis, et horum etiam jejunium est acceptum. Alii abstinent a carne, vino et variis alimentis. Alii jejunant, dum frænum ori suo imponunt, ne verba reprehensione digna proferant. Alii continent se ab ira et propensiones suas calcant, ne iis vincantur. Abstinent alii a divitiis acquirendis, ne harum tyrannidi animæ subjaceant. Respuunt alii varia lectulorum genera, ut vigilent ad orandum. Alii abstinent ab hujus mundi sollicitudinibus, ne damnum patiantur ab inimico. Alii jejunant, ut, per sui afflictionem et mortificationem, Domino placeant. Alii denique hæc omnia conjungunt et ex iis unum efficiunt jejunium, perinde ac si quis ab alimento usque ad esuriem abstineat. Qui a cibo et potu se continet jejunare dicitur, et si parum quid comedat vel bibat, jejunium suum frangit : ita etiam si quis ab omnibus rebus prædictis abstineat, sed in unam alteramve identidem impingat, jam ipsius jejunii nulla habetur ratio. Qui ex illis omnibus vel unicum caput violat non majus ex jejunio meritum acquirit quam qui

avide manducat vel bibit. Qui ex fame jejunium suum abrumpit nonnisi levem admittit culpam; illius vero qui, postquam sese ad eorum quæ nominavimus fugam adstrinxit, quoad unum alterumve infidelis est, non parvum, sed gravissimum est peccatum (1). »

Atque hæc Aphraates. Qui dein adducit, tanquam jejunii puri exemplaria imitanda, Abelem, Henochum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum. Tum hisce concludit (2) : ܗܠܝܢ ܟܠܗܘܢ . ܕܟܝܘܬܗܘܢ ܗܘܬ ܠܗܘܢ ܨܘܡܐ ܓܡܝܪܐ ܩܕܡ ܐܠܗܐ . ܟܕ ܠܒܐ ܕܟܝܘܬܐ ܚܣܝܪܐ . ܨܘܡܐ ܠܐ ܡܬܩܒܠ . ܘܚܙܝ ܚܒܝܒܝ ܘܥܗܕ ܫܘܦܪܐ . ܕܡܝܬܪܘܬܐ ܗܝ ܕܟܝܘܬܐ . ܕܐܢܫ ܢܕܟܐ ܠܒܗ ܘܢܛܪ ܠܫܢܗ . ܘܢܟܠܐ ܐܝܕܘܗܝ ܡܢ ܒܝܫܬܐ . ܐܝܟ ܗܠܝܢ ܕܟܬܒܬ ܠܟ ܠܥܠ . ܘܐܦ ܠܗ . ܠܐ ܘܠܐ ܠܒܪܢܫܐ ܕܢܗܘܐ ܡܚܠܛ ܕܒܫܐ ܒܓܕܐ . ܐܠܐ ܡܢ ܕܚܐܨ ܡܢ ܠܚܡܐ ܘܡܝܐ . ܠܐ ܢܚܠܛ ܒܨܘܡܗ ܕܘܒܝܐ ܘܠܘܛܬܐ . « Horum omnium munditia fuit eis jejunium perfectum coram Deo. Quando deficit cordis puritas, jejunium acceptum non est. Adverte, amice, et recordare virtutis actum excellentem in eo esse quod aliquis cor purificet, linguam custodiat, manus prohibeat a malo, eaque observet quæ supra scripsi tibi. Neque enim oportet hominem mel absinthio miscere. Qui igitur abstinet a cibo et potu jejunio suo obtrectationes et maledictiones ne misceat. » — Hæc etiam in § 5 leguntur (3) :

(1) Cfr. edit. Wright., pp. ܡܓ et ܡܗ .

(2) Edit. Wright., p. ܡܗ .

(3) Ibid., p. ܡܘ .

ܡܥܠܝܐ ܓܝܪ ܚܒܝܒܝ. ܨܘܡܐ ܕܡܢ ܚܛܗ̈ܐ ܡܢ ܨܘܡܐ ܐܝܟ . ܡܬܥܒܕ ܗܘ . ܝܬܝܪ ܡܢ ܨܘܡܐ ܕܡܢ ܠܚܡܐ ܘܡܝ̈ܐ . ܘܡܝܬܪ ܡܢ ܕܨܐܡ ܐܝܟ ܗܢܐ . ܘܟܦܦ ܨܘܪܗ ܐܝܟ ܩܘܪܐ . ܘܣܩܐ ܘܩܛܡܐ ܡܬܟܣܐ ܠܗ . « Semper enim, carissime, jejunium quo quis a peccatis abstinet excellentius est jejunio quo homo sese cibo et potu privat, et qui priori modo jejunat ei antecellit qui se humiliat sub sacco et cinere ac collum in modum unci incurvat. »

In eumdem prorsus sensum et sæpe iisdem vocabulis loquitur Isaacus Antiochenus (1) : ܢܨܘܡ ܦܘܡܢ ܡܢ ܠܚܡܐ . ܐܦ ܠܒܢ ܡܢ ܚܛܗ̈ܐ . ܕܢܬܩܒܠ ܨܘܡܗ ܕܦܘܡܐ . ܥܡ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܪܥܝܢܐ . ܠܗ ܓܝܪ ܡܠܟܘܬ ܡܢ ܦܘܡܐ . ܘܠܐ ܕܢܚܬܘܡ ܡܠܐܟܘܬܐ . ܐܠܐ ܡܢܗܘܢ ܗܕ̈ܡܐ . ܠܬܢܝܪܘܢ ܡܢ ܠܚܡܐ ...... ܢܐܙܠ ܦܘܡܐ ܡܢ ܠܚܡܐ . ܢܨܘܡ ܠܒܗ ܐܦ ܠܒܐ . ܕܠܐ ܢܬܠܟܠܟ ܡܬܡܪܕܬܐ . ܘܠܗܘܐ ܨܘܡܐ ܠܚܘܫܒܐ . ܐܝ ܨܘܡܐ ܕܗܘܐ ܠܦܓܪܐ . ܘܠܒܐ ܢܛܠܡ ܡܢ ܪ̈ܓܐ . ܡܬܚܠܠܐ ܠܗ ܢܛܘܪܬܐ . ܚܘܠܛܢܗ ܕܡܪܝܪܘܬܐ . ܘܐܡܪܐ ܕܠܐ ܡܬܛܦܣ . ܕܦܓܪܐ ܕܢܛܪܐ ܡܢ ܪ̈ܓܐ . ܗܘܝܐ ܠܐ ܡܬܛܦܣ . ܨܘܡܐ ܕܬܠܡܝܕ ܚܘܫܒܐ . ܢܐܙܠ ܦܘܡܐ ܡܢ ܠܚܡܐ . ܢܨܘܡ ܠܒܗ ܚܛܗ̈ܐ ...... ܐܦ ܐܕܢ̈ܐ ܠܡܫܡܥ ܢܬܩܦܢ . ܕܢܨܘܡ ܠܗ ܗܕ̈ܡܐ . ܘܠܐ ܢܬܦܪܫ ܠܚܬܘܦܝܐ . ܘܥܝܢܗ ܢܨܘܡܢ ܢܬܦܪܣ . ܘܨܘܡܐ ܕܐܝܬܝܗ ܚܘܫܒܐ . ܘܐܬܕܪܟܘ ܐܦ ܗܕ̈ܡܐ . ܡܬܚܦܛܐ ܨܘܡܐ ܕܦܓܪܐ . ܕܠܐ ܚܠܝܬܐ ܒܗ ܨܘܡܐ .
« Jejunet os nostrum a pane, sed etiam cor nostrum a peccatis, ut jejunium oris nostri una cum pia mentis

(1) Cfr. S. *Isaaci Antiocheni opera omnia*, part. I, p. 250 seqq.

intentione suscipiatur. Non enim sufficit ut escam ori denegemus, sed omnia membra a rebus noxiis servari oportet...... Jejunat os a pane, jejunet cum eo etiam lingua, ne loquatur superflua, quibus jejunium in damnum vertitur. Si jejunium simile esset melli, sed lingua felli intincta esset, rejiceretur dulcedo illius ob admixtionem amaritudinis. Quemadmodum enim mel cum felle permixtum non acceptatur, ita nec jejunium cum invidia conjunctum suscipitur. Jejunat os a pane, jejunent cum eo etiam oculi....... Etiam manus una cum cæteris membris jejunent et a raptu abstineant. Hoc modo si totum corpus sanctificatum erit, si cogitationes purificatæ et membra emundata erunt, suscipietur purum jejunium, quod nulla obtrectatione permixtum est. »

Hujusmodi loca plurima afferri possent. Interim ex iis quæ hucusque protulimus vides utrumque scriptorem iisdem sæpe verbis, similibus etiam figuris et metaphoris usum esse, ita ut vix dubium esse queat alterum alteri ducem fuisse et præmonstratorem. Hæc nostra conclusio ex eo firmatur, quod ad commendandum et illustrandum *jejunium purum*, ambo eadem exempla producant et evolvant ex Veteri Testamento deprompta, Moysis, v. g., Eliæ, Estheris, Ninivitarum, etc. Ambo etiam, ut doceant ab iniquo jejunio cavendum esse, ostendunt hoc et a peccatoribus, quales fuerunt Achab et Jezabel, et ab hæreticis, quos serpentibus in locis obscuris degentibus ac terram comedentibus assimilant, exerceri (1).

Neque solum ubi de jejunio agit, verum etiam in

(1) Cfr. Aphraatis *Homilia*, §§ 3, 6, et alibi passim; Isaaci *Carmen*, vv. 180-230, 370 seqq., etc.

merito fidei exponendo et recensendis Patriarchis qui illa virtute nobilitati sunt, dixeris Isaacum Antiochenum vestigia pressisse Aphraatis nostri. De fidei excellentia atque emolumentis ita Sapiens Persa (1) : ܗܒܝܠ ܓܝܪ
ܡܛܠ ܗܝܡܢܘܬܗ . ܐܬܩܒܠ ܩܘܪܒܢܗ . ܘܚܢܘܟ ܡܛܠ
ܕܫܦܪ ܒܗܝܡܢܘܬܗ . ܐܫܬܢܝ ܡܢ ܡܘܬܐ . ܘܢܘܚ ܡܛܠ
ܕܗܝܡܢ ܁ ܐܬܢܛܪ ܡܢ ܡܒܘܠܐ . ܘܐܒܪܗܡ ܒܗܝܡܢܘܬܗ
ܐܬܒܪܟ ܁ ܘܐܬܚܫܒܬ ܠܗ ܠܙܕܝܩܘ . ܘܐܝܣܚܩ ܒܗܝܡܢܝܢ .
ܐܬܦܪܩ . ܘܝܥܩܘܒ . ܡܛܠ ܗܝܡܢܘܬܗ ܐܬܥܬܪ . ܘܝܘܣܦ
ܡܛܠ ܗܝܡܢܘܬܗ . ܐܬܢܨܚ ܒܢܣܝܢܐ ܕܣܪܝܢܐ . ܘܐܬܦܪܩ ܡܢ
ܢܣܝܘܢܐ ܁ ܘܫܠܛ ܒܗ ܡܢܪܗ ܫܘܕܥܬܐ ܁ ܐܝܟ ܕܐܡܪܢ ܕܩܕܡ ܀
ܕܫܘܕܥܬܐ ܒܝܘܣܦ ܫܠܛܗ . ܘܐܦ ܡܘܫܐ . ܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܥܒܕ ܚܝܠܐ ܣܓܝܐܐ ܘܬܕܡܪܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܢܦܩ
ܠܡܨܪ̈ܝܐ ܒܥܣܪ ܡܚܘܢ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܦܠܓ ܝܡܐ
ܘܐܥܒܪ ܠܥܡܗ ، ܘܛܒܥ ܠܡܨܪ̈ܝܐ ܒܓܘܗ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܚܠܐ ܡܝܐ ܡܪ̈ܝܪܐ ܘܐܚܠܝ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܚܬ ܡܢܢܐ
ܘܦܫܛ ܠܥܡܗ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܦܫܛ ܐܝ̈ܕܘܗܝ ܘܙܟܐ
ܠܥܡܠܩܝܐ . ܐܝܟ ܕܦܠܚܝܢ : ܕܗܘܝ ܐܝ̈ܕܘܗܝ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ،
ܚܝܠܐ ܕܚܪܒܐ ܚܡܫܐ . ܐܦ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܫܠܛ ܠܫܡܝܐ ܕܢܚܬܘܢ ،
ܘܡܢ ܕܐܬܪ̈ܥܝܢ ܐ̈ܬܠܝܢ ܐܪܒܥܝܢ ܡ̈ܠܟܝܢ . ܒܘܬ
ܒܗܝܡܢܘܬܐ . ܐܘ ܠܫܘܡܝܢ ܠܟܠܗܘܢ ܬ̈ܠܡܝܕܘܗܝ ܘܐܬܘ̈ܬܐ ܀
« Propter Abelis fidem, suscepta est oblatio ejus; Henoch, eo quod per fidem Deo placuerat, absque morte translatus est; Noachus, quia crediderat, dilu-

(1) Edit. Wright., p. ܝܚ .

vium evasit; Abrahamus ob fidem suam benedictione donatus est, illaque ei reputata est ad justitiam; propter fidem Isaacus misericordiam consecutus et Jacobus servatus est; Josephus propter fidem tentatus fuit aquis adversitatis, sed a tentatione ereptus est et testimonium in eo posuit Dominus, dicente David : *Testimonium in Josepho posuit*. Moyses quoque per fidem prodigia multa et mira patravit, Ægyptiosque decem afflixit plagis; per fidem divisit mare, populum suum trajecit et Ægyptios mediis in fluctibus submersit; per fidem lignum projecit in aquas amaras, quæ inde dulces factæ sunt, fecit ut plueret manna et gentem suam satiavit; per fidem manus suas extendit et vicit Amalec, prout scriptum est, manus ejus in fide usque ad occasum solis perseveravisse; per fidem montem Sinai conscendit, quando jejunium quadraginta dierum semel atque iterum observavit; per fidem denique Sehon et Og, reges Amorrhæorum devicit. »

Hisce haud absimilia tradit Isaacus Magnus, in *Carmine de avi quæ Antiochiæ trisagion cantavit* (1) :

ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܛܠ ܗܒܝܠ . ܕܒܗ ܩܪܒ ܗܘܐ ܩܘܪܒܢܗ (2) .

ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܫܬܢܝ . ܚܢܘܟ ܕܒܫܘܦܪܗ ܐܬܥܠܝ .

ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܫܬܘܙܒ . ܢܘܚ ܠܢܫܐ ܩܕܡ ܡܒܘܠܐ . ܒܗܝܡܢܘܬܐ

ܟܦܝ ܗܘܐ . ܒܗܘܢܐ ܕܒܗ ܐܫܬܘܙܒ . ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܟܝܟ

ܐܒܪܗܡ . ܒܠܥܕܐ ܘܬܘܗܡܐ ܘܡܫܪܝܐ . ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܒܪܗܡ .

(1) *Op. cit.* part. I, carm. VIII, v. 1280 seqq.

(2) Lectorem monitum volumus, in hisce ex Isaaco recitandis, ne excerpta in immensum crescerent, plura passim prætermissa esse, quæ cum Aphraatis loco superius adducto minorem præ se ferunt similitudinem et plerumque spectant ad sententiam poetice illustrandam atque exornandam

ܗܒܝܠ ܕܢܩܦ ܡܘܠܟܢܐ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܫܢܝ ܚܢܘܟ.
ܕܟܫܐ ܕܝܗܐ ܘܐܬܟܠܠ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܬܦܪܩ. ܡܫܡܠܝ
ܘܢܚܘ ܠܐܢܫܐ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܬܒܢܝ. ܘܩܒܘܬܐ ܚܒܫ
ܗܘܐ ܘܢܚܫ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܦ ܡܘܫܐ. ܐܬܠܘܝ ܗܘܐ
ܠܦܘܠܚܢܗ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܫܒܩ ܒܝܬܐ. ܘܫܒܩ ܡܠܟܝ ܘ
ܩܪܝܒܘܗܝ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܝܟ ܩܘܪܒܢܐ. ܕܦܝܣ ܗܘܐ ܐܝܣܚܩ
ܚܝܐ. ܘܐܬܟܠܠ ܦܘܠܚܢܗ. ܟܠ ܡܬܩܪܒܐ ܐܝܣܚܩ
ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܫܟܚ ܗܘܐ. ܡܘܗܒܬܐ ܝܗܒ ܡܟܝܢܘܬܐ.
ܘܢܦܩ ܠܗ ܡܫܡܠܝܘܬܐ. ܕܐܫܡܥܘܗ ܟܠܗ ܠܟܠܗ.
ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܢܒܥ ܡܘܗܒܐ. ܕܠܐ ܠܗܘܐ ܒܪܐ ܠܚܪܬ
ܦܪܟܝ. ܘܐܝܟ ܐܚܕܐ ܠܡܗܝܡܢܘܬܐ. ܕܢܚ ܗܘܐ ܘܢܦܩ
ܠܐܫܡܥܐ. ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܣܬܝܒ ܗܘܐ. ܘܡܫܟܢܘܬܐ ܢܩܦ ܗܘܐ.
« Fide, qua sacrificium suum obtulit, mortuus est Abel. Fide translatus est Henoch, quia coronatus est pulchritudine ejus. Fide salvatus est Noachus, quietus in generatione perversa; fide fabricavit arcam in qua servatus est. Fide reliquit Abrahamus familiam, cognationem, propinquos, et aptus fuit ad accipiendam promissionem. Fide Isaacus placuit Deo tanquam sacrificium vivum, et coronatus est. Fide viaticum præbente, Jacobus exiit in terram peregrinam; fide callide egit, et, primogenitura arrepta, abiit. Fide etiam Josephus triumphos egit in præliis suis; fide exiliit e fovea et ascendit e cisterna; fide superavit ignem qui in thalamo ei occurrit, et tandem, peractis omnibus, in curru vectus est. Fide rejecit Moyses thesauros regni et elegit sibi exilii paupertatem cum Deo; fide renuit haberi filiæ Pharaonis proles, et, fide tanquam matre sibi

assumpta, exiit in regionem peregrinam; fide audax factus, in Ægyptios infremuit. »

Hanc S. Isaaci descriptionem et enumerationem valde affinem esse descriptioni Sapientis Persæ antea recitatæ unicuique evidens est. Utrum autem altera ad alteram efformata sit, nemo, nisi mea me fallit opinio, certa fiducia pronuntiare poterit, eo vel magis quod uterque scriptor Apostoli Pauli *Ep. ad Heb.*, XI, secutus esse videatur. Attamen cum ex comparatione inter amborum tractatus *de jejunio* instituta intellexerimus Aphraatis opera Isaaco fuisse apprime cognita (1), probabilitate saltem non carebit sententia quæ affirmabit, prioris *Homiliam de fide* posteriori idem argumentum versanti usui fuisse.

## § 2. DE EPISTOLARUM APHRAATIS VERSIONE ARMENIACA.

Cum *Epistolæ* Aphraatis in Syria ipsa jampridem, ut in paragrapho superiore vidimus, oblivione pene obrutæ sint, auctoritate in patria negata apud Armenios auctæ sunt. Mox enim, in Armeniorum linguam translatæ, præstantem in litteris illius gentis locum deinceps obtinuere. Sed ex causis vel adjunctis nobis adhuc incompertis factum est, ut non Jacobo Aphraati, sed Jacobo, Episcopo Nisibeno, tribuerentur. Nec recentem esse hujusmodi suppositionem inde patet, quod apud Gennadium, ante sæculi VI initium vita functum, jam

(1) Rem hanc evidentem esse asserit cl. Bickell, qui initio *Dissertationis de jejunio* (*Ausgewählte Schriften* ..., p. 52) hæc præmonet : « Diese Abhandlung liegt deutlich dem ersten der von uns mitgetheilten Gedichte Isaaks von Antiochien über das Fasten zu Grund. Viele Gedanken und Ausdrücke stimmen wörtlich überein. »

inveniatur. « Jacobus, inquit, cognomento Sapiens, Nisibenæ nobilis Persarum modo civitatis Episcopus, unus ex numero sub Maximino persecutore confessorum, et eorum qui in Nicæna synodo Arianam perversitatem homoousii oppositione damnarunt. Hunc virum beatus Hieronymus in libro *Chronicon* velut magnarum virtutum hominem nominans, in *Catalogo* cur non posuerit, facile excusabitur, si consideremus quod ipsos tres vel quatuor Syros quos posuit, et interpretatos in Græcum se legisse testetur. Unde constat eum illo tempore ignorasse Syram linguam vel litteras, et ideo hunc, qui necdum versus est in aliam linguam, nescisse scriptorem. Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris, id est : de fide; contra omnes hæreses; de caritate generali; de jejunio; de oratione; de dilectione erga proximum speciali; de resurrectione; de vita post mortem; de humilitate; de patientia; de pœnitentia; de satisfactione; de virginitate; de sensu animæ; de circumcisione; de acino benedicto, pro quo in Isaia legitur (1) : *Non est exterminandus botrus;* de Christo, quod Filius Dei sit et consubstantialis Patri; de castitate; adversus gentes; de constructione tabernaculi; de gentium conversatione; de regno Persarum; de persecutione Christianorum. Composuit et *Chronicon* minoris quidem Græcorum curiositatis, sed majoris fiduciæ, quia, divinarum Scripturarum tantum auctoritate constructum, comprimit ora eorum qui præsumptuosa suspicione de adventu Antichristi (2) vel Domini nostri inaniter philosophantur (3). »

(1) Is. LXV, 8.
(2) Lect. var.: *Christi.*
(3) Apud Migne, *Patrologiæ cursus completus,* tom. LVII, p. 1061 seq.

Gennadius igitur, quamvis hos tractatus, quos recenset, syriace primum exaratos esse probe sciret, imo nullam adhuc eorum translationem exstare putaret, eos tamen Jacobo Nisibeno perperam adjudicavit. Unde pronum est concludere, errorem illum, posterioribus saltem sæculis apud Armenios communem, jam tunc temporis inter eosdem vulgatum esse et ab iis ad exteras gentes manavisse.

Gennadium autem in loco allato Aphraatis nostri *Homilias* reapse præ oculis habuisse, nemini, opinor, dubium erit : *Sermonum* enim titulos ibi enumeratos in universum convenire cum iis quos supra (1) ex Wrightii editione protulimus, ei qui utrumque elenchum attente examinare et alterum cum altero conferre voluerit statim manifestum fiet. Quæ vero deprehenduntur discrimina partim ex librariorum vel typothetarum oscitantia, partim ex ipsius Gennadii ignorantia orta esse videntur. Amanuensium vel editorum peccatis illud ascribendum censuerim, quod una alterave inscriptio in duas divisa et quasi disrupta apud Massiliensem exhibeatur : ita ambæ illæ appellationes, quæ interpunctione omnino distinctæ comparent : « *De fide; contra omnes hæreses* », in unam conjungendæ sint ut primæ *Dissertationis* integer prostet titulus; neque aliter, si binæ et binæ componantur, ad unam eamdemque *Epistolam* designandam spectare dixerís hasce nuncupationes : « *De caritate generali; De dilectione erga proximum speciali;* » — « *De pœnitentia; De satisfactione;* » — « *De resurrectione; De vita post mortem;* » — « *De castitate*; *Adversus gentes*. » Porro sub verbis :

(1) Pagg. 132-134.

*De regno Persarum*, venit *Homilia de bellis*, ut ex hujus tenore perspicue colligitur; nec diffitebor ego, si quis loco tituli : *De gentium conversatione*, legendum conjecerit : *De gentium conversione*, ita ut quadret indicatio in *Dissertationem de gentibus quæ sunt loco populi Israelitici*. Duæ quidem inscriptiones sequentes : *De sensu animæ*, *De constructione tabernaculi*, quibusnam ex *Epistolis* Sapientis Persæ conveniant, haud facile quisquam definierit. Verum isthæc et alia etiam, si quæ sint, quæ in Gennadii testimonio deficiant, abundent, vel discrepent ab editione Wrightiana, ex auctoris inscitia et temporum ac locorum distantia sufficienter explicantur (1), neque alicui exinde licet negare eosdem utrobique tractatus recenseri.

In exemplaribus tam textus Syriaci quam versionis Armeniacæ, *Homiliis* præponitur *Epistola* viri cujusdam, qui Aphraatem rogat ut se fide christiana instituat, quænam opera ad fidei perfectionem requirantur edoceat, suæque menti, dubitationibus perturbatæ, pacem afferat et tranquillitatem. Qui hæc postulat, in translatione Armeniaca vocatur Gregorius Illuminator. At clarissimus ille Armeniæ apostolus jam anno 332, juxta Sassium, e vita decessit, ac proinde fieri non potuit ut *Dissertationes* annis 336-337, 343-344 et 345 exaratæ ad ipsum dirigerentur. Porro e manuscriptis Syriacis, cum primi *Epistolæ* versus in iis evanuerint, interrogatoris nomen comperiri nequit. Conjicere tamen licet, Gregorium eum appellatum esse, indeque factum ut translator Armeniacus eum a Gregorio Illuminatore, doctrina et laboribus apostolicis exantlatis celeberrimo,

(1) Vid. sup., p. 136.

non distingueret. Id autem certum est, virum illum cum Sapiente Persa amicitia fuisse junctum et in statu monastico vixisse. Ipsum namque sic alloquitur *Homiliarum* auctor (1) : « Propositum mihi est, amice, ad te sermonem etiam instituere de re quam prætermittere non possum, de sacro scilicet pacto, seu *de virginitate et continentia in qua vivimus.* » Et alibi hæc, quæ nec minus aperta sunt, nec minus decretoria, occurrunt (2) :

ܠܗܕܐ ܡܠܬܐ ܐܝܬ ܦܘܪܥܢܐ ܣܓܝܐܐ . ܡܛܠ ܕܒܨܒܝܢܢ ܗܘ
ܡܢܛܪܝܢ ܠܗ̇ . ܘܠܐ ܡܢ ܦܘܩܕܢܐ ܘܐܠܨܢܐ ܕܢܡܘܣܐ .
ܘܠܐ ܚܝܒܝܢ ܚܢܢ ܒܗ̇ ܬܚܝܬ ܢܡܘܣܐ . ܨܘܪܬܗ̇ ܘܕܡܘܬܗ̇
ܐܫܟܚܢ ܒܟܬܒܐ . ܘܚܙܝܢ ܕܒܗ̇ ܢܨ̈ܝܚܐ ܐܫܬܘܬܦܘ ܕܡܘܬܐ
ܗܝ ܕܥܝ̈ܪܐ ܕܫܡܝܐ . ܘܐܘܪܚܐ ܒܡܫܡܠܝܘܬܐ ܐܬܚܙܝܬ .
ܗܠܝܢ ܡܠܝܢ ܕܡܢ ܢܦܫܢ ܠܐ ܢܬܠܘܢ . ܘܦܘܩܕܢܐ ܐܝܟ ܠܡܫܠܡܘܬܗ
ܠܐ ܡܬܚܝܒ . ܠܐ ܕܐܝܬ ܠܗ ܘܡܬܚܝܒܝܢ ܡܬܚܝܒ ܠܗ . ܘܠܐ
ܕܟܬܒ ܠܗ ܘܢܛܪ ܡܬܒܥܐ ܠܗ . ܦܫܛ ܚܩܩܘܗܝ ܗܘܐ
ܡܫܡܠܝܘܬܐ . ܕܟܠ ܐܝܬܘܗܝ ܡܫܠܡܢܐ ܠܗ . ܡܢܗ ܡܩܒܠ
ܕܥܒܕ ܠܗ ܦܘܩ ܦܘܪܥܢܐ ܠܡܫܡܠܝܘܬܐ ܡܢ ܡܪܝܐ .
ܕܡܫܡܠܝܢ ܠܐ ܡܬܦܪܫܝܢ ܡܢܗ̇ ܕܒܬܘܠܘܬܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ .

« Huic conditioni (eorum nempe qui cælibem vitam agunt) magnum conceditur præmium, quia *ipsam libere servamus*. Non mandato præscribitur vel imponitur, *non legis vinculo ad eam adigimur*. Formam ejus et exemplar invenimus in Scripturis, videmusque viros illustres per eam spiritibus cœlestibus similes exstitisse.

(1) Edit. Wright. pag. ܫܡܗ . Verba Syriaca habes p. 104 nostræ *Dissertationis*.

(2) Ed. Wright., pagg. ܬܠܗ et ܬܠܘ .

In terra autem virginitas per gratiam custoditur; semel amissa, non reparatur, nec pretio acquiri potest. Ipsam qui habuit et pessumdedit, non recuperat; qui eadem caret, ad illam currendo non pertinget. Ama, carissime, donum hoc, cui nullum aliud in universo mundo æquale est. Ex iis vero quæ scripsi tibi redargue Judæos, qui propter libidinem suam ad virtutem virginitatis et continentiæ pervenire nequeunt. » Ex his testimoniis liquet, Pseudo-Illuminatorem, perinde ac eum quem consulueerat, continentiæ voto adstrictum fuisse. Nec dubium est hujusmodi obligationem ex vitæ cœnobiticæ susceptione esse ortam. Id enim cum primorum sæculorum mores persuadent, tum clare manifestat locus alius quem jam antea (1) ex *Dissertatione de pœnitentia* attulimus : in hoc quippe scriptor seipsum et amicum iis annumerat qui, cum statum monasticum amplexi sint, Deo famulari et frequentes dæmonum impetus fortiter repellere debent.

Addi forsan posset, eumdem illum consultorem munus gessisse archimandritæ. Id certe Aphraates innuere videtur, dum pluries monet ut acceptis *Epistolis* utatur non ad propriam tantum, sed ad *monachorum* etiam institutionem et ædificationem. Huc pertinent quæ sequuntur (2) : ܩܪܝ ܘܐܠܦ ܐܢܬ ܘܐܚ̈ܐ ܒܢ̈ܝ ܩܝܡܐ ܘܒܢ̈ܝ ܗܝܡܢܘܬܢ . ܐܝܠܝܢ ܕܪܚܝܩܝܢ ܡܢ ܡܡܙܚܢܘܬܐ . « Lege atque disce, tu, et fratres monachi et alii fideles, qui a derisione longe absunt. » Quibus consona sunt quæ alio in loco (3) sic habentur : ܡܬܚܡܠ ܩܪܝ ܒܗܘܢ

(1) Pagg. 107 et 108.
(2) Ap. Wright., p. ܙ .
(3) Ibid., p. ܡܟܒ .

ܩܪܝ ܕܟܬܒܬ ܠܟ . ܐܢܬ ܘܐܚܐ ܒܢܝ ܩܝܡܐ . ܐܝܠܝܢ ܕܪܚܡܝܢ ܒܬܘܠܘܬܐ . « Lege igitur quæ tibi scripsi, tu et fratres monachi qui virginitatem diligunt. » Quorsum specialis illa, eaque haud semel iterata, monachorum mentio, nisi de talibus monachis fortasse agatur, qui cum scriptoris amico degerent, imo ejus curæ essent aliquo modo commissi? Quos etiam Aphraatis menti obversatos esse dixeris, dum hæc scriberet (1) : ܘܣܓܝ ܠܘܬܢ ܚܒܝܒܢ ܐܝܬ ܒܗܘܢ ܒܟܬܒܐ ܩܕܝܫܐ ܡܛܠ ܕܗܝܡܢܘܬܐ . ܐܠܐ ܗܠܝܢ ܡܢ ܣܓܝܐܬܐ ܙܥܘܪܝܬܐ ܐܥܗܕܬ ܠܚܘܒܟ . ܕܬܕܥ ܘܬܠܦ ܘܬܗܝܡܢܘܢ . ܐܦ ܐܚܪܢܐ ܢܗܝܡܢܘܢ . « Alia quidem multa, carissime, de fide in Sacris Scripturis reperiuntur. Sed ex plurimis pauca revocavi in memoriam Dilectionis tuæ, ut scias et doceas, ut credas et alii, te auctore, credant. » Verba hæc ad virum diriguntur, qui fratres profundiori saltem disciplinæ sacræ cognitione imbuendos curare deberet. Qui cum ipse, ut ex dictis constat, monachus esset, haud multum a vero abesse nobis videmur, si statuamus, et eos quibus fidei doctrinam tradebat in eodem vivendi genere fuisse constitutos, proindeque illum alicui cœnobio præfuisse.

Cæterum quam indicia interna suadent conjecturam, eam confirmat etiam explicitum testimonium lectoris anonymi, qui a fine *Homiliæ de acino* (2) hæc subjunxit : ܗܢܐ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܓܒܪܐ ܓܡܝܪܐ ܘܐܠܗܝܐ ܗܘܐ . ܘܟܬܒܐ ܣܓܝܐܐ ܣܡ ܒܚܫܚܬܐ . ܟ̈ ܟܬܒܝܢ . ܗܘ ܐܦܪܗܛ ܕܡܬܩܪܐ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܕܫܡܗ ܐܠܝܫܥ . « Sapiens hic Persa vir perfectus et divinus fuit, librosque multos in Ecclesiæ usum composuit.

(1) Ibid., p. ܩܝ .
(2) Wright., *op. cit.*, præf. p. 11.

Ipse *Epistolam* hanc scripsit, eamque ad abbatem quemdam misit. » De vi quidem ac sententia hujus annotationis, quod spectat ad postremam propositionem Syriacam, nobis non consentit cl. Wrightius, siquidem, quantum ex ipsius verbis colligere licet (1), de quanam *Epistola* ibi sermo sit dubius et inscius hæret. Verum, ut id candide fatear, ullam hujus dubitationis rationem ego non perspicio : omnia quippe lectoris prædicti verba ita comparata mihi videntur, ut in *Homiliam* proxime antecedentem aptissime quadrent et eum sensum fundant quem latine expressi. Quod si semel fuerit admissum, inferendum erit, ex anonymi mente universas Aphraatis *Epistolas* ad archimandritam directas fuisse; ipse namque auctor lucubrationes suas omnes ad eumdem amicum a se missas perspicue significat (2).

Ad ætatem translationis Armeniacæ quod attinet, jam asseruimus, eam non esse textu primigenio multo recentiorem. Scriptorum tamen hac de re certa testimonia desiderantur. Nam a Fausto Byzantino (3) et Mose Chorenensi (4), sicut in S. Jacobi Nisibeni historia quam nobis ex Armenorum *Menologio* exhibet Antonellus (5), de vita quidem et rebus gestis magni illius Episcopi multa et, pro more atque indole gentis, mira narrantur; de scriptis vero quorum fuerit auctor ne ullum quidem verbum occurrit. Vetustissimum quod apud Armenios

(1) « I do not find this epistle mentioned anywhere else » Ita ille, in notula huic testimonio apposita, *op. cit.*, præfat. p. 11.

(2) Ap. Wright., p. ܠܘܐ .

(3) Sassius, *op. sæpius cit.*, p. 24; Langlois, *Collection des historiens anciens et modernes de l'Arménie* (Paris, 1867), tom. I, p. 218 seqq.

(4) Ap. Antonellum (*S. Jacobi, Ep. Nisibeni, sermones*), præfat., pp. 39 et 40.

(5) *Op. cit.*, præfat. p. 33 seqq.

exstet de lucubrationibus ejus documentum continetur in *Libro precum*, quem sæculo X Gregorius Nariekensis concinnavit (1). « Libros, ait Gregorius, mundo utiles ac salutares scripsit (S. Jacobus); rebus præclare definitis et ad rationis examen exactis, maledicorum ora obstruxit, et hæreticam sectam obmutescere fecit, et indelebiles regulas perpetuo stabilivit. » Ex ejusmodi autem testimonio nihil, uti patet, quoad rem de qua nunc quærimus eruere licet. At quoniam sæculo V, aurea litterarum Armeniacarum ætate, ab Isaaco Magno et Mesrope juvenes eximio ingenio præditi quum in Græcorum imperium, tum in Syriam missi sunt, ut litteraria illarum gentium monumenta addiscerent atque in popularium usum interpretarentur, dubium esse vix potest, ea tempestate, sicut multa opera Ephræmi, ita etiam Sapientis Persæ *Homilias* Armeniaca civitate esse donatas (2). Ut enim taceam, hasce *Homilias* inde a sæculo VI scriptoribus Syriacis vix jam notas fuisse, et certe auctoritate, ita ut eas vertere operæ pretium videri potuisset, omnino caruisse, peritia linguæ Aramææ, minime vulgaris, quam præ se fert translator, ad tempora illa antiqua nos delegat quibus duæ illæ nationes frequentissimo commercio intime conjunctæ erant. Adde, juxta Sassium (3), in versione Armeniaca formas nonnullas grammaticales linguæ vetustissimæ proprias reperiri, qualis est conjunctivus temporis imperfecti, qui etiam apud Faustum Byzantinum, auctorem exeunte

(1) Ap. Antonellum, *op. cit.*, præf. pp. 41 et 42.

(2) Cfr. Sassius, *Prolegg. in Aphraatis sermones homilet.*, p. 24 seqq., ubi plura atque doctiora de translationis Armeniacæ ætate et indole suppeditantur.

(3) *Op. et loc. citt.*

sæculo IV florentem, in usu est, in recentioribus vero libris rarissime adhibetur.

Ut autem accuratius, quantum per distantiam temporum et monumentorum inopiam licet, ætatem versionis indagemus, terminus ante quem confecta esse non potest inde colligi videtur, quod qui ipsam elaboravit translationem Veteris et Novi Testamenti Armeniacam compertam habuit, adhibuitque in scribendo, cum tamen hæc nonnisi anno post Chr. circiter 432 ad interpretationem Græcam exarata sit. Non solum nomina propria, quæ diverse in diversis documentis scribuntur, hic similem atque in Bibliis Armeniacis formam adsciverunt et ad exemplaria Græca expressa sunt, verum etiam loci quidam ex sacro volumine deprompti aperte juxta eosdem fontes mutati fuere. Quod ut demonstretur, duo exempla sufficiant. Locum ex *Geneseos* cap. XLIX, vv. 3 et 4, ab Aphraate, pag. ܨܡ, allegatum translator, ab archetypo omnino discedens, talem attulit qualis in versione Armeniaca legitur; nam pro ܪܝܫ ܥܘܫܢܝ, *principium roboris mei*, quod Sapiens Persa, cum textu primigenio (רֵאשִׁית אוֹנִי) et interprete Syro consentiens, posuerat, ipse incisum substituit, quod Græcæ LXX lectioni : *ἀρχὴ τῶν τέκνων μου*, adeo concinit ut verbum verbo reddat. Alterum testimonium, ex I Cor. XV, 13-15, citatum (1), translator (2) quum in universum versioni Novi Testamenti Armeniacæ magis accommodavit, tum post verba ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܩܡ, in quæ apud Aphraatem, sicut et in Peschittha, sententia explicit, addidit

(1) Ap. Wright., p. ܨܠܐ.
(2) Ap. Antonellum, p. 255.

clausulam quam habent et textus Græcus et Vulgata : *εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, si mortui non resurgunt.*

Tempus autem ultra quod versionis Armeniacæ ortus differri nequit eo forte indicio proditur, ait Sassius, quod interpres Aphraatis propositionem, qua dicit, mundum hunc post sex millia annorum destructum iri, ad verbum expressit (*Hom. II*, § 13). Quum enim aliis in locis, ut ex modo dictis apparet, verba archetypi, ubi aliqua suppetebat ratio, mutare non dubitaverit, fas est ambigere utrum testimonium istud integrum relicturus fuerit, si post annum 500, in quem, secundum temporum computationem Armeniis illa ætate usitatam, desinit sex millium annorum periodus, translationem suam elaboravisset.

Quæ quum ita se habeant, non improbabiliter statuas, *Homiliarum* Sapientis Persæ versionem Armeniacam altero sæculi V dimidio labente confectam esse.

Si de ejusdem versionis pretio et auctoritate pensanda agatur, fateor linguæ rudiorem esse me, quam ut judicium ipse ferre queam. Liceat tamen, doctiorum gratia, paucis exhibere sententiam viri cl. Sassii (1), cui plurima ex iis quæ in præsenti paragrapho tradidi accepta lubens refero. « Translator Armeniacus, ait, linguæ Syriacæ peritissimum se præbet atque archetypo accurate et fide vertendo in universum operam dedit. Itaque evenit ut quasdam linguæ Syriacæ proprietates in sermonem suum Armeniacum transsumeret. » Ita et modum temporis imperfecti verbo ܨܒܐ, *voluit*, circumscribendi, ut in hac propositione (2): ܨܒܐ ܕܢܒܥܐ,

(1) *Op. cit.*, p. 27 seqq.
(2) Wright., p. ܗ .

*denegabit*, et figuram etymologicam, qualis in isto commate habetur(1): ܡܣܬܪܚܘ ܡܣܬܪܚܝܢ ܗܘܘ, *destruendo destruebant*, in interpretatione sua retinuit. Quid, quod usus ille, mere Semiticus, pronomen relativum (syr. ܕ) definiendi pronomine personali ad illud se referente sæpe in versione Armeniaca occurrit? » Unde, v. g., constructiones sequentes : ܙܪܥܐ ܗܘ ܕܒܗ ܥܡ̈ܡܐ ܐܬܒܪܟܘ *semen* ILLUD QUO *gentes benedicuntur*, — ܡܢ ܕܚܛܝܬܐ ܪܚܝܩܐ ܡܢܗ, IS A QUO *peccatum longe abest*. In rebus autem minoris momenti quædam desiderantur. Translator significationem voculæ ܕ relativam et conjunctionalem frequentissime confudit; passim etiam aut codicis Syriaci quem vertit mendis, aut sua in legendo incuría in errores est inductus, ita ut verborum in universum magis quam sensus rationem habuisse videatur. Sic *Epistolæ* Pseudo-Illuminatoris vox initialis haud dubie fuit ܐܢܐ, *ego*, sed interpres legit ܐܠܐ, et hinc satis absurde *Epistolam* particula adversativa, cui respondet Latinorum conjunctio *sed*, exorsus est. Alibi pro ܐܘ (o !) legit ܐܘ, *aut, vel;* pro ܚܕ, *unus*, legit ܚܙܐ, *vidit*; et ex his similibusque oculorum lapsibus ineptarum interpretationum occasiones nactus est. Cæterum quamvis auctoris sui textum fidelissime reddere studuit, eum tamen nonnunquam suo arbitrio vel auxit vel contraxit. Solet enim verbum simplex duabus vocibus synonymis exprimere, ut tibi manifestum erit si simul conferas ed. Wright. pag. ܗ, lin. 13, et ed. Anton. pag. 3, lin. 12; item ed. Wr. p. ܘ, l. 4, et ed. Ant. p. 4, ll. 14 et 15;

(1) Ibid., p. ܘ .

tum Wr. p. ܡܝ, l. 13, et Ant. p. 20, lin. ult., etc. Majora additamenta, quæ sensui explicando potissimum inserviunt, reperies, v. gr., Ant. p. 20, 9-11 (cf. p. 30, 17 seqq.); p. 42, 8-11; p. 78, 10-14, et alibi. Neque contra desunt exempla locorum in quibus archetypum coarctaverit interpres. Ita ed. Wright, pag. ܡܘ, hæc leguntur : ܝܘܣܦ ܐܬܕܒܪ ܡܢ ܥܢܐ. ܕܢܕܒܪ ܠܡܨܪ̈ܝܐ ܒܙܒܢܐ ܕܐܘܠܨܢܐ. ܘܡܘܫܐ ܐܬܕܒܪ ܡܢ ܥܢܐ. ܕܢܕܒܪ ܠܥܡܗ ܘܢܪܥܐ ܐܢܘܢ. ܘܕܘܝܕ ܐܬܕܒܪ ܡܢ ܫܒܩ ܥܢܐ. ܕܢܗܘܐ ܡܠܟܐ ܥܠ ܐܝܣܪܝܠ ...... ܠܐ ܗܦܟ ܡܘܫܐ ܠܘܬ ܥܢܗ. ܘܠܐ ܫܒܩ ܡܪܥܝܬܐ ܕܐܫܬܠܡܬ ܠܗ. ܘܠܐ ܗܦܟ ܕܘܝܕ ܠܘܬ ܥܢܐ ܕܐܒܘܗܝ. « Josephus a grege ovium assumptus est, ut Ægyptios tempore afflictionis gubernaret; Moyses a grege ovium assumptus est, ut populum suum pasceret et regeret; David, pascendis pecoribus valedicere jussus, rex Israelis constitutus est........ Moyses ad priores oves non est reversus neque alterum gregem sibi commissum dereliquit, nec David ad pecora patris sui rediit. » — Hæc porro pericope apud translatorem Armenium paucioribus in hunc modum exhibetur : « Josephus, Moses, David ab ovibus assumpti sunt ad ducendum populum, nec ad pecora rationis expertia redierunt. »

« Indicia certa quibus plures fuisse translatores ostendatur (ita pergit Sassius), non inveni. Imo modus vertendi idem universe est in omnibus *Homiliis*, ob eamque rem quo jure Antonellus *stilum*, *modum ac rationem scribendi Homiliæ XIV* (arm. XIX) *dissimilem esse minimeque cum aliis Sermonibus seu Epistolis consentientem* dicere potuerit, non video. »

« Lectiones codicis e quo versio Armeniaca manavit

semper fere cum codice sæculi VI, a Wrightio littera A signato consentiunt...... Sed codex ille etiam suas proprias habuit lectiones, quæ nonnunquam lectionibus trium codicum e quibus Wright opera Aphraatis edidit sunt præferendæ, itaque textui nostro emendando non raro inserviunt. » Unde et doctissimus hujus editor significat, dolere se quod, linguæ ignarus, translatione Armeniaca ad severiorem archetypi correctionem uti non potuerit (1).

## § 3. DE EDITIONE ANTONELLI ET VERSIONE LATINA.

Armeniacam *Epistolarum* Aphraatis versionem, de cujus origine et indole disseruimus, typis vulgandam primus curavit, sæculo proxime lapso, Cardinalis Nicolaus Antonellus, vir rerum et linguarum orientalium peritissimus; operique suo hunc præfixit titulum : *Sancti Patris nostri Jacobi, Episcopi Nisibeni, Sermones, cum præfatione, notis, et dissertatione de ascetis* (2). Volumen illud, propter auctoris nomen et doctrinam magni faciendum, etiam eruditione editoris, adjecta translatione Latina, aliisque additamentis, quæ ipsa inscriptio indicat, plurimum commendatur. De argumentis tamen quibus in procemio liber Jacobo Nisibeno vindicatur, dicemus in articulo sequenti, eaque nullius esse frugis ostendemus. Illud interim notandum, et alio errore deceptum esse Antonellum, cum ipsi tantum non persuasum fuerit Armeniacas quas edebat *Homilias* primigenium esse scriptoris textum. Hæc enim promit (3),

(1) Cfr. Wright., *Op. cit.*, præf. p. 6.
(2) Romæ, typis S. C. de propaganda fide, a. 1756.
(3) *Op. cit.*, præfat. p. 9.

agens contra Gennadium, qui Nisibenum Præsulem Syriaco idiomate usum esse asseruerat : « At vero cum ignoti omnibus Syris fuerint, ego potius conjecturam facio, hos *Sermones*, qui nunc primum in publicum exeunt, non Syriaca, sed Armena lingua, qua utebatur S. Gregorius, Armenorum Episcopus, a quo S. Jacobus rogatus scripsit, compositos fuisse; vel certe, si primum a S. Jacobo Syrorum lingua scripti fuerunt, exemplar Syriacum in Armeniam missum et in idioma quo regio illa utebatur versum ac divulgatum, verosimiliter, ut accidere solet, deperditum esse. » Ita doctus Cardinalis, inter duas hypotheses liberam nobis electionem permittens. Verum enimvero, ut nunc omittam utramque opinionem hoc inani fundamento niti, quod *Homiliæ* ad Gregorium Illuminatorem primitus directæ fuerint, quam procul prior a vero distet et ex iis quæ passim dicta sunt constat, et clarius adhuc patescet ex argumentis invictis quæ infra ad probandam textus Syriaci authentiam congeremus. Quod autem subditur de archetypo mox in linguam peregrinam converso atque subinde amisso, an et quo sensu admitti possit vel debeat, lectori ex iis quæ præmissa fuere colligendum relinquimus.

Non universas *Epistolas* syriace exstantes continet editio Antonelli, sed tantum novem et decem priores. Desunt igitur *Dissertationes* quatuor : *De sustentatione pauperum*; — *De persecutione*; — *De morte et temporibus extremis*; — *De acino*. Nec quoad reliquas omnes ea servata est dispositio mutua quam statutam voluerat auctor : *Homiliæ XI—XIX* præpostero ordine occurrunt, earumque transmutationes oculis subjicit sequens elenchus :

| | *Editio Syriaca :* | | *Editio Romana :* |
|---|---|---|---|
| XI. | De circumcisione. | XI. | De circumcisione contra Judæos. |
| XII. | De paschate. | XII. | De sabbato contra Judæos. |
| XIII. | De sabbato. | XIII. | De distinctione ciborum. |
| XIV. | Epistola exhortatoria. | XIV. | De paschate. |
| XV. | De distinctione ciborum. | XV. | De ingressu gentium pro populo Judæorum, seu de gentium vocatione et reprobatione Judæorum. |
| XVI. | De gentibus quæ sunt loco populi Israelitarum. | XVI. | Christum Dei Filium esse demonstratur. |
| XVII. | De Christo Dei Filio. | XVII. | De virginitate et sanctitate contra Judæos. |
| XVIII. | Contra Judæos de virginitate et sanctitate. | XVIII. | Refutatio adversus Judæos, dicentes propediem synagogam instaurandam esse. |
| XIX. | Contra Judæos, dicentes fore ut denuo congregentur. | XIX. | De adversitate et schismatibus, quæ sunt alicubi in provinciis, et de superbia, arrogantia atque certamine elationis capitalis principatus. |

Sed ordinem istum non eodem saltem modo primitus inversum fuisse in versione Armeniaca, conjici potest ex his quæ apud Antonellum, p. 309, leguntur : « Itaque de hoc die sabbati, carissime, pro quo gestiens superbit et gloriatur populus Judæorum, dicens : « Ex hoc vita est, quia observamus sabbata et festivitates paschales, » quantum potero, curabo ut paucis te instruam, perinde ac feci de circumcisione et de festis paschalibus. » Postrema hæc verba, quæ textui Syriaco (1) apprime consonant et ipsius auctoris ordinationem manifestant, interpres Armenius, ut videtur, vel suppressisset, vel, quemadmodum passim fecit, ad alium deflexisset sensum, si *Homilias* nova methodo voluisset dispositas. Sequitur ordinem qui nunc in editione Antonelli cernitur a librario quodam ignoti nominis et temporis inductum esse. Scriba autem forsan motus fuerit verbis Aphraatis (2) : « Nam in his tribus valde gloriantur (Judæi), in circumcisione, in observantia sabbati et in delectu ciborum, » ut tres *Dissertationes de circumcisione*, *de sabbato*, *de distinctione ciborum*, aliam post aliam, serie non interrupta, poneret. Neque tamen hic transmutandi finem fecit : *Epistolam* enim synodicam, quæ in exemplaribus Syriacis est decima quarta, ab aliis separatam ad calcem totius operis ablegavit, quum,

(1) Ita syriace legitur locus statim adductus, ap. Wright., p. ܪܠܒ :
ܟܠ ܗܢܐ ܚܒܝܒܝ ܡܛܠ ܫܒܬܐ ܫܘܕܥܬܟ . ܕܡܫܬܒܗܪܝܢ ܒܗ ܘܡܫܬܒܗܪܝܢ
ܒܗ ܥܡܐ ܕܝܗܘܕܝܐ ܘܐܡܪܝܢ . ܕܒܗܕܐ ܚܝܝܢ ܚܢܢ ܕܢܛܪܝܢ ܐܢܫܝܢ
ܫܒܬܐ ܘܥܐܕܐ . ܗܫܐ ܕܡܨܐ ܐܢܐ ܐܘܠܦܟ ܒܩܠܝܠܐ . ܐܝܟ ܡܐ
ܕܐܘܠܦܬܟ ܥܠ ܓܙܘܪܬܐ ܘܦܨܚܐ .

(2) Edit. Wright., p. ܫܟܛ .

ut ipse testatur, eam non ad Gregorium Illuminatorem, perinde ac alias, scriptam esse existimaret.

Textus Armeniacus, qualis ab Antonello editus est, nonnullis majoribus lacunis est interruptus. Ita *Homiliæ de oratione*, sicut et *Homiliæ de monachis*, deest locus, qui ad quinque paginas in editione Wrightiana protenditur; duæ paginæ deficiunt in *Homilia de resurrectione*, una in *Homilia de sabbato*, una denique in *Homilia contra Judæos dicentes sese denuo congregatum iri* (1). Sæpissime vero vocabula ac particulæ sententiarum desiderantur, ita ut sensus nonnisi archetypo Syriaco ad supplendas lacunas adhibito intelligi possit. Adde, juxta Sassium (2), translationem Armeniacam plenam esse « mendorum ac corruptionum; quarum quamquam maxima pars malæ manuscriptorum conditioni videtur esse culpæ danda, tamen multæ editoris incuriæ debentur. »

Ut tandem absolvamus quæ de Antonelli opere dicenda erant, monemus, versione Latina quam a se concinnatam libro suo cl. vir inseruit, ei qui, cum sit linguarum Syriacæ et Armeniacæ imperitus, velit nihilominus prudens de Aphraatis doctrina judicium ferre, magna cautione utendum esse; nam si cum textu primigenio illa versio comparetur, paraphrasis in universum potius quam fida interpretatio deprehenditur, et passim ne sensum quidem auctoris expressit.

(1) Istæ lacunæ a Wrightio, suo quæque loco, annotantur. Cfr. p. ܥܘ, not. b; p. ܩܥ, n. r; p. ܩܨ, n. d; p. ܪܟܗ, n. f; p. ܫܟܐ, n. l; p. ܫܟܗ, n. w.

(2) *Op. cit.*, p. 31.

## § 4. DE EDITIONE WRIGHTIANA.

Aphraatis nostri textus primigenius, postquam in bibliothecarum pluteis annos amplius mille latuerat, in publicam lucem tandem datus est Londini, anno 1869, procurante cl. viro Gulielmo Wrightio, cujus eximia in linguam Syriacam et varias rerum orientalium disciplinas merita exinde magnopere aucta sunt. Ut autem librum hic edere posset, qui Sapienti Persæ sua jura restituturus et ab omnibus scientiæ cultoribus ingenti gaudio et plausu excipiendus erat, facultatem atque materiam nactus est ex amplissima illa et pretiosissima collectione Codd. Mss. Syriacorum, qui ante aliquot decennia ex monasterio S. Mariæ Deiparæ, antiquissimo monachorum Monophysitarum domicilio, in Ægypto inferiori sito, in Museum Britannicum advecti fuere (1). Has enim opes, statim atque in Europam allatæ sunt, summa diligentia perscrutari cœperunt quotquot litterarum Aramæarum progressum et rei christianæ universim bonum cordi habent; indeque multa deprompserunt volumina, vel Libros Sacros, vel sanctorum Patrum scripta Syriaco sermone exhibentia. Porro inter auctores quorum opera, adhuc incognita, hac occasione e situ et squalore eruta fuerunt haud infimum locum tenet Aphraates noster. Cujus lucubrationes typis vul-

(1) Horum omnium elenchum, simulque accuratissimam singulorum descriptionem habes apud Wrightium, *Catalogue of the Syriac manuscripts in the British Museum, acquired since the year* 1838. De pretio autem et utilitate collectionis Nitriensis in re theologica, exegetica et patristica agit doctus scriptor *Op. cit.* III, præf. p. 16 seqq. Cfr. etiam cl. Lamy opusculum cui titulus : *Les manuscrits syriaques du Musée Britannique*. Bruxelles, 1880.

gare, hujusmodi curæ pretio et commodis inductus, jam circa annum 1860 proposuerat doctissimus Curetonius; ast variis primum detentus impedimentis, mox fato præreptus, consilium ad exitum perducere non potuit (1). Quare Wrightius laborem ab amico moriente sibi commendatum fortiter suscepit, susceptumque feliciter absolvit. *Epistolarum* Sapientis Persæ textum authenticum ei suppeditarunt tres collectionis prædictæ codices Mss., quorum indolem et formam, quales ab ipso editore nobis descriptæ sunt, breviter hic exponere juvat (2).

Primus codex, ad editionem parandam adhibitus, numero 14619 inter Codd. Musæi Londinensis additios signatus est. A Wrightio, in notis textui appositis, littera A constanter significatur. Compactus est foliis chartæ pergamenæ 173, quorum quædam mutila vel maculata sunt, præsertim foll. 1-4, 41, 86-89, 109, 169 et 173. Alia folia, quæ scilicet 6um ex restantibus, 21um et 167um excipiebant olim, deperdita sunt. Continent autem singulæ pagellæ duas columnas charactere estranghelico, nitido latoque, ad sæculum VI pertinente, exaratas. Codex complectitur viginti duas *Homilias* alphabeti ordine digestas, necnon *Dissertationem de acino*. In fol. 1 verso, inter columellas, recentior aliqua manus hæc inseruit : ܩܪܝ [ܐܓܪ]ܬܐ ܕܬܚܘܝܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܕܚܣܝܐ ܦܪܣܝܐ ܚܟܝܡܐ ܕܟܬܝܒܢ ܘܡܬܢܝܢ ܟ̄ܒ ܟܠܗܝܢ . [ܘܒ ܕ]ܒܐ ܡܟܠܠ ܠܐܠܟܣܢܕܪܘܣ ܕܢܣܛܘܪܝܘܣ ܐܬܐ ܡܫܬܐ ܕܪܗܡܣܝܡ ܚܘܒܐ ܩܕܡܝܬܐ ܕܐܓܪܬܐ ܩܪܝ . « *Epistola* prima, qua dis-

(1) Cfr. Wright., *The homilies of Aphraates*, præfat. pag. 17.
(2) Cfr. Wright., *op. cit.*, præfat. pp. 10-16.

serit *de fide* vir egregius et doctor, Sapiens Persa, cujus oratio nobis adsit. Rescripta est ad discipulum, qui ab illo petierat mysteriorum in Libris sacris Ecclesiæ sanctæ consignatorum expositionem. » A fine *Homiliarum alphabeticarum*, fol. 154 verso, ista legitur epigraphe : ܫܠܡ ܠܟܬܒܗܘܢ ܐܓܪ̈ܬܐ ܬܪ̈ܬܝܢ ܘܥܣܪܝܢ ܕܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ . « Absoluta est descriptio duarum et viginti *Epistolarum* Sapientis Persæ. » Cui clausulæ sequentia addidit lector quidam, nomine Zachæus, seu Nicolaus : ܗܢܐ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܓܒܪܐ ܓܡܝܪܐ ܗܘܐ ܘܡ̈ܠܘܗܝ ܘܡ̈ܠܦܢܘܬܗ ܣ̈ܗܕܝܢ ܥܠܘܗܝ . ܨܠܘܬܗ ܥܡܢ . ܐܡܝܢ . ܙܟܝ ܚܛܝܐ . « Sapiens hic Persa vir perfectus fuit, verbaque et doctrina ejus testimonium de ipso perhibent. Intercessio ejus nobis adsit. Amen! Zachæus peccator. » Idem etiam ad calcem totius codicis, folio 173 verso, doxologiæ hæc subjecit : ܗܢܐ ܦܪܣܝܐ ܚܟܝܡܐ ܐܠܗܝܐ ܗܘܐ ܘܡܫܡܠܝܐ . ܘܣ̈ܓܝܐܐ ܟܬܒܐ ܣܡ ܠܚܫܚܬܐ . ܨ ܠܘܬܗ ܥܡܢ . ܗܘ ܐܓܪܬܐ ܕܗܕܐ ܟܬܒ ܠܪܝܫܕܝܪܐ ܫܕܪܗ ܐܠܐ . « Sapiens hic Persa vir perfectus et divinus fuit, librosque multos in Ecclesiæ usum composuit. Ejus intercessio nobis adsit. Ipse *Epistolam* hanc scripsit, eamque ad abbatem quemdam misit. »

Duorum aliorum codicum unusquisque ita mancus est et incompletus, ut demum alteri conjunctus integrum efformet exemplar *Epistolarum* Aphraatis; unde et in unum volumen ambo pridem compaginati fuere. Prior, membranaceus, inter Codd. Mss. Mus. Brit. addititios numero 17182 prænotatus, quem Wrightius littera B ubique demonstravit, constat foliis 99, ex quibus nonnulla sordida adrnodum sunt vel lacera, imprimis foll.

1, 2, 8. 40-42 et 99. Quinque folia amissa sunt, quæ inter remanentiá pone 1, 42, 43, 51, 73, reponenda essent. Pagella quæque in duas partitur columnas, textusque charactere estranghelico nitido, etsi minime eleganti, Edessæ exaratus est. Scriptionis tempus indicatur annus Gr. 785, post Chr. 474; at folium 7 recentiori ætate, et, ut videtur, sæculo circiter nono insertum fuit. Continet codex decem priores *Homilias*, quarum hæc est epigraphe finalis : ܫܠܡ ܠܡܟܬܒܘ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܕܐܓܪ̈ܬܐ ܩܕ̈ܡܝܬܐ ܕܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ . ܕܗܘܝ̈ܢ ܒܡܢܝܢܐ ܥܣܪ . ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ ܘܥܠ̄ . « Absoluta est descriptio in libro hoc *Epistolarum* priorum Sapientis Persæ, quæ sunt numero decem. Laus Deo, etc. » Juxta notulam quæ folio 99 verso leviore charactere apposita cernitur, codicem ipso, quo hic descriptus erat, anno emit ܡܪܝ ܡܢܝܡ, *Mar Menim*, presbyter ecclesiæ pagi ܚܪܝܫܬܐ, *Harischtha*, Timotheo illius loci Episcopo et Monimo *periodeuta* seu visitatore. Annotatio talis est : ܐܙܒܢ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܓܒܝܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܝ ܡܢܝܡ ܩܫܝܫܐ ܕܥܕܬܐ ܕܚܪܝܫܬܐ ܩܪܝܬܐ ܕܡܢ .... ܕܩܝܡ .. ܐ ܒܟܣܦܐ ܘܩܪܝܒܐ ܕܡܠܘܗܝ ܣܥܪܘܗܝ . ܒܝܘܡܝ ܡܝܬܪܐ ܘܪܚܡܐ ܠܡܝܩܪܐ ܡܪܝ ܛܝܡܬܐܘܣ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܡܪܝ ܡܘܢܝܡܐ ܦܪܝܘܕܘܛܐ . ܕܡܝܩܪܐ ܒܟܠܗ̇ ܕܡܠܘܗܝ ܡ̈ܩܝܡܘܗܝ ܠܟܠܢ ܩ̈ܕܫܐ ܒܗ ܠܡܟܢܫܗ ܘܟܠ ܡܠܝܘܗ ܘܒܟܠܟܠܗܝܢ ܕܟܠܗܝܢ ܠܗ ܠܗ ܗܘܟܢܐ ܕܢܬܓܠܐ ܠܟܠܠܗܘܢ ܐܝܟܢ . ܐܬܬܠܝܛ ܕܡܢ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܒܪܝܫ ܐܢܫ ܕܢܣܒ ܢܣܒܗ ܘܢܟܬܘܒ ܘܢܩܪܐ ܒܐܘܪܚܐ ܕܡܢܬܐ ܕܒܝܬ ܠܗܘܢ . « Librum hunc ad recreationem et lectionem omnium amicorum suorum

emit eximius Mar Menim, presbyter ecclesiæ pagi Harischtha......, in diebus egregii piique Mar Timothei, Episcopi, et Mar Monimi, periodeutæ; ut Christus, intervenientibus omnium Sanctorum suorum precibus, misericordiam impertiatur habitationi suæ et facultatibus suis, utque in sæculo futuro æternam peccatorum remissionem sibi concedat. Amen. Porro scriptum istud mense Decembri anni septingentesimi octogesimi quinti, Edessæ, in urbe Mesopotamiæ, absolutum est. »

Ex alia indicatione, quæ eadem pagina occurrit et quæ temporis injuria ex parte deleta est, discimus exemplar subinde in dominium venisse Jesu seu Josuæ cujusdam : ܗܢܐ ܟܬܒܐ ܐܬܩܢܝܗ̇ ܝܫܘܥ ܒܪ ܡܟܪܝܣ ..... ܡܠܟ ܕܒܪܐ ܒܗ ܕܢܬܠ ܠܒܢܘܗܝ . Denique, fol. 99 recto, post doxologiam, Moses, abbas monasterii S. Mariæ Deiparæ (1), hæc de more notavit : ܐܩܢܝ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܒܪܝܫܥܝܢܐ ܡܘܫܐ ܚܛܝܐ ܪܝܫ ܕܝܪܐ ܕܣܘܪܝܝܐ ܕܒܡܕܒܪܐ ܕܐܣܩܝܛܝܣ ܠܗ̇ ܠܥܘܡܪܐ . ܕܐܠܗܐ ܢܚܘܣ ܥܠܘܗܝ ܘܥܠ ܟܠ ܕܐܫܬܘܬܦ ܥܡܗ . ܘܠܐ ܢܫܬܡܠܝ ܠܐܢܫ ܕܢܫܩܘܠܝܘܗܝ ܡܢܗ ܕܕܝܪܐ ܘܠܐ ܘܠܓܢܒܘܬܐ ܠܒܢܘܗܝ ܕܕܝܪܐ ܗܢܐ . ܘܟܠ ܕܢܦܩܗ ܚܪܡܐ ܢܗܘܐ ܠܒܢܘܗܝ ܒܪܬܐ ܕܡܟܪܝܗ ܠܗ . « Moses peccator, abbas Syrorum in deserto Scetensi, librum hunc Resainæ in usum sui cœnobii emit, ut Deus sibi et iis qui societatem secum habent

(1) Moses hic, qui et Nisibenus dicitur, cum anno 932 Bagdadum sese contulisset, de negotiis monasterii sui apud calipham Al-Mouctader acturus, in hac regione comparavit codices quinquaginta supra ducentos, tum antiquitate, tum aliis nominibus præstantissimos; horum quidam in Bibliotheca Vaticana, plerique vero in Museo Britannico nunc repositi sunt. Videsis, si lubet, B. O. I, p. 83, et *Catalogum Codd. Mss. Mus. Brit.*, passim.

propitius sit. Eumdem autem librum e monasterio auferre vel hoc monitum delere nemini licet. Si quis aliter præsumpserit, sit anathema, donec rem (in priore statu vel loco) reposuerit. »

Tertius codex pariter membranaceus, eodemque numero, quo superior, prænotatus, quem editor *Homiliarum* littera *B* constanter designat, 70 constat foliis. Ex his aliquot nonnihil maculata vel mutila apparent, speciatim foll. 100-102 et 173-175. Verisimile est exemplar olim duodecim quaternionibus compactum fuisse; at duo priores nunc deperditi sunt, sicut et folium quod 105 subsequebatur. In unaquaque pagina binæ columnæ; scriptionisque tempus librarius ipse annotavit, annum scilicet Gr. 823 seu Chr. 512. Insunt *Homiliæ* tredecim : duodecim posteriores ex iis quæ alphabetico digestæ sunt ordine, et *Dissertatio de acino*. Subscriptio hæc fol. 174 recto apposita est : ܫܠܡ ܠܡܟܬܒܘ ܟܬܒܐ
ܗܢܐ ܐܓܪ̈ܬܐ ܟܠܗܝܢ ....... ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܚܟܝܡܐ
ܦܪܣܝܐ . ܕܗܘܝܢ ܒܡܢܝܢܐ ܥܣܪܝܢ ܘܬܪ̈ܬܝܢ ܐܝܟ ܐܠܦ
ܒܝܬ ܘܚܕܐ ܕܥܠ ܛܘܛܗܬܐ . ܫܘܒܚܐ ܠܐܠܗܐ ܘܫ̄ .
« Absoluta est descriptio in libro hoc *Epistolarum* omnium.. ....... Mar Jacobi Sapientis Persæ, quæ sunt numero duæ et viginti, alphabeti ordine dispositæ, unaque *De acino.* » Ibidem, inter binas columellas, quidam Abrahamus Bar-Nonnus nomen suum scripsit : ܐܒܪܗܡ ܒܪ ܢܘܢܘܣ . Fol. 174 verso, adjecit scriba epigraphen sat prolixam, qua, præter alia, codicis possessorem, hujusque cœnobium nobis manifestaret; verum ambo vocabula ex industria abrasa fuere; unde hic est hodiernus annotationis tenor : ܕܦܘܪܢܐ ܠܚܒܐ ܘܡܟܘܗܕܢܐ

ܩܕܡ ܐܠܗܐ . . . ܠ ܡܫܒܚܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܬܠܝܬܝܘܬܐ ܢܗܘܐ ܠܒܪ ܚܐܪܐ
ܘܪܚܡ ܐܠܗܐ . . . . . . . . . . . . . ܘܟܢܫ . . . . . ܘܐܬܚܫܚ
ܘܫܩܠ ܠܗ ܣܝܡܬܐ ܗܕܐ ܡܝܬܪܬܐ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܚܟܝܡܐ
ܦܪܣܝܐ ܘܐܬܠܗ ܘܝܗܒܗ ܠܕܘܟܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܝܪܐ ܕܡܪ . . . . .
ܕܕܝܪܐ ܕܝܠܗ ܡܪܝ . . . . . ܕܐܝܬ ܗܘ ܒܩܪܝܬܐ . . . . . . . .
. . . . . . . . . ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܢܩܒܠ ܩܘܪܒܢܗ ܘܠܡܘܗܒܬܗ
ܡܩܒܠܗܘܢ ܠܒܪܗ ܐܝܟ ܕܩܒܠ ܩܘܪܒܢܐ ܕܗܒܝܠ ܘܐܝܟ ܕܟܠܗܘܢ ܐܒܗ̈ܬܐ
ܕܫܦܪܘ ܩܕܡܘܗܝ ܘܗܟ̄ . ܐܬܟܬܒ ܒܝܪܚ ܟܢܘܢ ܐܚܪܝ ܕܫܢܬ ܬܡܢܡܐܐ
ܘܥܣܪܝܢ ܘܬܠܬ ܕܝܘ̈ܢܝܐ ܡܫܒܚܐ ܥܠܡ ܐܡܝܢ . « Coram (Deo?) laudibus celebrando, qui Trinitas est, sit memoria bona et gloriosa viro ingenuo et pio.............. diligenter congessit sibi thesaurum hunc eximium (scriptorum) Mar Jacobi, Sapientis Persæ, illumque dedit loco sancto..........., monasterii Mar........, quod est in pago................. Jesu Christo acceptum sit ejus donum et grata oblatio, sicut oblationes sancti Abelis et omnium patrum, qui illi placuerunt, etc. — Scripta sunt isthæc mense Januario anni 823 Græcorum. » Postremo, folium 175, cæteris multo minus, chartula est pergamena, mutila atque oleo imbuta. Pagella quæque, prisco Latinorum charactere, sæculo VI non recentiore, exarata, tres columnas integras partemque quartæ complectitur. In priori facie hæc adhuc legere est, ex Lucæ XII, 23 et 24, desumpta :

**ESCA ET CORPUS**
**QUAM UESTIME**
**[NTUM] CONSI**

In facie altera, sequentia tantum, item ex Luc. XII, 32, deprompta, oculorum aciem non effugiunt :

**QUIA COMPLACU**
**IT PATRI UESTRO**
**DARE [UOBIS REG]**

De tribus porro codicibus manuscriptis, quos recensuimus delineavimusque, affirmari potest, eos, quod attinet ad nitidam accuratamque descriptionem, nulli inferiores esse eorum qui insigni collectione Nitriensi comprehenduntur (1). Omnes tamen loca quadamtenus corrupta, vel plura, vel pauciora, continent, ita ut ei qui *Homilias* e Syriaca in aliam linguam velit transferre liberiore conjectura passim utendum sit.

Sed hæc de illis monumentis sufficiant. Jam enim subit timor ne in iisdem depingendis longior æquo fuerim. Nec tamen continuo inferre liceat, sine consilio ac temere egisse me; cum e contrario id in voto et in intentione habuerim, ut ex proposita descriptione erudito lectori tum perspecti fierent genuini fontes ex quibus Aphraatis opera subministrata sunt, tum proinde constare posset de vi argumentorum quæ mox ipse scriptoris textus et librariorum auctoritas nobis suppeditabunt ad *Epistolarum* γνησιότητα demonstrandam.

Jam de norma quam in editione sua adornanda secutus sit Wrightius et de limitibus quos labori præscripserit ipse, pauca hæc accipe. Eam inivit vir doctus rationem agendi, ut toti libro prolixam præmitteret præfationem, qua et de auctore, et de ejus scriptis

(1) Ita Wrightius, *The homilies of Aphraates*, præfat. pp. 14 et 15.

erudite disserit. Præfationem anglice conscriptam excipit textus Syriacus trium capitum quæ, in *Epistola* Georgii gentium sæpius commemorata, ad argumentum nostrum pertinent. In ipso autem *Homiliarum* tenore proponendo fere codicibus B et *B* adhibita fides, ita tamen ut ex Cod. A loci quidam suppleantur, addaturque interpunctio accuratior, et ex omnibus simul collatis puncta diacritica appingantur. Variantes lectiones diligentissime collectæ et adnotatæ, iis exceptis quæ nullius prorsus momenti sunt quoad sensum; utque facilius institui queat comparatio cum editione Romana, quas hæc exhibet paragraphorum notas, eæ contextui Syriaco insertæ fuere.

Ex dictis colliges, quam egregia sint cl. Wrightii merita in Aphraatem nostrum, cujus primigenium opus, e tenebris et pulvere erutum, post longam sæculorum seriem, tandem in propatulo posuit. Insuper vero promiserat, sese *Homilias* anglice interpretaturum; quæ translatio, duodecim annis inde a « prioris voluminis » emissione lapsis, nondum, quantum scimus, lucem aspexit. Interim ansam præbuit editio Londinensis cl. Bickell ut in *Selectis scriptis Patrum ecclesiæ Syriacæ* (1), germanice exhiberet *Dissertationes* octo : *De fide*, *De caritate*, *De jejunio*, *De oratione*, *De pœnitentia*, *De paschate*, *De virginitate*, *De morte et temporibus novissimis*. Eadem editione ad conscribenda *Prolegomena in Aphraatis*, *Sapientis Persæ*, *sermones homileticos* (2) usus est Franciscus Sassius; qui tamen, eruditione non vulgari, simul versionem Armeniacam ab Antonello

(1) In *Bibliothek der Kirchenväter*....... herausgegeben unter der Oberleitung von Dr. Valentin Thalhofer. Kempten, 1874.
(2) Lipsiæ, 1879.

publicatam, adhibuit, eamque cum textu originali, ad majorem utriusque illustrationem, contulit.

### ARTICULUS III.

*Demonstratur Aphraatem auctorem esse viginti trium Epistolarum quæ sub ejus nomine feruntur.*

In articulo proxime antegresso exposuimus, inde demum ab invento textu Syriaco *Homiliarum* apud omnes constare de vero ipsarum auctore. Quoniam itaque ad illud usque tempus pleræque earum S. Jacobo Nisibeno attributæ sunt, haud inutile nec injucundum erit disquirere, quibus fundamentis innixi uno ore jam asserant viri docti, *Dissertationes* tres et viginti, quas continet editio Wrightiana, Aphraatis, Sapientis Persæ, fœtum esse. Quo in examine instituendo hoc modo progrediemur, ut prius præcipua proferamus argumenta sententiæ nostræ, dein difficultatibus quæ contra eam opponi possent vel oppositæ unquam fuerunt breviter respondeamus.

#### § 1. HOMILIARUM AUCTOREM APHRAATEM ESSE PROBATUR ARGUMENTIS QUÆ AD TRIA CAPITA REDUCUNTUR.

I. *Argumentum ex codicum manuscriptorum testimonio.*

Ut supra vidimus, tres adhuc reperti fuere *Homiliarum* seu *Epistolarum* de quibus agimus codices manuscripti, qui præcellunt tum antiquitate (1), tum omnibus notis

(1) Scite advertit cl. Wrightius, *op. cit.*, præfat. p. 15, codici B, inter Codd. qui scriptionis annum, a librariis annotatum, præ se ferunt, quartum locum, si vetustatem spectes, competere.

quæ fidem ejusmodi monumentis et auctoritatem conciliare possunt. Primus enim indiciis internis ut sæculi VI fœtum sese manifeste prodit; duo reliqui et scriptionis suæ annum, 474 nempe ac 512 post Chr., ipsa librariorum manu adjectum, et quamdam fatorum quæ experti sint indicationem, notulis a scribis vel a lectoribus posterioribus consignatam, præ se ferunt.

Jamvero, in Cod. A, viginti duarum *Epistolarum* alphabeti ordine dispositarum seriem hæc epigraphe claudit : « Absoluta est descriptio duorum et viginti *Epistolarum* Sapientis Persæ; » et ibidem, a fine *Dissertationis de acino*, lector, cui nomen Zachæus, ista notavit : « Sapiens Persa vir perfectus et divinus fuit....... Ipse *Epistolam* hanc scripsit, eamque ad abbatem quemdam misit. » Pari modo subscriptio Cod. B *decem priores*, et subscriptio Cod. *B omnes Epistolas*, « *quæ sunt duæ et viginti alphabetico ordine digestæ*, *unaque De acino*, » Sapienti Persæ auctori vindicant. Cum itaque, iis consideratis quæ opusculi hujus part. I, cap. I, disputavimus, dubitare nemo possit, eumdem esse *Aphraatem* qui *Sapiens Persa*, consentiente testimonio codicum qui tulerunt ætatem constat, *Epistolas* viginti tres a Wrightio editas *Aphraati* scriptori tribuendas esse.

## II. *Argumentum ex scriptorum Syrorum testimonio.*

Altera probatio, quæ et ipsa ex iis quæ in præcedentibus passim tradidimus velut sponte ac necessario prodit, mentemque percellit, consistit in suffragio auctorum qui Aphraatis *Homilias*, ab aliis aliter designatas, commemorarunt, sive primigenium operis cujus meminerunt textum ad manum haberent, sive librum

nonnisi ex scriptorum antiquiorum relatione aut ex translatione Armeniaca cognoscerent.

Inter illos testes non contemnendæ auctoritatis, qui ad varias Christianorum Syriæ sectas pertinent, imprimis nominandus est Georgius, Episcopus Arabum. Qui non quomodocumque tantum asserit, *Epistolas* seu *Homilias* tres et viginti a Sapiente Persa conscriptas esse, verum de iis, de ipsarum auctore, de diversis temporibus quibus exaratæ fuerint, demum de nonnullis doctrinæ capitibus inibi occurrentibus fuse docteque disputat. Plures etiam ex illis lucubrationibus, videlicet *Dissertationes de monachis*, *de contentione et dissidiis* (alias *deprecatoriam*), *de morte et temporibus novissimis*, *de acino*, *de charitate*, nominatim appellat, earumque excerpta non pauca fidelissime transcripta exhibet.

Eumdem porro *Homiliarum* parentem novit Elias Barsinæus, qui in sua *Chronographia* recenset « annos domus Adami, juxta sententiam Aphraatis, Sapientis Persæ. »

Consentit Gregorius Barhebræus (1), dum et sermonem facit de « Sapiente Persa, qui est auctor orthodoxus libri *Dissertationum*, » et distinctius adhuc alibi affirmat, Papæ, Episcopi Seleuciæ, tempore « innotuisse Sapientem Persam, nomine Pharhâdem, qui syriace scripsit *Librum parœneticum* et *Epistolas* viginti duas, alphabeti ordine digestas. »

Nec minus aperte Ebed-Jesu Sobensis : « Beatissimus Aphraates, Sapiens ille Persa, duos composuit tomos cum Sermonibus ordine alphabetico dispositis. »

De iis autem quæ in duobus posterioribus testimoniis

(1) *Chron. eccles.* I, col. 85, 86; II, 33 et 34.

vel obscura sunt, vel forsan veritati minus consona, satis antea dictum (1), ut iisdem nunc immorari non necesse sit. Interim ex scriptoribus citatis *Epistolarum* Aphraatis γνησιότητα invicte demonstrari unicuique manifestum est.

### III. *Argumentum per exclusionem.*

*Epistolas* quas Aphraati auctori vindicamus si negaveris eidem adscribendas, affirmes oportet, eas esse opus S. Jacobi, Episcopi Nisibeni; neque enim ullus homo unquam putavit eas cuiquam, præter alterutrum illorum, attribui posse (2). At quominus alteram hanc opinionem amplecti liceat plurima obstant.

Et primo quidem, an quidquam Jacobus Nisibenus scripserit merito in dubium revocatur. De qua re, ne temeraria proferre tibi videar, audi doctissimum *Bibliothecæ orientalis* auctorem (3) : « Divus Hieronymus, ait, nullum illi (Jacobo) locum inter scriptores ecclesiasticos tribuit. Theodoretus tum in *Philotheo*, tnm in *Historia ecclesiastica* nihil de ejus scriptis refert. Syri omnes, quod sciam, eximiam quidem Jacobi sanctimoniam prædicant; opera vero nusquam commemorant. Dionysius Barsalibæus, Gregorius Barhebræus, Salomon Bostren-

(1) Pagg. 137 et 138, ubi cfr. quæ not. p. 138 apposita advertimus.

(2) Non est cur rationem hic habeamus J. S. Assemani, qui cum, latentibus adhuc et textu Syriaco et translatione Armeniaca *Epistolarum*, quidquam de iis non nosset, nisi Gennadii verba sup., p. 149, recitata, primum censuit, B. O. I, p. 20 seqq., tractatus a Massiliensi enumeratos Jacobo Sarugensi adscribendos esse. Hanc conjecturam clarissimus scriptor mox (ibid., pp. 557, 558) retractavit. De qua re iterum sermo erit pag. proxime sequenti.

(3) B. O. I, pp. 19 et 20.

sis, Joannes Darensis, aliique cum Jacobitæ, tum Nestoriani, nullam Nisibeni inter scriptores mentionem faciunt, nec quidquam ex eo adducunt in rebus biblicis, vel in theologicis, aut in polemicis, sive in chronicis. Jacobus Edessenus, præfatione in *Homilias* Severi, laudat Ephræmum, Jacobi nostri discipulum, Isaacum, Jacobum Sarugensem et Philoxenum Mabugensem; de Nisibeno altum silentium. At si quid scripsisset, ab omnibus utique sectarum omnium Syris illud celebraretur, exemplaria extitissent plurima apud Maronitas, Jacobitas et Nestorianos, nondum sub Jacobo in factiones hujuscemodi divisos; imo opera ejusdem e Syriaco in Arabicum potiori jure conversa fuissent quam lucubrationes Græcorum Patrum in Syriacum et Arabicum; atque adeo vestigia operum Jacobi reperire esset apud Melchitas et Coptos, qui tamen nihil de scriptis ejus loquuntur. Abulbarcatus, Cabari filius, auctor Ægyptius satis accuratus, indicem texit librorum, qui Arabice apud Christianos orientales circumferuntur, et tamen de Jacobo nihil. Hebedjesu, Episcopus Sobensis, scriptor Syro-Nestorianus, recenset *Catalogum* fere omnium Syrorum, maxime eorum qui vel Nestorianam hæresim antecessere, vel eamdem amplexi sunt; Nisibenum vero ne nominat quidem. »

Hucusque Assemanus. Si quis vero putet, argumentum ex celeberrimi Maronitæ auctoritate ductum inde enervari, quod hic postea, in *Appendice* ejusdem tomi I suæ *Bibliothecæ* (1), opinionem statim relatam retractaverit, reponimus, vanum esse istud effugium. Ut enim sententiam mutaret eruditus vir, nullo alio momento,

(1) Pagg. 557 et 558.

ipso fatente, adductus fuit, nisi existentia et testimonio codicis Armenii, quem audierat Venetiis asservari et complecti *Tractatus* novem et decem, a Jacobo Nisibeno ad S. Gregorium Illuminatorem scriptos. Verum ejusmodi ratio, si quid olim valuerit ad assensum auctoris etiam gravis in alteram partem retrahendum, profecto post repertos tres codices Syriacos, quos supra descripsimus, vix ulla attentione digna est : ex his namque monumentis, quæ indubias majoris antiquitatis et auctoritatis præponderantis notas præ se ferunt, certo certius est, neque in exemplari Armeniaco inveniri primigenium *Homiliarum* textum, neque eidem documento fidem adhibendam, dum asserit hasce lucubrationes ab Episcopo Nisibeno compositas et ad Illuminatorem directas esse. Stant igitur omnia indicia quæ priori in loco congesserat Assemanus; nec conjectura quam illis firmatam voluerat, ullum subinde probabilitatis suæ detrimentum passa est. De Gennadio, qui unus inter antiquos scriptores contradicit, mox sermo instituetur (1).

Sed ecce tibi alterum argumentum ad probandum, *Homilias* quas Wrightius edidit Jacobo Nisibeno contra omne jus fasque adscribi. Ab auctore nullibi, ut in prima *Dissertationis* nostræ parte exposuimus (2), memoratur Arianorum hæresis; nuspiam etiam eorum nomen occurrit. Notum autem est S. Jacobum et concilio Nicæno interfuisse, et doctrinæ orthodoxæ contra grassantes sui temporis errores semper fuisse vindicem acerrimum. Quid, quod anno 335, si fides sit Dionysio,

(1) Infra, pp. 192 et 193.
(2) Pag. 74 seqq.

Jacobitarum Patriarchæ, in *Chronico Syriaco*, itemque Theodoreto, in *Philotheo* et in *Historia ecclesiastica,* — eodem Jacobo et Alexandro, Constantinopolitano Episcopo, orantibus, Arius Constantinopoli justas nequitiæ suæ pœnas dedit, infelici morte correptus? Quomodo ergo fieri potuit ut vir, tam ardenti zelo flagrans, qui hæresim et hæresiarcham adeo propinqua sibi viderat et, ut ita dicam, cominus impugnaverat, qui porro per totam vitam utrumque persequi non destitit, tamen ne levissimam quidem alterutrius mentionem, in uno alterove trium et viginti *Homiliarum* loco, injiceret? Qua tandem de causa, cum in suis scriptis aliorum errorum, qui eo tempore minus formidandi erant, et meminerit, et vim pestiferam exstinguere conatus sit, hunc unum alto pressit silentio? Hujus silentii rationem indicet, et erit mihi magnus Apollo, quicumque Jacobum Nisibenum *Homiliarum* parentem esse pertinaciter contenderit.

Tertium restat argumentum, quo conficiatur viginti tres *Epistolas* S. Jacobo Nisibeno abjudicandas esse. Quod, quia rem invicte adstruere nobis videtur, paulo diligentius exponere et tueri operæ pretium erit. Ad hæc autem brevissime contrahi potest : S. Jacobus jam anno 338 diem supremum obiit; patet igitur ei nonnisi absurde adscribi *Tractatus*, qui, ut ex ipsius auctoris testimonio constat, annis demum 343, 344 et 345 maximam partem conscripti fuerunt.

Porro anno 338 Jacobum Magnum ad superos evocatum esse testatur, in *Chronico*, Dionysius Telmachrensis, cujus hæc sunt verba (1) : ܫܢܬ ܫܬܡܐܐ ܘܐܪܒܥܝܢ ܘܬܫܥ ܡܝܬ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܪܒܐ ܘܡܠܟܘ ܒܢܘ̈ܗܝ

(1) Cfr. B. O. I, pp. 17 et 18.

ܡܠܟܘܬܗ. ܚܝܐ ܕܝܢ ܫܢ̈ܝܢ ܣܗ ܘܫܠܛ ܫܢ̈ܝܢ ܠܓ. ܐܡܠܟܘ ܕܝܢ ܡܢܗܘܢ ܠܟܠܚ̈ܕ ܘܠܟܠܚܕ ܡܢ̈ܗܘܢ. ܘܒܗ ܫܢܬܐ ܗܘܐ ܢܦܩ ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܐܦ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܢܨܝܒܝܢ. « Anno (Græcorum) 649 decessit Constantinus Magnus, diviso inter ipsius filios imperio. Vixit autem annos 65, tenuitque imperium annos 33. Hoc eodem anno S. Jacobus, Nisibis Episcopus, ex hoc sæculo migravit. »

Idem de morte Jacobi adnotavit auc'or *Chronici Edesseni*, ita scribens (1) : ܫܢܬ ܬܪܡܛ ܘܐܬܢ̈ܚܡ ܘܐܬܬ̈ܒܥ ܢܦܩ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܢܨܝܒܝܢ. « Anno 649 obiit S. Jacobus, Nisibis Episcopus. » Historicis jam citatis suffragatur Elias Nisibenus in *Chronographia*, qua ecclesiæ suæ documenta fidelissime exhibuit, variaque memoriæ prodidit, partim ex quadam *Serie Metropolitarum Nisibis* (ܚܘܫܒܐ ܕܪ̈ܫܐ ܕܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ ܕܢܨܝܒܝܢ) partim etiam ex *Historia Metropolitarum Nisibenorum* (ܬܫܥ̈ܝܬܐ ܕܡܝܛܪ̈ ܕܢܨܝܒܝܢ), deprompta. Hæc ille ad annum Gr. 649 (2) : ܫܢܝ ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ ܕܢܨܝܒܝܢ ܘܐܬܩܝܡ ܒܕܘܟܬܗ ܘܠܓܫ ܕܝܚܝܕܝܐ ܗܘܐ ܡܫܬܡܫ ܒܛܘܪܐ ܕܐܘܪܗܝ. « Obiit Mar Jacobus, Metropolita Nisibis, eique in cathedra successit Vologeses, qui in monte Edessæ vitam egerat solitariam. »

Eadem denique conclusio eruitur ex S. Ephræmi *Carminibus Nisibenis*. Quod ut intelligatur, in memoriam prius revocanda erunt quædam facta, quæ spectant ad historiam bellorum Persas inter et Romanos ea tempestate gestorum.

(1) B. O., loc. cit.
(2) Ap. Abbeloos et Lamy, *Barheb. Chron. eccl.*, II, col. 32, not. 1.

Sapor, Persarum rex, pacem cum Romanis ab anno 297 vigentem rupit anno 337, quo mortuus est Constantinus Magnus. Nisibim dehinc ter frustra obsedit, annis scilicet 338, 346 et 350. Tum demum bellum suspensum est propter finitimarum gentium in Persidem incursiones. Anno 359 in Mesopotamiam iterum irruerunt Persæ; tandemque pugnis finis impositus fuit anno 363, quo Jovianus, pace ignobili, sed necessaria, Sapori quinque provincias ad Tigrim sitas una cum urbe Nisibi concessit. Hujus autem civitatis incolæ, quamdiu hostium armis fuerant lacessiti, S. Jacobi reliquias, intra mœnia sua repositas, palladii et tutaminis loco semper habuerant (1).

Hisce prænotatis, contra Theodoretum (2), Philostorgium (3), aliosque recentiores, qui S. Jacobum adhuc anno 350 in tertia obsidione Nisibis superstitem fuisse affirmant, ex *Carminibus Nisibenis* solide evincitur eumdem anno 338 mortuum esse. Et quidem in hujus assertionis probationem adduci posset integrum fere carmen XIII, quod *De Jacobo ejusque collegis*, ܥܠ ܡܟܪܙ ܡܠܦܢܐ ܘܥܠ ܚܒܪܘܗܝ inscriptum, id est celebrans tres Nisibis Præsules : Jacobum, Babuæum et

(1) Cfr. Bickell, *in Carminum Nisibenorum* prolegg., p. 11 seqq.

(2) In *Hist. eccl.*, lib. II cap. 26 (edit. Migne) et *Vitis Patrum*, I. Porro in utroque hoc opere sermonem esse de obsidione quæ anno 350 accidit in confesso est apud eruditos (quamquam advertunt plures, uti Garnerius, Petavius, Henricus Valesius, Pagius, Tillemontius (ap. Antonellum, *op. cit.*, præfat. p. 27), a scriptore ad hanc oppugnationem non pauca referri, quæ ad primam (an. 338) spectant. Quem in sensum, Theodoreti textu et auctoritatum pondere ac numero diligentius nunc inspectis libratisque, corrigendam moneo notulam quam pagg. 24 et 25 apposui; ubi et loco anni 351, quem typotheta mendose expressit, lege, sodes, an. 350.

(2) In *Epitome historiæ ecclesiasticæ*, lib. III, n. 23.

Vologesem, non solum commemorat secundam obsessionem anno 346 sub Babuæo accidisse et sub eodem bellum Persicum gestum esse, sed etiam expresse docet sub Jacobo pacem fuisse et nonnisi cum ipsius fine finitam esse.

Quam autem propugnamus de tempore mortis S. Jacobi positionem, ea non labefactatur si dicas, cum *Chronographia* Eliæ Nisibeni (1) et *Chronico Edesseno* (2), non eum esse ordinem priscorum Nisibis Antistitum, ut ante omnes alios recensendus sit S. Jacobus, dein Babuæus, tum Vologeses, denique Abrahamus, sed S. Jacobum Babuæo postponendum. Hanc alteram ordinationem veritati historicæ non consonare discimus ex testimonio Georgii Elmacini Homaidi (3) et Abulpharagii (4), præsertim vero S. Ephræmi in suis *Hymnis Nisibenis*. Porro ut quænam fuerit Magni Doctoris hac de re sententia omnibus apertum atque manifestum fiat, liceat nonnulla ex prædicto carmine XIII adducere et explicare.

Et primo quidem, sermonem hic esse de tribus prioribus Episcopis Nisibenis (quocumque tandem ordine alius alium exceperit), negabit, ut opinor, nemo qui tum hunc, tum subsequentes ejusdem collectionis necnon ejusdem argumenti hymnos usque ad XXI vel obiter inspexerit. Non solum in carmine XVII nominantur Jacobus, Babuæus et Vologeses, verum totus præsentis loci contextus perspicue indicat quinam Præsules laudibus efferantur. Cum enim, v. g., omnium sacerdotum

(1) Ap. Abbeloos et Lamy, ubi supra.
(2) B. O. I, 18.
(3) Ibidem.
(4) *In Historia dynastiarum*. Cfr. Bickell, *Carm. Nisiben.* prolegg., p. 20.

quos poeta extollit insignes sint, ipso judice, virtutes et labores civium causa suscepti, *primus* tamen ex eo præcipue commendatur, quod corpus ejus sit urbis quasi propugnaculum et murus (ܫܘܪܐ), *alter*, quod misericors fuerit in captivis redimendis, *tertius*, quod eloquentiæ laude floruerit. Quæ præconia, singulis Episcopis propria, magno adjumento sunt ad uniuscujusque personam et nomen definiendum, si conferantur cum carminis XVII stropha 11, ubi auctor Abrahamum, Vologesis discipulum et successorem, sic alloquitur : ܒܟ ܢܚܙܐ ܠܬܠܬܝܗܘܢ . ܢܗܝܪ̈ܐ ܕܩܕܡܘ ܠܢ . ܗܘܝ ܠܢ ܫܘܪܐ ܐܝܟ ܝܥܩܘܒ . ܘܡܠܐ ܪ̈ܚܡܐ ܐܝܟ ܒܒܘ . ܘܣܝܡܬܐ ܕܡ̈ܠܐ ܐܝܟ ܘܠܓܫ . ܒܪܝܟ ܗܘ ܕܨܪ ܐܢܘܢ ܒܚܕ . « In te videamus tres illustres viros qui nobis decesserunt. Fias nobis murus, sicut Jacobus, et plenus miscricordiæ, sicut Babuæus, et thesaurus verborum, sicut Vologeses. Laudetur ille qui pinxit eos in uno. »

Neque, ut prudens lector ex dictis facile colligit, magis dubium est, S. Jacobum ex Ephræmi mente duobus aliis quibuscum connumeratur anteriorem esse. Ubique enim *primus* exhibetur inter *sacerdotes nobiles, qui alius ab alio et cathedram acceperunt, et manus impositionem, et gregem* (1), *ille pastor* (ܪܥܝܐ) *et rectorum* (ܡ̈ܕܒܪܢܐ) *præfectus* (2), *cujus mortui corpus a Nisibenis civibus tanquam oppidi palladium magna cum religione conditum est atque asservatum* (3). Eam autem *primi* appellationem de prægressione quoad tempus intelligendam esse, legenti luce meridiana clarius patet.

(1) *Carm. Nisiben.*, XIII str. 1.
(2) *Carm. Nisiben.*, XIV str. 1.
(3) *Carm. Nisib.*, XIV str. 19, 20, 21.

Nec aliquid proficeret qui, Eliæ Nisibeni auctoritate fidens (1), contenderet, priorem quidem fuisse Babuæum, at quia Metropolitæ dignitatem nondum habebat, ejus nomen in diptychis post nomen S. Jacobi repositum, ideoque hunc isto demum sensu *primum* dici potuisse. Ejusmodi explicationem vocabuli *primus* (ܩܕܡܝܐ) hymni XIII scopus et singula ferme incisa falsitatis convincunt. Ephræmo ibi propositum est tres Præsules celebrare atque fata externa quæ Nisibis ipsorum tempore perpessa erat describere, ut inde ostendat quam sapienter hæc indigentiis populi accommodata sint et quomodo Deus per ea Nisibenos gradatim educatos et ad perfectionem sensim adductos voluerit. Ubi jam vides, menti poetæ obversatum esse temporum ordinem et successionem; quod haud obscure etiam innuunt illa verba statim ab exordio tibi occurrentia : ܬܠܬܐ ܟܗ̈ܢܐ ܢܨܝ̈ܚܐ . ܒܛܘܦܣܐ ܕܬܪܝܢ ܢܗܝܪ̈ܐ . ܡܫܠܡܘ ܘܐܫܠܡܘ ܠܚ̈ܕܕܐ . ܟܘܪܣܝܐ ܘܐܝܕܐ ܘܡܟܪܙܢܘܬܐ . ܕܫܩܠ ܠܚܕ ܐܒܠܐ ܕܬܪܝܢ . ܘܟܠܗ ܐܣܝܪܐ ܒܫܠܐ ܗܘ . ܗܘ ܕܒܙܢܐ ܕܬܪܝܢ ܢܗܝܪ̈ܝܢ . ܢܓܠܐ ܠܗ ܬܠܬܐ ܢܗܝܪ̈ܐ . ܘܡܫܒܚ ܐܢܘܢ ܒܡܠܬܐ . ܣܘ̈ܓܐܐ ܣܘ̈ܓܝܐ ܕܗܘܘ . ܕܪ̈ܒܘ ܠܗܘܢ ܕܢܗܝܪ̈ܐ . ܐܣܝܪܐ ܒܫܠܗ ܐܬܒܠܥ ܗܘ .
« Tres nobiles sacerdotes, sicut duo luminaria, alter

(1) Ita Elias ad annum Græcorum 612, h. e., Ch. 300-301 : ܒܗ̇ ܐܬܬܣܝܡ ܒܒܘܝ ܐܦܣܩܘܦܐ ܩܕܡܝܐ ܕܢܨܝܒܝܢ ܘܡܛܠ ܕܠܐ ܗܘܐ ܠܗ ܡܛܪܦܘܠܝܛܘܬܐ ܐܬܬܣܝܡ ܫܡܗ ܒܕܘܦܬܪ̈ܐ ܒܬܪ ܫܡܗ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ . « Hoc anno institutus est Babuæus primus Nisibis Episcopus, verumtamen quia dignitatem Metropolitæ ipse nondum habebat, reponitur ejus nomen in diptychis post nomen Mar Jacobi. » Plura videsis, si lubet, ap. Abbeloos et Lamy, *op. cit.* II, col. 31 et 32, not. 1.

alteri detulerunt et tradiderunt cathedram et manus impositionem et gregem. Cum nobis dolor sit magnus de duobus primis, » (quorum nempe nuper defunctorum recens adhuc erat desiderium), « consolatur nos omnino ultimus, » (i. e., Vologeses, qui, dum hæc scriberentur, sedem episcopalem tenebat). « Ille idem qui creavit duo luminaria, elegit sibi tria hæc lumina et aptavit ea tribus tenebris per inclusionem effectis, » (tribus videlicet obsessionibus, quibus annis 338, 346 et 350 civitas pressa est). « Cum exstincta sint duo lumina, ultimum totum est in splendendo. » Tum in plerisque carminis strophis, v. g. str. 4-7, *primus sacerdos nobilis* expresse distinguitur contra *medium*, ܡܨܥܝܐ, seu *secundum*, et *tertium*, ܬܠܝܬܝܐ, seu *ultimum*, ܐܚܪܝܐ ; et ita quidem id fit, ut ad singulos eorum varia referantur facta et adjuncta, quæ alia post alia eodem ordine accidisse ex historia compertum est. De his ita Ephræmus (1) : ܒܩܕܡܝܐ ܥܠܘ ܛܟܣܐ . ܥܠܘ ܥܡܗ ܘܢܦܩܘ ܥܡܗ . ܒܡܨܥܝܐ ܩܪܒ ܘܐܬܢܦܩܘ . ܬܓܪܐ ܕܢܦܩ ܒܬܪܗ . ܒܐܚܪܝܐ ܕܝܢ ܕܢܚܬ ܠܟܝ . ܛܝܒܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܬܦܪܥܐ ܀ ܠܘܩܒܠ ܦܪܨܘܦܐ ܩܕܡܝܐ . ܐܩܪܒ ܠܡܠܟܗ ܕܩܕܡܝܐ . ܠܘܩܒܠ ܚܘܒܐ ܕܫܘܦܪܐ . ܩܪܒ ܛܠܠܗ ܕܡܨܥܝܐ . ܠܘܩܒܠ ܚܒܠܐ ܠܬܘܠܡܐ . ܐܩܪܒ ܐܚܪܝܐ ܙܘܗܪܐ ܀ ܠܚܫܚܐ ܩܕܡܝܐ ܐܪܟܗ . ܫܘܢܐ ܩܕܡܝܐ ܘܬܠܝܬܝܐ . ܠܚܫܚܐ ܕܐܬܐ ܐܪܟܗ . ܫܘܢܐ ܕܐܬܐ ܢܫܡܬܐ . ܬܠܝܬܝܐ ܕܝܢ ܕܐܚܪܝܐ . ܗܘ ܐܬܒܛܠܘ ܫܠܡܘܬܗ ܀

« Tempore primi ordo et quies intraverunt, intraverunt cum eo et egressi sunt cum eo; tempore secundi appro-

(1) *Carm Nisib* , XIII, str. 15, 16 et 17.

pinquavit et recessit corona, quæ lætificavit ecclesias nostras; tempore autem ultimi orta est nobis gratia, cui gratias non egimus. Contra iram primam pugnavit labor primi; contra calorem meridianum exstitit umbra medii; contra pacem ingratam multiplicavit ultimus admonitionem. Primo obsessori obviam ivit primus sacerdos nobilis; secundo obsessori obviam ivit secundus sacerdos misericors; preces autem ultimi scissuras nostras secreto reparaverunt. » In antegressis, S. Doctor, tres episcopatus de quibus agit eorumque vicissitudines quotidianis solis vicissitudinibus poetice assimilans, in hunc modum locutus fuerat (1) : ܗܐ ܡܫܠܡܐ
ܡܫܬܠܡܝܢ . ܐܝܟ ܕܫܪܪܐ ܘܡܬܚܫܒܢܐ . ܪܘܓܙܐ ܠܫܡܫܐ ܐܬܕܡܝ .
ܫܪܝ ܥܡ ܩܕܡܝܐ . ܘܐܬܚܝܠ ܥܡ ܡܨܥܝܐ . ܠܥܡܝ
ܘܐܬܛܡܫ ܥܡ ܐܚܪܝܐ ✥ ܐܦ ܫܡܫܐ ܬܠܬ ܕܡܘܬܐ . ܡܚܘܐ ܒܬܠܬ
ܦܢܝܬܐ . ܚܪܝܦ ܘܢܗܝܪ ܫܘܪܝܗ . ܟܒܝܪܐ ܘܩܫܝܐ ܡܨܥܬܗ .
ܘܐܝܟ ܠܒܨܘܪܬܐ ܕܐܬܡܠܝܬ . ܢܝܚ ܘܫܠܝܐ ܫܘܠܡܗ ✥
ܡܚܝܠ ܘܗܘܐ ܫܘܪܝܗ . ܕܥܘܩܕܢܐ ܗܘ ܐܠܐ ܕܠܚܡܪ . ܫܚܝܡܬܐ
ܘܗܘܝܐ ܡܨܥܬܗ . ܕܦܐܪܐ ܐܠܐ ܕܠܒܫܠ . ܢܚܝܡ ܘܫܚܝܢ
ܫܘܠܡܗ . ܕܡܠܐ ܠܗ ܠܡܥܨܪܬܐ ✥ « Ecce in his tribus successionibus exacta similitudine ira divina cum sole comparari potest; incepit enim tempore primi et convaluit tempore medii et immersa exstinctaque est tempore ultimi. Ita sol quoque tres formas monstrat in tribus cœli partibus; initium ejus est acre et illustre, medietas ejus vehemens et gravis, et finis ejus placidus et suavis, sicut facis quæ consummata est. Modicum et illustre est

(1) *Carm.* XIII str. 7, 8 et 9.

initium ejus, quando venit ut dormientes expergefaciat; ardens et gravis est medietas ejus, quando venit ut fructus maturet; gratus et jucundus est finis ejus, quando appropinquat ad consummationem. »

Atque hæc Ephræmus. Ecquis vero, tot tamque perspicuis testimoniis perpensis, infitias eat quod asseruimus, S. Jacobum scilicet exhiberi tanquam Nisibenæ civitatis Episcopum ordine chronologico primum? Iisdem autem et illud conficitur, S. Jacobum non modo usque ad tertiam urbis obsessionem, quæ a. 350 accidit, superstitem non fuisse, sed nec secundam, ad annum 346 a rerum gestarum scriptoribus relatam, attigisse, imo paulo post primam et initium belli, ac proin a. 338, ut multi et gravissimi testantur auctores, diem obiisse supremum. Ex adductis namque locis liquet, singulos Præsules singulis civitatis oppugnationibus affuisse et adversus singulos obsessores eam tuitos esse, primum autem Antistitem tum fato functum cum bellum inchoaretur, siquidem « quies et ordo intraverunt cum eo et egressi sunt cum eo. »

Neque, quod attinet ad veram de Episcoporum Nisibenorum successione et de S. Jacobi obitu sententiam, morari nos debet, ut mihi videtur, auctoritas chronographi omni cæteroquin fide digni, Eliæ Nisibeni, qui verbis supra recitatis (1) narrat, Babuæo S. Jacobum, Vologesem S. Jacobo, nullo alio intercedente, suffectum fuisse. Nam præterquam quod idem scriptor ibidem nobiscum in id expresse consentit quod caput rei est, Jacobum videlicet anno 338 mortuum esse, nemo utique dubitabit Ephræmi, testis coævi, auctoritatem testimonio

(1) Pagg. 182 et 186.

historici sæculi XI anteponere. Utrum autem is sit, quem diximus, genuinus Ephræmi sensus, judicent periti et æqui harum rerum æstimatores.

## § 2. EXPENDUNTUR CONFUTANTURQUE ARGUMENTA NOBIS OPPOSITA.

Ex iis quæ ad *Epistolarum* Aphraatis γνησιότητα stabiliendam attulimus, jam facilis erit responsio ad difficultates quæ contra ejusdem auctoris jura, sive quoad omnes *Homilias* universim, sive speciatim quoad *Homiliam XIV*, propositæ sunt vel proponi possent. Quare objecta illa singillatim et fuse examinare nec necessarium nobis est, nec opportunum. Nobis satis erit eadem brevissime recensere et per summa tantum capita convellere. Quæ confutatio ad compendium contracta, etiamsi et ipsa forsan post hactenus dicta minus necessaria alicui videatur, illud certe commodi habebit, ut occasionem passim præbeat argumenta in paragrapho superiore adducta aliquatenus confirmandi atque illustrandi.

### I. *Examinantur difficultates quæ adversus Aphraatem quoad omnes generatim Homilias congeruntur*

Rationes omnes quæ nostræ sententiæ prima saltem fronte adversari videntur editor translationis Armeniacæ, in sua præfatione (1), ubi probare contendit *Homilias*, dempta synodica (ed. Wr. XIV), a S. Jacobo Nisibeno exaratas esse, uno quasi conspectu exhibuit. Idcirco quæ affert paucis excutiamus oportet.

(1) Cfr. S. *Jacobi*, *Episcopi Nisibeni*, *sermones*, præfat. pp. 2-16.

### A. DE ARGUMENTIS EXTERNIS.

Antonellus ab argumentis orditur *externis*, inter quæ primo loco nobis occurrunt « Armenorum codicum consensus, » itemque « constans et vetus apud omnes Armenos traditio ac persuasio (1). » Et sane hæc duo, quæ a viro docto allegantur, ita reapse se habere, non est nobis cur negemus. Ast sequiturne fidem tali consensui ac persuasioni continuo adhibendam? Minime vero. Utut enim fucum ista facere potuerint tempore Antonelli, edito jam primigenio *Epistolarum* textu, qui manifesta indubiæ auctoritatis indicia præ se fert et qui sibi Sapientem Persam conditorem esse atque parentem ubique clamat, nemo sanæ mentis oppositam Armenorum documentorum vel scriptorum opinionem curabit ullo modo. Dicendum igitur, quum, latente originali Aphraatis textu, sola exemplaria Armeniaca nota essent, illud Armenis, genti ad fabulas plus æquo, sicuti omnes norunt, propensæ, accidisse, quod non raro in ejusmodi adjunctis usu venit, ut nimirum sententiam sibi gratam suæque genti gloriosam avide amplecterentur et studiose propugnarent. Qua de re eos credulos nimium nec solidis rationibus ductos fuisse vel exinde apparet, quod simul assererent *Homilias* ad S. Gregorium Illuminatorem directas esse; qui tamen, anno 336, quum decem priores *Epistolæ* conscriberentur, jam ante annos quatuor mortuus erat (2).

Ad ea vero quæ, ut duo argumenta a nobis hucusque

(1) Ibid., p. 2.
(2) Ita Sassius, *op. cit*, p. 9.

discussa rejectaque firmet, subdit Antonellus (1) de difficultate alium inveniendi scriptorem inter Armenos, cui « hæc opera assignari aliqua verisimilitudine » queant, vix opus est ut verbum reponamus. In promptu enim habes responsionem : auctorem talem non inter Armenos, sed inter Syros quærendum esse, imo et reperiendum; illis solum translationis honorem concedi posse.

Nec magis proficit editor Romanus, dum ex Latinis et Græcis Patribus opinionis suæ patronos invocat (2) Gennadium Massiliensem, cujus testimonium supra recitavimus (3), S. Athanasium et auctorem libri ***De ecclesiasticis dogmatibus***.

De Gennadio et fide quam sibi hac in re jure vindicet jam hæc sæculo XVII notabat Garnerius (4) : « Observandum, de doctrina librisque Jacobi Nisibeni nihil a Theodoreto scriptum esse, cum tamen ad commendationem plurimum faceret; nihil ab Hieronymo, sive in *Chronico*, sive in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*; nihil pariter ab Ebed-Jesu, diligente cæteroquin librorum Syrorum inquisitore; nihil ab ullo veterum, præter unum Gennadium, qui viginti quatuor libros recenset. Verum Gennadii auctoritas non videtur mihi tanta, ut omnem scrupulum evellat. Unde enim novit Syriaca opera, qui vix novit Græca? Unde scit ab Hieronymo prætenita propterea quod nondum in linguam Græcam versa essent nec Hieronymus intelligeret adhuc Syriacam linguam? An conversa fuerunt postea et in Græcam,

(1) *Op. cit.*, præfat. p. 2.
(2) Ibid., pp. 2-6.
(3) Pag. 149.
(4) Ap. Antonellum, *op. et loc. citt.*

et in Latinam linguam, ut innotescere possent Gennadio, non peritissimo, ut videtur, linguæ Græcæ? Si conversa sunt in utramque linguam, quomodo perierunt omnino, cum forent in triplicem quasi orbem sparsa, Latinum, Græcum et Syrum? Cur nulli veterum nota, ne Photio quidem, tanto scriptorum veterum tamque curioso censori? Augetur ex eo suspicio, quod Gennadius cognomentum *Sapientis* Jacobo tribuat tanquam vulgatum, cujus tamen nemo meminit, nisi qui Gennadium exscripsit. Unde crediderim, facile supposita fuisse Jacobo Nisibeno scripta, quæ Jacobi alterius..... forent. » Ita Garnerius. Et sane ex indiciis internis verisimillimum est, ne dicam certum, Gennadium, ut antea (1) advertimus, *Homilias* oculis suis non vidisse. Eo igitur facilius sive a Cassiano, sive ab alio cujuscumque nominis narratore in errorem induci potuerit. Quomodo vero iste error primitus emerserit, licet etiam aliquatenus conjicere. « Certe enim, ait Sassius (2), translator Armeniacus vel librarius quidam posterior, cui nomen Jacobi Aphraatis non erat notum, Jacobum, Episcopum Nisibenum, qui apud Armenios amplissima vigebat auctoritate, auctorem posuit, » eo quod non solum nomen Jacobi, sed et cognomen *Sapientis* utrique eorum putaret esse commune, et ex ipsis *Homiliis* scriptorem in numero Episcoporum esse habendum haud obscure appareret. « Atque iisdem ex causis etiam Gennadius vel auctor ejus Aphraatem cum Jacobo Nisibeno confuderit. »

Ad Gennadii testimonium accedunt, si fidem Anto-

(1) Pagg. 135 et 136.
(2) *Op. cit.*, p. 24.

nello adhibere velis, quæ scribit S. Athanasius ad Episcopos Ægypti et Libyæ in *Epistola encyclica contra Arianos*, « *ubi inter primævos Ecclesiæ doctores, qui scriptis ac doctrinis suis catholicam Ecclesiam illustrarunt, recenset S. Jacobum, Episcopum Nisibenum.* » — Utrum res ita se habeat paucis expendamus. *Epistola* citata, monet sanctissimus Præsul ut caveatur a scriptis hæreticorum, qui verbis Sacræ Scripturæ et pietatis simulatione venenum obtegunt. Ipsorum enim effata, ait, non ea animi securitate accipienda sunt, qua eadem a Patribus orthodoxis prolata accipere liceret. Unde sic pergit (1) : « Itaque si quæ scribunt, ea scriberent orthodoxi, ut magnus et confessor Hosius, et Maximinus Galliæ aut ejus successor : Philogonius et Eustathius Orientis, vel Julius et Liberius Romæ Episcopi, Cyriacus Mysiæ, Pistus et Aristæus Græciæ Episcopi, Sylvester et Protogenes Daciæ, Leontius et Eupsychius Cappadociæ Episcopi, Cecilianus Africæ, Eustorgius Italiæ, Capito Siciliæ, Macarius Jerosolymæ, Alexander Constantinopolis, Pæderos Heracleæ, magni Meletius et Basilius et Longianus, aliique ex Armenia et Ponto; ut item Lupus et Amphio Ciliciæ Episcopi; vel Jacobus, cæterique ex Mesopotamia; vel denique ut etiam noster beatus Alexander, aliique qui idem

(1) Cfr. Migne, *Patrologiæ Græcæ*, tom. XXV, ubi et Græcus Athanasii textus sic exhibetur : Εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ γραφόμενα, οἷα ἂν ἐγεγόνει παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ὁμολογητοῦ Ὁσίου, καὶ Μαξιμίνου τοῦ τῆς Γαλλίας, ἢ τοῦ διαδεξαμένου τοῦτον,............... ἢ Ἰακώβου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τῶν ἀπὸ τῆς μέσης τῶν ποταμῶν, ἢ τοῦ ἡμετέρου τοῦ μακαρίου Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν ὁμοδόξων αὐτοῖς, οὐδὲν ἦν ἐν τοῖς γραφομένοις ὑποπτεύειν· ἄδολος γὰρ καὶ ἁπλοῦς ἐστιν ὁ τῶν ἀποστολικῶν ἀνδρῶν τρόπος.

ac illi sentiunt : si, inquam, illi his essent similes, nullus profecto in illorum scriptis esset suspicionis locus : simplex enim ac candidum est virorum apostolicorum ingenium. »

Hucusque illa Athanasii verba, quæ pro sua sententia allegat Antonellus. Quæro utrum ex iis conficiatur quod intendit vir eruditus? Si admittas (quod ego non infitior), eum qui *Jacobus*, nullo alio nomine adjecto, supra vocatur, esse Episcopum Nisibenum, num statim inferendum, hunc aliquam de doctrina catholica lucubrationem edidisse, seu « scriptis suis Ecclesiam illustravisse? » At quis, nisi præconcepta opinione ductus, vel potius excæcatus, illud unquam putaverit? Id unum ex allato testimonio erui potest, inter viros orthodoxæ fidei addictos vulgo numeratos fuisse Jacobum Nisibenum et Præsules omnes qui cum eo hic recensentur; ideo, si quæ opera vulgavissent vel essent vulgaturi, hæc, etsi per se non unius forsan sensus capacia, omni suspicione hæreseos eximenda. Paucis, *hypothetice* de Patrum commemoratorum *scriptis* loquitur Athanasius, aliquid vero hujusmodi reipsa existere nec affirmat nec negat : id quum legenti patet, tum ex eo confirmatur quod Jacobo eadem orationis forma adjungantur Episcopi multi, a quibus librum quemdam vel libellum exaratum esse nemo uspiam audiit.

Quod spectat ad anonymum illum qui tractatum dedit *De ecclesiasticis dogmatibus,* facile putaverim, eum de *Homiliis* nostris cogitasse, dum hæc proferret : « Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem, quæ rationem ministret. » Sed ut concedatur verba illa

ad Aphraatis opera, nominatim ad *Dissertationes de monachis et de resurrectione*, pertinere, non continuo pervincit editor Romanus. Quanam enim arte, quæso, viro docto et sanæ critices amanti persuadere poteris, tanti ponderis esse istud ignoti scriptoris testimonium, ut ejus causa statim spernenda sint atque abjicienda argumenta omnino decretoria, quæ ex notis genuinisque fontibus deprompsimus? Quod si cum Lovaniensibus theologis (1) quorum meminit Antonellus, dicas, alium non esse hujus effati auctorem a Gennadio, non diffitebor ego. Quid vero, in hac sententia, ad difficultatem præsentem reponendum sit, ex iis quæ supra de Gennadio disseruimus collige.

B. DE ARGUMENTIS INTERNIS.

Venio nunc ad argumenta, ut vocantur, *interna*, quæ ad tuendam desperatam Jacobi Nisibeni causam proposuit Antonellus (2). Quoniam autem eorum pleraque plenam ex præcedentibus solutionem accipiunt, omnia quam brevissime hic attingam. Et quidem argumenta, prout ab ipso suo auctore ad sex capita redacta fuere, prius recensebo, eorum vitia subinde indicaturus.

1. Primam suæ sententiæ rationem internam desumit Antonellus ex « nota temporis quo auctor horum *Sermonum*..... scribebat (3). » Ex *Homilia* enim *de bellis* colligitur scriptorem a. 336-337 suis *Dissertationibus* componendis operam navasse.

(1) In editione *Operum* S. Augustini, tom. III, ubi eos confutant qui librum *De ecclesiasticis dogmatibus* Augustino tribuerant.
(2) *S. Jacobi, Ep. Nisib., sermones,* præfat. pp. 10-16.
(3) Ibid., p. 10.

2. Alterum indicium ex eo prodit, quod in omnibus hisce *Homiliis* « nulla alia testimonia et exempla, nisi e Sacris Scripturis desumpta, adducantur, qui mos fuit veterum primævæ Ecclesiæ Patrum (1). »

3. Arguitur deinde « ex hæresibus earumque auctoribus, qui vel in *Sermonibus* memorantur, vel quorum nulla in his fit mentio. Et quidem in *Sermone IV*, *de jejunio*, tres sectæ hæreticorum recensentur, nempe Marcionitarum, Valentinianorum et Manichæorum....... Præter hos autem, nullæ aliæ pestes » uspiam nominantur. Altum silentium servatur, v. g., de Origenistis, Arianis, Nestorianis et Eutychianis (2).

4. Adducitur tanquam huc faciens et « versio Sacræ Scripturæ Armena, quæ in nostris *Sermonibus* habetur, » et quæ, cum sit, judice Antonello, antiquior illa translatione qua vulgo utuntur Armeni, tempora præcessit Arcadii imperatoris et S. Joannis Chrysostomi (3).

5. Jacobo Nisibeno favent ea quæ, in *Homiliis de charitate, de vocatione gentium et reprobatione Judæorum*, *de Christi divinitate*, ostendunt, « auctorem *Sermonum* ipsum (vel certe ejus parentes), recens ex idolorum erroribus ad Christianam veritatem conversum, primis Ecclesiæ sæculis vixisse; quibus et ii quibuscum sermonem habebat, perinde ac ipse, ex idololatriæ tenebris ad catholicam lucem venerant (4). »

6. « Ad hæc autem illud quoque adjicitur, quod vitia quæ in *Sermonibus* reprehenduntur, propria sint eorum temporum quibus inter mortales S. Jacobus vitam age-

(1) *Op. et loc. citt.*
(2) Ibid., p. 12 seq.
(3) Ibid., p. 13 seq.
(4) Ibid., p. 14 seq.

bat. Hujusmodi sunt Judaica superstitio et Judaicarum solemnitatum observatio, magicæ artes, diabolica præstigia, astrologorum deliria, contubernia virginum cum clericis et ascetis, et his similia. Quibus plura alia addere licet, quæ ad mores et ritus antiquissimorum Ecclesiæ temporum spectant...... Insuper adjungi possent *Sermonum* argumenta, quorum plurima sunt contra Judæos, alia primis Ecclesiæ sæculis ac scriptoribus congruunt..... Postremo haud omnino silentio prætereunda est ratio ac modus exponendi catholica dogmata, apprime conveniens Jacobo Nisibeno et consonans cum primorum Patrum scriptis ac doctrinis. E diverso nulla uspiam mentio de moribus ac ritibus aliisque rebus posteriorum temporum (1). » Atque hæc Antonellus.

Sed enim haudquaquam talia sunt hæc argumenta, ut nos docto Cardinali consentire cogant. Et primo quidem, cum sint mere *negativa*, seu hoc unum probent, nihil in *Homiliarum* materia, in doctrina tradita, in scribendi genere, etc., obstare quominus illæ Episcopo Nisibeno tribuantur, juxta sanæ logicæ leges, prævalere nunquam poterunt rationibus *positivis* simul ac certis, quas Sapientis Persæ juribus patrocinari in paragrapho proxime antegresso demonstravimus.

Insuper, etiamsi tibi dederim, vera esse omnia quæ in illis vel supponuntur, vel asseruntur, quid exinde, quæso, conficies? — Nihil conficies, nihilque ipse conficit Antonellus, nisi *Homiliarum* scriptorem antiquissimum esse et circa initium sæculi IV vixisse. At hæc nota, quam utique lubenti animo admittimus, non Jacobum Magnum magis quam Aphraatem indigitat. Et hic

(1) *Op. cit.*, præf. pp. 15 et 16.

enim temporibus circiter concilii Nicæni ac per aliquot decennia subsequentia floruit; nulla igitur res vetat quin dicamus, eum et ex parentibus paganis vel ad fidem recens conversis ortum habuisse, et partem saltem aliquam operum suorum a. 336-337 conscripsisse; ei etiam aptissime conveniunt quæ congeruntur de exemplis et testimoniis a *Dissertationum* auctore allegatis, de versione Armeniaca ab ipso adhibita, de vitiis denique quæ redarguat et de moribus ac ritibus qui ejus ætate in Ecclesia viguerint.

Antonellum præterea in pluribus erravisse deprehendimus. Falsum est quod in primo suo argumento innuere videtur, *Homilias* universas eodem anno Gr. 648, p. Chr. 336-337, compositas esse; falsum pariter, in illis vestigia reperiri translationis Armeniacæ antiquioris versione apud Armenos vulgata et circa annum 432 exarata : hanc enim, non aliam, in *Homiliis* comparere supra (1) ex Sassio probatum est, quantum unicuique satis esse debet ad eam certitudinem quæ in hujusmodi rebus requiritur.

Demum tantum abest ut plura ex argumentis enumeratis id efficiant quod intenditur, ut contra, si attente perpendantur, uni Aphraati *Dissertationes* vindicari posse ostendant : talia sunt consideratio variorum temporum quibus illæ prodierunt et ubique observatum de Arianis eorumque erroribus silentium. De quibus cum antea pluries jam egerimus (2), ad ea quæ dicta sunt lectorem remittimus.

(1) Pag. 157 seq.
(2) Cfr., v. g., pp. 66 seqq., 74 seqq.

## II. *Expediuntur peculiares difficultates quæ contra Homiliæ XIV γνησιότητα afferuntur.*

Antonellus, qui *Sermones* ex iis quos edidit duodeviginti S. Jacobo Nisibeno tribuit, de ultimo (ed. Wr. XIV), qui circa dissidia et schismata in populo fideli atque clero exorta versatur, dubius hæsitat, ad quemnam auctorem referendus sit; et in id vehementer propendet. ut pronuntiet eum ex alio fonte manavisse. Allegat autem rationes hujus discriminis quatuor; quæ et contra Aphraatem, si admitterentur, eo sensu vim haberent, quod sequeretur alium esse *Epistolæ XIV*, alium reliquarum *Epistolarum* scriptorem. Ideo de illis pauca subnectere visum est. Qua ratione eas proponat Antonellus audiamus (1):

« *Sermonem,* ait, seu potius *Epistolam* quæ sequitur esse S. Jacobi maxime dubito : primum quia nulla de ea mentio est apud Gennadium, qui solus ex antiquis operum S. Doctoris Nisibeni catalogum nobis exhibuit; secundo quia ipse librarius qui codicem scripsit de ea dubius, quatenus ex ipsius verbis, quæ inferius adscribam, conjectura assequi possum, fuisse videtur; tertio quia stilus, modus ac ratio scribendi dissimilis est, minimeque cum superioribus *Sermonibus* seu *Epistolis* consentiens; demum quia *Epistola* synodica est et multorum nomine scripta, non autem S. Jacobi Episcopi, cujus neque nomen, neque episcopalis dignitas et auctoritas, nullaque alia, quæ aliqua ex parte eum auctorem fuisse obscure saltem indicent, apparent. »

(1) Cfr S. *Jacob.*, *Ep. Nisib.*, *Sermon.*, p. 401.

Quam temere ac perperam multa in hisce effutiantur haud difficili negotio ostendi potest. Ad Gennadium quod attinet, supra vidimus ejus auctoritatem non tanti faciendam esse, ut huic necessario stare debeamus. Cæterum inscriptiones *Homiliarum* ab eo in medium prolatæ magnam partem nimium universæ, tamque intricatæ sunt, ut *Sermonem* de quo controversia movetur apud eum commemorari neque affirmare, neque negare liceat. Qui enim de his scriptis ea tantum posteris tradidit quæ ex aliorum relatione acceperat, qui titulos passim corrupit, qui etiam unum alterumve *Sermonem*, quasi in duos divisum, bis recensuit (1); nonne potuit et hujus *Homiliæ* inscriptionem vel mutare, vel alii adjungere, ut comprehenderetur, e. g., hac designatione : *De dilectione speciali erga proximum* (2)?

E verbis deinde quæ scriba anonymus textui Armeniaco *Homiliæ* præmisit nullo modo sequitur, dubium eum fuisse utrum a Jacobo, an ab alio sit conscripta. Ita quippe librarius ille (3) : « Prudens lector! quamvis hic *Sermo* qui sequitur non sit scriptus ad *Illuminatorem* nostrum, tamen quia est *Sermo* magni viri, non æstimo esse inutile, si subjungatur post *Epistolas* quas ad interrogationes S. Illuminatoris nostri rescripsit, quum multa ad ædificationem nostram in se contineat. » Quid negat horum verborum auctor de *Homilia* quam præ oculis habet? Scriptam eam esse a Jacobo Nisibeno? At ubinam hujus negationis vel leve vestigium reperies? Unum nimirum infitiatur, *Epistolam* istam ad Gregorium

(1) Exempla suppeditantur supra, p. 150.

(2) Cum *Homilia* universa versetur in charitate mutua et concordia inculcanda, de dilectione proximi expressius agitur passim, e. g., § 10.

(3) Ap. Anton., *op. cit.*, p. 420.

Illuminatorem *missam esse*. De ejus origine ex professo quidem non quærit; sed perspicue supponit eumdem esse qui et hanc et alias *Epistolas* exaravit. Quid enim sibi volunt, nisi hanc auctoris unitatem clare indicent, quæ in testimonio allato sic leguntur : « Tamen quia est sermo magni viri, non æstimo esse inutile, si subjungatur post *Epistolas* quas ad interrogationes Illuminatoris nostri rescripsit? » Undenam, quæso, novit amanuensis, *Sermonem esse magni viri*, nisi hic ex ejus mente sit S. Jacobus Nisibenus? De hac autem librarii persuasione ne minimum quidem dubium relinquunt quæ statim subdit : « Non æstimo esse inutile, si subjungatur post *Epistolas* quas ad interrogationes Illuminatoris nostri rescripsit. » Sane ex integro pericopes tenore et grammatica structura *magnus ille vir*, qui *Sermonem* hunc composuit, idem est cum cæterarum *Epistolarum* scriptore. Quæ cum ita se habeant, quanam tandem animi aberratione eo Antonellus devenire potuerit, ut auctorum diversitatem ex librarii testimonio colligi putaret, ipse videat. Nobis satis est, omnia interpretationis adminicula ejus assertioni ita evidenter repugnare, ut propositionem contrariam manifestam reddant.

Stilum et modum scribendi, vel, ut rectius dicendum est, vertendi archetypi Syriaci, in hac *Homilia* prorsus eumdem esse atque in reliquis testatur cl. Sassius (1). Et profecto quicumque illam attenta mente legerit, quamvis aliquam inveniat discrepantiam, qualis ex materiæ dissimilitudine necessario prodit, nihilominus solitam Aphraatis in ratiocinando methodum, orationem ejus

(1) *Op. sæpius cit.* p. 13.

locutionibus ex Sacra Scriptura desumptis refertam, exempla etiam et argumenta ex eodem fonte deprompta ubique deprehendet. Demum, etiamsi quis putaret *Epistolam* ab aliis dicendi forma aliquatenus distare, quid inde jure colligendum, nisi plures fuisse translatores? Quod tamen, ut alibi jam animadvertimus, nulla prorsus veri specie nititur.

Postremo loco duo adhuc allegat editor Romanus ad opinionem suam firmandam : *Dissertationem XIV* synodicam esse, neque ullibi auctorem Episcopali munere insignem prodere. At prius, cum certissimum sit, non obstat quominus unus Aphraates totius synodi nomine *Epistolam* scribere potuerit, eamque ut suam ad amicum dein transmittere. Alterum quantum distet a vero in opusculi nostri parte I ostensum est, ubi præsertim ex *Homilia XIV* Sapientem Persam Præsulibus annumerandum esse demonstravimus (1).

Nec desunt rationes positivæ quæ evincant *Epistolam* hanc eidem scriptori, cui reliquæ, tribuendam esse. Nam et ordine alphabetico exigitur, quem ex ipsius auctoris aliorumque testimonio constat esse servatum, et eam postea pluries commemorat sibique vindicat Aphraates. Ex locis plurimis ubi hic asserit se litterarum seriem secutum esse pauca annotare sufficiat. A fine *Dissertationis de pastoribus*, de *Homiliis* adhuc editis sequentia occurrunt (2) : « Decem hi *Tractatus* breves, quos tibi composui, alii ab aliis quædam mutuantur et alii aliis innituntur; noli eos disjungere. Ab *olaph* ad *iud*, littera litteram excipiente, in scribendo progressus

(1) Pag. 87 seqq.

(2) Edit. Wright., p. ܘ .

sum. » Eamdem porro *Dissertationum* ordinationem ad XXII^am^ usque a se constanter retentam esse ita docet auctor (1) : « Epistolam hanc tibi scribebam, amice, mense Augusto anni sexcentesimi quinquagesimi sexti, postquam jam absolveram illa viginti duo capita quæ juxta litterarum ordinem sese excipiunt. » Sed quid de hac re plura? Aphraates enim ipse nobis accuratissimum operum suorum catalogum texuit, ex quo non numerum tantum *Homiliarum* et proprias singulorum inscriptiones, sed etiam mutuam earumdem dispositionem discimus. Hæc sunt ejus verba (2) : « Istas *Exhortationes* scripsi fratribus nostris dilectis, filiis Ecclesiæ Dei, ut qui eas ad se delatas in quovis loco legerint etiam exiguitatis meæ meminerint in orationibus suis, utque sciant contemptibilem quidem me esse ac peccatorem, illi tamem fidei adhærere quæ in his *Capitibus* scripto consignata est. Primum descripsi ac tanquam fundamentum posui *fidem*, et super fidem, opera quæ ipsi conveniunt. Post fidem, *ambo charitatis præcepta;* post charitatem, *jejunium*, in *Homilia* quæ de eo inscripta est, simulque opera ejus tractavi. Post jejunium, *orationem* ejusque fructus et actus; post orationem, *bella* et ea quæ de regnis scripsit Daniel exposui. Post *Dissertationem de bellis*, conscripsi *Exhortationem ad monachos* directam. Post monachos, *pœnitentiam;* post pœnitentiam, *resurrectionem mortuorum;* post resurrectionem, *humilitatem;* post humilitatem, *pastores* docendi munere fungentes; post pastores, *circumcisionem*, qua gloriatur gens Judaica; denique post cir-

(1) Ibid., p. ܬܡܐ .

(2) Ibid. p. ܬܟܗ seqq.

cumcisionem, *pascha* et diem decimum quartum consideravi. Post *Dissertationem de paschate*, egi *de sabbato*, quo superbiunt Judæi; dein composui orationem *deprecatoriam* de contentionibus quæ ætate nostra exortæ sunt. Post hanc orationem, scripsi *de alimentis*, quæ Judæi immunda habent, tum *de gentibus, quæ ingressæ sunt et hæreditatem loco prioris populi acceperunt*. Dehinc institutionem dedi *de Filio Dei*. Porro calamum acui *contra Judæos, qui virginitatem blasphemiis prosequuntur*; tum id etiam impugnavi quod jactant, *futurum esse ut denuo congregentur*. Postea *beneficentiam in pauperes* commendavi. Subinde *Dissertationem de iis qui persecutioni sunt obnoxii*, et ultimam demum *de morte et temporibus novissimis* conscripsi. — Hos *Sermones* duos et viginti alphabetico digessi ordine. Decem priores edidi anno sexcentesimo quadragesimo octavo regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, prout in eorum fine notatum est; duodecim autem posteriores anno sexcentesimo quinquagesimo quinto regni Græcorum et Romanorum, seu regni Alexandri, et anno trigesimo quinto regis Persarum exarati fuere. »

Ex iis quæ hactenus disputavimus, illud, puto, conficere licebit, nihil a quoquam afferri posse quo nostra pro viginti trium *Epistolarum* genuinitate argumenta vel minimum infirmentur, neque, quod ad hanc rem attinet, de *Homilia XIV* magis quam de quibusvis aliis dubitationi locum esse.

### ARTICULUS IV.

*De stylo et genere dicendi Aphraatis.*

Sermo Syriacus, qualis ab Aphraate usurpatur, minus

vocabulis peregrinis refertus est quam vulgo in aliorum scriptorum, præsertim recentioris ætatis, operibus. In *Homiliis* non solum frustra quæsieris farraginem illam vocum sive Arabicarum, sive Græcarum, quarum admixtione lingua post sæculum VII ab antiqua puritate deflexit, sed, quamquam auctor natione fuit Persa, nullum reperies verbum extraneum, quod hanc ejus originem prodat. Syntaxis etiam adeo habet formam vere Semiticam, imprimisque Aramæam, ut ei qui syntaxeos Syriacæ regulas addiscere vel aliis tradere velit ad Aphraatem præcipue recurrendum esse vir doctissimus Noeldeke optimo jure pronuntiet (1).

Stylus magna simplicitate et perspicuitate plerumque excellit, non varietate aut elegantia, neque sententiarum splendore vel sublimitate. Nec tamen eo quod *Dissertationum* liber communem cogitandi atque loquendi modum generatim non transcendat, putare debes eum parvi faciendum esse. Hic namque illud obtinet quod sapienter monet celeberrimus *Annalium ecclesiasticorum* parens, ad annum 356 : « Sicut, inquit, effossum informe aurum et rude eo carius esse solet, quod nihil videatur alterius metalli habere commixtum; ita egregia monumenta, sua ipsa vetustate atque simplicitate micantia, quibus res potius quam verba in pretio esse solent, gratiora plane erunt atque jucundiora quovis scripto recentioris auctoris, quibuscumque eloquentiæ phaleris exornato. Quidquid enim obducitur fuco atque pigmentis suspectum redditur; pulchriorque enitescit ipsa sua puritate simplicitas, quæ, quod mentiri nesciat,

(1) In opere præstantissimo *Mandaïsche Grammatik* (Halle, 1875), p. 21. Cfr. Sassius, p. 16.

omne quamvis ad ornamentum compositum velamentum abhorret. » Illis monumentis a clarissimo viro tantopere laudatis accensenda sunt quæ edidit Sapiens Persa : quippe quorum pretium non tam ex elocutionis artificio vel orationis concinnæ leporibus quam ex doctrinæ antiquitate et sinceritate oritur; ideoque si Aphraatem alicui scriptorum qui ejus ætati propiores exstitere comparare velis, ad S. Isaaci Antiocheni magis quam ad S. Ephræmi loquendi genus eum accedere statuendum erit.

Hæc tamen non ita intelligas velim, ac si jejuno admodum, humili atque remisso sermone semper uteretur. Dicendi veneres e re natas, quamvis modice, adhibet. Aliquando etiam se concitat et attollit. Audi, v. g., exhortantem ad fidem, in *Epistola I* (1) : ܢܬܩܦ ܗܟܝܠ ܚܒܝܒܝ . ܠܗ ܠܗܝܡܢܘܬܐ . ܕܗܟܢܐ ܫܦܝܪܝܢ ܥܒ̈ܕܝܗ ܀ ܗܝܡܢܘܬܐ ܓܝܪ ܠܒܢܝܢܐ ܐܝܟ . ܘܡܬܩܢܢܘܬܐ ܐܘܠܦܢܐ . ܘܡܢ ܣܓܝܐ ܦܓܫ . ܘܡܢ ܓܘܢ̈ܐ ܐܝܟ . ܘܡܬܟܬܫܢܘܬܐ ܐܬܠܦܬ . ܘܠܐ ܫܬܝܪܐ ܥܒܕܬ . ܘܡܬܪܥܝܢܘܬܐ ܫܩܝܠ . ܘܢܦܫܐ ܐܫܬܠܝܬ . ܘܚܘܒܐ ܕܠܒܐ . ܘܡܬܪܥܝܢܐ ܨܒܝܬ . ܘܡܢܐ ܠܒܝܬܗ ܐܫܬܠܝܬ . ܘܚܘܒܐ ܫܒܝܩ . ܘܡܢܬܐ ܐܫܬܠܝܬ . ܘܡܢ ܡܫܒܚ ܐܫܬܠܝܬ . ܘܩܝܡܐ ܫܠܝܡ . ܘܡܩܪܝܢܐ ܐܫܬܠܝܬ . ܘܬܡܝܠܐ ܐܦ . ܘܫܠܘܬܐ ܫܒܝܩ . ܘܚܣܝܢܘܬܐ ܕܐܝܬܘܬܐ ܫܦܝܪ . ܘܡܬܒܘܢܢܘܬܐ ܕܠܐ ܕܢܚܐ . ܘܠܬܒܘܢܐ ܡܒܢܝܐ . ܘܡܬܡܢܥܢܘܬܐ ܠܐܦܝܐ ܡܫܬܒܚ ܀ ܗܠܝܢ ܕܠܗܘܢ ܣܢܝܐ . ܒܗ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܐܫܬܠܡܘ ܀ « Amplectamur igitur, charissime, fidem

(1) Ed. Wright., p. ܟܒ .

quæ tot mira operatur. Fides enim invexit in cœlum, eripuit a diluvio, sterilibus fecunditatem tribuit, a clade protexit, e fovea eduxit. Pauperes ditavit, captivos libertate, vexatos requie donavit. Ut ignis descenderet effecit, mare divisit, disrupit petram et aquam sitientibus propinavit. Esurientes satiavit, mortuos revocavit ad vitam, fluctus sedavit, infirmos sanavit, exercitus fudit. Muros evertit, ora leonum obturavit, flammam ardentem exstinxit, superbos depressit et humiles honoribus auxit. Prodigia hæc universa per fidem patrata sunt. »

Neque, ubi res suadet, deest orationi color temperatus. Ita auctor, dum in eadem *Epistola* populum Israeliticum propter fidem Moysis ex Ægypto divinitus eductum describit (1) : ܐܬܦܨܝ ܗܘ ܗܘܐ ܚܒܝܫܐ ܘܪܕܐ ܕܥܒܕܘܬܐ ܀
ܕܥܒܕ ܡܨܪܝܐ ܚܒܝܫܐ ܕܗܘܘ ܀ ܡܢ ܐܬܦܪܩܘ ܡܢܐ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܀
ܘܒܡܠܘܬܗ ܛܘܪܐ ܩܛܠܐ ܘܡܫܡܥܐ ܠܒܘܟܪܐ ܡܚܐ ܀ ܘܡܠܟܝܢ ܗܘܘ
ܘܡܫܬܡܥܝܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܀ ܘܙܪܝܙܝܢ ܐܝܟ ܕܓܒܪܐ ܀ ܘܡܣܬܡܟܝܢ
ܒܝܘܡܐ ܐܝܟ ܕܒܡܠܟܘܬܐ ܀ ܘܦܪܩܬܗܘܢ ܠܐ ܒܥܝܪܐ ܠܚܘܡܐ ܀
ܘܢܦܩܘ ܥܡܐ ܕܒܪܝܬܗܘܢ ܀ ܘܗܘܘ ܡܬܬܠܡܕܝܢ ܒܪܝܬܐ ܕܠܐ
ܦܫܝܛܐ ܀ ܘܐܬܦܫܛܘ ܝܡܐ ܘܡܫܬܒܚܝܢ ܠܒܘܪܟܬܐ ܕܐܬܝܗܒ ܠܥܡܐ
ܠܒܢܝ ܀ ܘܐܬܚܙܝܘ ܡܫܬܘܕܝܢ ܘܡܬܬܪܢܝܢ ܀ ܘܢܣܒܝܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܘܠܥܒܘܕܐ ܀ ܘܐܬܓܠܝ ܡܠܐܟܐ ܕܡܢ ܩܕܡ ܠܥܡܐ ܀ ܘܛܘܪܐ
ܕܡܢ ܒܪܝܫܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܡܠܟܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܀ ܘܐܘܪܝܬܐ
ܐܘܪܚܐ ܕܚܘܒܗܘܢ ܘܐܬܬܪܝܡܘ ܐܘܪܚܐ ܕܡܢ ܠܥܠ ܀ ܘܒܠܐ ܠܥܡܐ
ܕܗܘܐ ܘܐܬܗܪ ܠܥܠܡܐ ܡܚܫܒܬܐ ܀ ܘܡܬܒܪ ܠܥܡܐ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܀
ܘܗܘܐ ܕܗܢܐ ܕܐܬܗܘܝܬ ܒܥܬܝܪܘܬܗ ܘܒܫܘܠܛܢܗ ܘܒܡܬܩܢܘܬܗ ܀

(1) Wright., p. ܣܘ seq.

« Admirandum et illustre est, amice, prodigium illud quod Moyses patravit ad mare Rubrum. Ibi enim per fidem divisæ sunt aquæ, et sicut montes excelsi vel rupes validæ constiterunt. Deo mandante, immobiles mansere et perinde ac si utribus conclusæ fuissent, tam summa quam ima earum pars loco affixa est. Quæ natura fluunt terminum positum non sunt transgressæ, et, propria mutata indole, creaturæ rationis expertes dicto obedientes factæ sunt. Fluctus suspensi opportunitatem ultionis, donec populus trajecisset, exspectaverunt; undæ mirum in modum aspiciebant, jussionem ac vindictæ tempus opperientes. Retecta sunt fundamenta mundo congenita, et quod ab initio fuit humidum repente exsiccatum est. Sustulerunt portæ capita sua et elevatæ sunt portæ æternæ. Tunc columna lucida incessit et castra tota illuminavit; universoque populo per fidem trajecto, Pharao, exercitus et currus ejus justas dederunt pœnas. »

Si quæ autem styli ornamenta hic illic inspergit Aphraates, si metaphoris vel imaginibus haud raro utitur, ea omnia ex Scriptura plerumque desumit; cujus adeo gnarum sese exhibet, ut sæpius ejus quasi continuam paraphrasim in scribendo contexat. Præclaram hujus assertionis probationem habes in *Homiliæ XIV* § 2, quem latine versum supra (pp. 89 et 90) recitavimus. Peculiari etiam attentione dignus est locus aliquis *Epistolæ de acino* (1), in quo, iis adminiculis usurpatis quæ ex fonte prædicto abunde suppeditantur, altius sese evehit, Summi Numinis potestatem magna cum emphasi celebrat, simul hominis infirmitatem et mise-

(1) Edit. Wright., pp. ܬܣܘ — ܬܥܚ.

rias vividius depingit, utque divinum auxilium in rebus anxiis nobis præsto sit verbis ardentibus ac velut ignitis efflagitat.

Quoad scribendi ordinem mutuumque sententiarum nexum, quandoque liberior æquo deprehenditur Sapiens Persa : Sacrarum enim Litterarum effata atque testimonia passim congerit, vel ad rem minus pertinentia, vel certe contextui ab auctore non satis aptata et inserta. At, quod in scriptore tam insigni multo magis reprehendendum est, a proposito haud infrequenter deflectit et per excursus de rebus etiam minoris momenti, quarum mentio forte inciderit, diversas in partes evagatur. Exempla hujus vitii pauca ex multis adducere liceat. In *Epistola I*, ubi prodigia recenset quæ fides populo Dei peperit, ex mira trajectione Jordanis fluvii, quæ Josue duce contigit, occasione arrepta, hæc cum orationis scopo vix cohærentia intermiscet (1) : « Scito autem, carissime, Jordanem ter, ut transitum præberet, in eodem loco divisum esse : primo quidem a Josue, Nuni filio, dein ab Elia, tertio ab Elisæo. Ostendit enim Scriptura, Eliam e regione trans Jordanem ex adverso Jerichonti sita raptum esse in cælum. Cum scilicet rediit Elisæus et Jordanem divisum trajecit, ei obviam processerunt filii prophetarum. qui Jerichonte morabantur, et dixerunt (2) : *Requievit spiritus Eliæ super Elisæum.* De transitu etiam populi, qui tempore Josue, filii Nuni, contigit, scriptum est, Israelitas flumen contra Jerichontem trajecisse. » Hisce interjectis, ad propositum demum redit auctor, et ita

(1) Ed. Wright., p. ىطـ .
(2) IV *Regum* II, 15.

pergit : « Per fidem Josue, Nuni filius, etiam muros Jerichontis subvertit, etc. »

Eadem porro hac illac exspatiandi licentia nullibi forsan luculentius sese manifestat quam in *Epistolæ de jejunio* §§ 7, 8 et 9 (1). In eo loco, cum velit Sapiens Persa declarare quodnam jejunium Deo sit acceptum, tanquam exemplar memorat ac commendat Mardochæi et Estheris jejunium, quo isti non modo suam populariumque suorum salutem, verum etiam Amanis Amalecitæ mortem obtinuere. Tum, facto inde initio, causas inquirit odii quo Aman Judæos prosequebatur, sicque eo devenit ut integram ferme Amalecitarum historiam ex Sacris Libris depromat atque exhibeat. Hinc ostendit quomodo Mardochæus jure merito Amani adorationis civilis honorem denegaverit, dein cur Amalecitæ ante omnes alias Chananæorum tribus Hebræis ad terram promissam tendentibus obsistere conati sint, tandem quare Esavus, a quo Amalecitæ genus ducebant, sub fratris Jacobi potestate fuerit ab Isaaco constitutus. Sed, quo res clarior fiat, ipsum Aphraatem audiamus.

« Animum, ait, attendas, carissime. Jejunium acceptum quod observarunt Mardochæus et Esther, quod omnibus Israelitis scutum salutis fuit, quo etiam superbiam Amanis, persecutoris sui, depresserunt, tibi exponam. Tunc enim Amanis iniquitas et consilia fraudulenta in caput ejus conversa sunt; judicio quo judicare volebat fuit ipse judicatus, mensura qua uti proponebat erga eum adhibita est, et quod in alios meditabatur ipsi evenit. Peccatorum suorum laqueo constrictus est, divitiæ quibus gloriabatur eum non comitatæ sunt,

(1) Ap. Wright., p. ܠ seq.

prudentia sua non est salutem consecutus. Quoniam astutus fuit ad malum, arrogantia ejus humiliata est, dignitas ab eo ablata fuit, splendor evanuit, periit fortitudo. Plaga affectus est quam infligere volebat, mortem quam aliis machinabatur ipse subiit. Ei namque propositum erat universos Judæos qui regis Assueri ditionem incolebant neci tradere; at fuit jejunium Mardochæi et Estheris scutum quod tela Amanis excepit; hic in iniquitate sua implicatus est, gladius quem gerebat cor ipsius transfixit; arcus ejus, ad peccatum extentus, confractus est, prout id impiis optat Scriptura (1) : *Gladius eorum ipsorum pectora transfodiat et arcus eorum confringantur*. Hoc in Amane adimpletum est, quando patibulo quod Mardochæo ejusque liberis erectum fuerat Aman cum filiis suis suspensus fuit, sicque incidit vir nequam in foveam quam effoderat, laqueo quem tetenderat captus est, rete suum sibi injectum esse doluit, in casses iniquitatis cecidit et in æternum misere periit.

Cur autem instanter postulavit Aman a rege ut Judæi omnes interirent, nisi quia intendebat populares suos ulcisci et Israelitarum nomen delere, sicut memoria Amalec sub cœlo deleta est? Remanserat enim Aman inter Amalecitarum reliquias, siquidem scriptum est (2), eum filium fuisse Amadathi, qui e stirpe Agag oriundus erat. Porro quum ille magno in honore esset in domo Assueri, Mardochæus ad portam regis quotidie sedebat propter Estherem, quam educaverat. Hæc namque, ad Assuerum regem adducta, ei placuerat præ omnibus

(1) *Ps*. XXXVI, 15.
(2) *Esther*. III, 1.

virginibus æqualibus, et ideo solium reginæ Vasthi occupaverat. Mardochæus itaque foribus regis primus quotidie assidebat. Aman vero tertium in regno locum obtinebat et ab omnibus magnopere colebatur. Hinc quicumque ad ostium regis erant, statim ac Amanem aspiciebant, sese prosternebant ut eum adorarent. At eidem Mardochæus non assurgebat. Propterea voluit ille de Israelitis vindictam sumere atque in eis Amalecitas ulcisci. Genus enim ipse ducebat ab Agag, rege Amalecita, quem a Saule adductum Samuel in frusta coram Domino conciderat; Mardochæus autem ex stirpe Saulis, ex tribu Benjamin et ex filiis Cis ortus erat. Quoniam igitur Saul Amalecitas morti tradiderat, cupiebat Aman ab Israele stragis popularium suorum et a Mardochæo necis Agag pœnas exigere; nec animadvertebat insipiens, juxta sententiam de Amalec latam, hujus memoriam sub cœlo delendam esse. Nam in lege sacra scriptum est, hæc a Deo Moysi dicta esse (1) : *Præcipe Josue, Nuni filio, ut viros eligat et pugnam cum Amalec committat*. Arma itaque sumpsit Josue et manum conseruit cum Amalec, qui, Moyse brachia extendente, signo crucis victus fugatusque est. Iis porro interfectis qui in aciem exierant, qui remanserant domi superstites cladi fuerunt. Tunc dicit Dominus Moysi (2) : *Scribe, commemorationis ergo, in libro, simulque Josue, Nuni filium, admone futurum esse ut memoriam Amalec sub cœlo deleam*. Posthac longanimitate erga Amalecitas usus est Deus, experiens num forte, audita prophetia in libro sancto consignata de sua internecione, ad seipsos

(1) *Exod.* XVII, 9.
(2) *Exod.* XVII, 14.

redirent et ad Dominum converterentur. Si enim pœnitentiam egissent, hæc accepta fuisset, sicut accepta fuit conversio Ninivitarum, qui, prædicta sibi subversione, publicam peragendo pœnitentiam, iram divinam a se averterunt; sicut etiam, inito fœdere, Gabaonitis promissum est, ipsos non deletum iri cum Chananæis; denique sicut Rahab pœnitenti venia concessa est eo quod crediderat. Eodem igitur modo et Amalecitarum pœnitentia accepta fuisset, si credidissent : Deus quippe quadringentis annis patientia erga illos usus est. Sed lapso toto hoc tempore, cum vidisset eos nullo modo converti, ira in illos exarsit, recordatusque est prædictionis quam Moyses in libro sancto consignavit. Itaque postquam Saul solio potitus est, dixit Deus Samueli (1) : *Hæc manda regi : Memini eorum quæ fecit vobis Amalec, quum exeuntibus ex Ægypto armatus occurrit; idcirco nunc perge et interfice Amelec, quia peccavit.* Saul igitur adversus Amalecitas processit, eosque clade affecit; sed quia, misericordia motus, quibusdam eorum pepercerat, e solio dejectus est. Hisce autem reliquiis domus Agag, quem vita donaverat Saul, accensendus est Aman; Mardochæus vero oriundus erat ex stirpe Saulis, qui familiam Agag magna ex parte deleverat.

Sed homines sunt, carissime, qui Mardochæum reprehendentes, hæc quærunt : « Cur Amani, qui in universo regno plurimum pollebat, non assurexit? ecquid detrimenti passus fuisset, si illi exhibuisset honorem? Si enim (ita pergunt isti), Amani assurrexisset, contra ipsum ejusque populares perversum illud consilium non

(1) I *Regum* XV, 2, 3.

fuisset excogitatum. » At qui talia effutit rem non habet satis perspectam. Mardochæus ut vir justus et legi addictus tunc egit. Impio Amani non assurrexit, quia considerabat Saulem, proavum suum, eo quod misericordiam in regem Agag, Amanis progenitorem, exercuisset, solio privatum esse et divinam in se concitavisse iram. Sicut autem in Saulem exarsit iracundia Dei, ita exarsisset et in Mardochæum, si hic iniquum Amanem honore dignatus esset.

Age vero, amice, quare Amalec præ omnibus reliquis populis Israeli occurrit, ut cum eo dimicaret? — Hæc nimirum secum reputavit : « Egrediamur, bellum filiis Jacobi inferamus; et Isaaci benedictiones in eis irritas reddemus. » Reformidabat enim dominationem filiorum Jacobi, eo quod ista Isaacus Esavo prædixerat (1) : *Jacobo, fratri tuo servies; sed si conversus fueris, a collo tuo auferetur jugum ejus.* Animadvertere porro debes, Amalec ex concubina Eliphaz, filii Esavi, natum esse. Nolebat autem posteris Jacobi servire.

Quid etiam causæ est, carissime, cur Isaacus Esavo dixerit : *Fratri tuo Jacobo servies?* — Ea est istius prædictionis ratio, quod Esavus uxores accepisset ex filiabus Chanaan, cui Noachus avus hisce verbis maledixerat (2) : *Servus servorum eris fatribus tuis.* Quoniam itaque noverant Abrahamus et Isaacus Chananæos maledictioni subjacere, horum filias filiis suis uxores non sumpserunt; eas scilicet nec Abrahamus Isaaco, nec Isaacus Jacobo matrimonio junxerunt, ne Chananæorum semen, maledictioni subjectum, misceretur cum Semi

(1) *Genes.* XXVII, 40.
(2) *Genes.* IX, 25.

progenie, quæ benedictionem a Noacho perceperat. Idcirco Amálec, filius Eliphaz et Esavi nepos, ut maledictiones Noachi et Isaaci benedictiones irritas redderet, Jacobi posteros armis aggressus est. Tum Deus æquam hanc de Amalec sententiam tulit, ut a filiis Rachelis ejus memoria deleretur. Et reipsa bellum contra eum gesserunt primum Josue, Nuni filius, ex tribu Josephi oriundus, dein Saul, qui a Benjamino genus ducebat; ejus vero reliquias Mardochæus jejunio suo perdidit. Ita, quia præ omnibus aliis Esavi posteris Amalec filiis Jacobi bellum illatum voluit, ipsa ejus memoria deleta est.

Ex hisce vides quomodo per Mardochæi et Estheris jejunium Aman e dignitate sua deturbatus sit et Amalecitarum reliquiæ neci traditæ, Mardochæo potestatem Amanis accipiente, ita ut in universo Assueri regno plurimum polleret. Esther autem regina loco Vasthi constituta erat. »

Et hæc quidem Sapiens Persa. Quæ, quamvis paulo longiora, integra afferre operæ pretium visum est, ut melius pateat quam verum sit quod initio asseruimus, auctorem nonnunquam, perinde ac si quo intendat oblitus esset, per multos ambitus vagari, alia ex aliis diverticula quasi aucupari, orationem suam inutili rerum verborumque copia aliquando onerare et implicare magis quam ornare, donec, veluti ad se reversus et memor subito unde scribendi initium fecerit, lectorem, plurimis erroribus devium ac fatigatum, ad propositum tandem reducat.

# CAPUT ALTERUM.

## DE APHRAATIS DOCTRINA EJUSQUE HOMILIARUM USU DOGMATICO ET EXEGETICO.

### ARTICULUS I.

### *Qua occasione, quove consilio Aphraates Homilias ediderit, et quænam sit generalis istarum indoles.*

De doctrina Sapientis Persæ nunc breviter agendum nobis est. Quod facilius, nisi fallor, et luculentius præstabitur, si prius lucubrationum ejus occasionem, scopum, generalemque indolem, ea qua res perfici poterit diligentia, inquisierim atque explicaverim. Ex his enim apprime cognitis perspectisque fieri nequit quominus aliquod saltem lumen affundatur testimoniis, quæ subinde producemus, examinandis et intelligendis.

### § 1. DE HOMILIARUM OCCASIONE ET FINE.

Haud semel jam notavimus plures ex Aphraatis *Dissertationibus* in hunc finem exaratas esse, ut per eas quæsitis cujusdam amici, in statu monastico degentis et perfectiori disciplinarum christianarum indagationi intenti, solutio suppeditaretur. Hujus *Epistolam*, qua de fide salutifera et operibus ex ea prodeuntibus diversa sciscitatur, supra (1) recitavimus; ipsamque auctori nostro occasionem fuisse ut *Homiliarum* suarum primam quæ *De fide* agit, componeret, aperte commonstrant

(1) Pagg. 68 et 69.

verba statim ab initio *Homiliæ* istius tibi occurrentia. Quæ talia sunt (1) : « Litteras tuas accepi, amice, earumque lectio magno me gaudio affecit, eo quod mentem hisce disquisitionibus applicueris. Quæ enim a me postulasti gratis dantur et gratis accipiuntur. Qui illa possidet, si petenti eadem denegare velit, bonis quibus alios fraudat et ipse privabitur, quoniam qui gratuito accepit gratuito vicissim elargiri debet. De iis itaque quæ me rogasti, carissime, pro exigua mea facultate tibi scribere animus est. Simul vero alia, quæ a me non quæsivisti, Dei auxilio invocato, te edocere propono. Audi igitur, amice; internos cordis tui oculos mihi resera, vim spiritualem mentis tuæ ad ea quæ tibi proferam intelligenda adhibe. — Fides multis rebus constat, plurimis exornatur coloribus. Ædificio quippe similis est, quod, variis constructum materiis, ad fastigium usque exsurgit.... »

Eamdem illationem omnino suadent quæ a fine illius *Homiliæ* de fidei natura et proprietatibus ita proponuntur (2) : « Hæc est autem fides, ut credat homo in Deum, rerum universarum Dominum, qui fecit cœlum, terram, maria et omnia quæ in eis sunt, qui Adamum ad imaginem suam finxit, qui legem Moysi dedit, qui prophetas reddidit Spiritus sui participes et deinde Christum suum in mundum misit. Ad eam illud quoque pertinet, quod credamus resurrectionem mortuorum et Baptismi Sacramentum. Requirit insuper fides Ecclesiæ Dei ut quisque abstineat ab observatione temporum, sabbatorum, neomeniarum et annuarum solemnitatum, a divi-

(1) Wright., pag. ܗ .

(2) Wright , pp. ܦܒ et ܦܓ .

natione, auguriis, astrologia et magia, a fornicatione et comessationibus, a doctrinis inanibus eorum qui sunt instrumenta dæmonis, a blandorum sermonum lenocinio a blasphemia et adulterio, a falso testimonio et a duplicitate linguæ. Hæc sunt opera fidei innitentis vero fundamento, Christo scilicet, cui superstruitur totum ædificium. De fide, carissime, alia plurima in Sacris Litteris occurrunt. Sed pauca hæc ex multis exscripsi et Dilectioni tuæ in memoriam revocavi, ut scias et doceas, ut credas et alii tibi credant. Postquam autem ea legeris, fideique didiceris opera, similis esto arvo illi, quod semen bonum sibi concreditum cum centesimo, sexagesimo vel trigesimo fœnore reddidit. Ita, quando Dominum tuum adibis, servum bonum, diligentem ac fidelem te salutabit, et propter insignem tuam fidelitatem in ejus regnum admitteris. »

Qui hæc excerpta, multo magis qui *Homiliam* integram cum interrogatoris *Epistola* contulerit, facile colliget ambas sic esse comparatas, ut huic per illam satisfactum sit. Aphraates quippe videtur in prima *Dissertatione* præstitisse quæcumque misso libello ab ipso postulata fuerant, seu « conscripsisse institutionem de fide, quomodo nempe se habeat, quodnam sit ejus fundamentum, quodnam ædificium in quod illa assurgit, quibus insit hominibus, qualis ejus consummatio atque perfectio, quænam opera ad hanc perfectionem requirat (1). »

(1) Hæc sunt ipsa amici interrogantis verba, qualia a Wrightio, *op. cit.* pag. ?, exhibentur : [ܨܒܝ] ܗܘܐ ܕܢܚܘܐ ܡܢܘ [ܗܘ]ܐ ܕܟܠܝܐ ܠܟ
ܬܗܘܐ̈ [ܐܝܟ] ܕܬܘܕܥܢܝ ܠܥܡܠܝܟ . [ܥ]ܠ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܐܬܒܢܝܐ [ܐܝܟܢ]ܐ ܗܝ .
ܘܐܝܟܢܐ ܗܝ [ܫܘܡܠ]ܝܗ̇ . ܘܡܛܠ ܐܝܠܝܢ [ܥܒܕܝܢ ܕ]ܡܬܒܥܝܢ . ܘܐܝܟܢ ܡܟܐ

At dum de fide Sapientem Persam scripto interrogat amicus, nuntiat sese a præsente multo plura de diversis argumentis sciscitaturum (1) : « Plurima quidem, ait, menti insunt, de quibus te interrogatum velim; sed universa præparata sunt apud me et reposita, ut, postquam te convenero, ea me edoceas. » Nec dubium est quin, inter *Dissertationes*, nonnullæ propter istas percontationes viva voce propositas exaratæ fuerint. Haud procul a fine *Homiliæ de pastoribus*, quæ, ut alibi diximus, decimum ordine alphabetico locum obtinet, hæc leguntur (2) : « Decem *Tractatus* tibi scripsi, amice, de iis quæ me rogasti; varia etiam, quæ a me non petieras, tibi tradidi. » Item quo incitamento quave intentione ad *Homiliam de acino* conscribendam motus fuerit ita indicat auctor (3) : « Scripto exponam tibi, carissime, capita quæ rogitasti super benedictione illa quæ in botro recondita erat, quamdoquidem propter acinum benedictum botrus destructionem evasit. Tempore scilicet Isaiæ statutum erat domino botri hunc dissipare; sed ab illo postularunt ne botrum, cui inerat benedictio, destrueret (4). Quoniam autem insuper a me percontatus es utrum justi et probi in terra semper exstiterint, enucleabo tibi benedictionem illam quæ per omnes generationes usque ad tempus suum (5) propagata

[ܡܬܝܗܒ]ܐ . ܘܐܡܝܢܐ . . . . ܗܘ ܘܡܫܡܠܝܘܬܗ . [ܘ]ܐܠܝܢ ܕܟܐܢܐ
ܡܬܩܪܒܝܢ ܠܗ .

(1) Wright., ibidem.

(2) Wright., pag. ܝ .

(3) Wright., p. ܠܡܗ .

(4) Cfr. Isaias, LXV, 8.

(5) Tempus intellige, quo Messias ex divino decreto prediturus erat et genus humanum redempturus.

est. Item instruam te de alia re quam quæsivisti, cur nempe justorum preces nunc exauditæ a Deo, nunc rejectæ fuerint. Demum describam tibi annos uniuscujusque priorum generationum, usque ad eam ætatem qua Jerosolyma vastata est et gratia Dei spoliata; et ostendam qua sollicitudine justi benedictionem a se defluentem custodierint, donec per Christum ad gentes derivaretur. » — Vides in hisce locis sermonem fieri de quæsitis quorum in *Epistola* pagg. 68 et 69 recitata nec vestigium nec volam reperire est.

Neque tamen ex testimoniis adductis aliisque similibus licebit continuo inferre, Aphraatem ad scribendum nonnisi amici interrogationibus inductum esse, vel ea tantum tractavisse de quibus rogata sententia fuisset : ipse enim haud semel testatur varia a se præter sciscitantis desiderium et postulationem proponi atque explicari. Imo majorem *Dissertationum* partem non ad morem alicui petenti gerendum, sed præcipue saltem propter præsentes vel imminentes temporis necessitates aut ex polemico, quem aiunt, fine editam esse, ex indiciis intrinsecis colligi posse putaverim. Quod verum videtur tum de *Homilia V*, tum de *Homiliis XI-XXII*, non solum quia in his tredecim lucubrationibus, secus ac in reliquis, licet auctor ipse plerumque scopum assignet quem prosequitur, nulla occurrit cujuscumque quæsiti mentio, sed etiam quia in iisdem, si vigesimam et vigesimam secundam excipias, conceptis verbis indicatur alia scribendi occasio, imprimis Judæorum impugnationes, quas retorquere atque refellere necesse foret.

Et sane tantum abest ut *Epistolam XIV*, v. g., ad consulentem rescripserit Sapiens Persa, ut nec alicui singulari personæ eadem primum destinata fuerit. Unde

et ipsi proprium est, ut in ea scriptor amicum nuspiam compellet. Sicut enim non solius Aphraatis auctoritate prodiit, ita nec unius hominis gratia mandata est aut exarata; sed « ad Episcopos (verba sunt auctoris), presbyteros, diaconos,.... ad universum etiam populum Dei, Seleuciæ, Ctesiphonte et per varia loca existentem (1), » data fuit. Et hæc quidem certa sunt. Si quis vero ulterius perscrutari velit quibus in adjunctis et quo consilio *Epistola* cusa fuerit, non suppetunt nisi conjecturæ. Assemanus (2) affirmat ea tangi schisma et perturbationes quæ propter Papam, Seleuciæ et Ctesiphontis Episcopum, tam in hac ecclesia quam in diœcesibus vicinis sint oborta. « Sed hæc sententia, ait Sassius (3), jam chronologia refellitur. Teste enim Barhebræo (4), synodus ad dijudicanda crimina Papæ objecta novem post concilium Nicænum annis, i. e. a. 334, habita est, et Papas ipse secundum Barhebræum (5), a. 335, secundum Assemanum (6), jam a. 326 e vita decessit. Aphraates autem ipse dicit (7) *Epistolam* mense Februario a. 655 ær. Græcorum, i. e. a. 344 p. Chr. n., se composuisse. » Quamobrem Wrightius (8) idem monumentum jussu concilii Seleuciæ et Ctesiphonte a. 344 celebrati conditum esse asserit. At de ejusmodi conventu ibidem tunc habito nusquam relatum quidquam invenitur, nec nisi probabile ad summum argumentum inde erui posse

(1) Ap. Wright., p. ܪܨܚܗ .
(2) B. O. I, p. 558.
(3) *Op. sæpius cit.*, p. 13.
(4) *Chron. eccles.* sect. II, coll. 29 et 30.
(5) Ibidem, coll. 31 et 32.
(6) *Op. cit.* III, 1, p. 612.
(7) Wright., pag. ܦܡ .
(8) Præfat. p. 9.

videtur, quod scriptor Christianos Seleuciæ et Ctesiphonte commorantes præ cæteris nominatim commemorat. Ex *Epistola* ipsa id demum constat, in varios illarum regionum clericos « avaritiam, ambitionem, neglectionem munerum, discordiam, rixasque irrepsisse. Quibus vitiis ut mederentur, Episcopi Mesopotamiæ synodum — quo loco nescimus — congregarunt, et Aphraates ut *Epistolam* synodicam scriberet est jussus, sive quia doctrina et eruditione inter cæteros præcellebat, sive quia jam eo tempore Episcopus monasterii Mar Matthæi principatum quemdam inter Episcopos vicinos obtinebat (1). »

Quas vero *Dissertationes* non respondendi causa, sed alio consilio ediderit Aphraates, eas cum reliquis ad eumdem illum amicum suum atque consultorem direxerit, eo quod hunc nosset scientiæ sacræ excolendæ et addiscendæ percupidum.

### § 2. DE HOMILIARUM INDOLE ET EARUM IN QUASDAM CLASSES DISTRIBUTIONE.

Sicut Aphraatis *Homiliæ* ex diversis occasionibus ortum habuere neque idem in omnibus finis auctori propositus fuit, ita, spectata materia quam singulæ potissimum agitant, non unius sunt indolis atque habitudinis.

Decem priores (2), præter quintam et octavam, late agunt tum *de fide* (Hom. I), tum de operibus ac virtutibus quibus fides homini christiano vere prosit seu

(1) Cfr. quæ supra, p. 80, de Matthæanæ sedis præcellentia habentur.
(2) Integram *Epistolarum* seriem habes sup., pag. 132 seqq.

salutifera evadat, nimirum *de caritate* (H. II), *de jejunio* (H. III), *de precatione* (H. IV), *de pœnitentia* (H. VII) et *de humilitate* (H. IX); insuper officia inculcant quæ *ascetis* (H. VI) et populi fidelis *pastoribus* (H. X) incumbunt. In eodem argumenti genere versantur *Homilia XX* quæ *de sustentatione pauperum* inscripta est, et *Homilia XIV*, quæ, ut pluries jam advertimus, in eum finem mandata fuit et composita, ut dissensiones quædam, in clero exortæ, exstinguerentur, ideoque nihil aliud est quam exhortatio ad mutuam dilectionem, modestiam ac virtutes hisce geminas exercendas, opposita vero vitia fugienda. Ea igitur est *Dissertationum* illarum ratio, ut præsertim morales et parænelicæ dicendæ sint.

Aliter sentiendum de *Homilia VIII*, quæ singulare dogma, resurrectionem scilicet mortuorum, contra eos tuetur, qui sive illud negabant aut in dubium revocabant, sive contendebant resurrecturos quidem homines, « sed corpore cœlesti et formis spiritualibus induendos (1). » Hæc itaque maximam partem polemica seu apologetica est. Idem sit judicium de *Homiliis XI-XXII*, demptis XIV et XX, cum iis, ut legenti titulos jam apparet, imprimis Judæos redarguat scriptor, ideoque talia doctrinæ capita præ cæteris verset, de quibus Judæos inter et Christianos ipsius ætate exardescebat controversia. Illi enim, jam sæculo III ineunte, Edessæ, Nisibi, Nuhadræ, aliisque in urbibus domicilio Aphraatis vicinis scholas instituerant, in quibus summa industria disciplinas sacras excolebant et de quæstionibus ad fidem pertinentibus haud mediocri eruditione cum

(1) Ap. Wright., p. ܩܠܛ : ܦܓܪܐ ܠܗܘܢ ܫܡܝܢܐ ܠܒܫܝܢ . ܘܕܡܘܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ .

Christianis disputabant (1). Aphraates ipse cum doctoribus Judaicis ejusmodi disputationes inivit plures, quarum mentionem alibi (2) fecimus; et exinde « evenit ut quum in nonnullis aliis rebus, tum in temporum descriptionibus ad rabbinicas traditiones sæpe se applicaret (3). » Quo efficacius vero istorum adversariorum commenta refelleret et hostiles retunderet impetus, *Dissertationes* suas edidit *de circumcisione* (H. XI), *de paschate* (H. XII), *de sabbato* (H. XIII), *de ciborum distinctione* (H. XV). Harum itaque observantiarum indolem significationem, utilitatem scite exponit, ostenditque illas bonas quidem fuisse et a Deo præceptas, verum nec absolute necessarias esse, nec salutares exstitisse unquam, nisi fidei inniterentur et conjungerentur cum omnium mandatorum adimpletione; easdem porro cum lege Mosaica desiisse, ut locus esset ritibus novis et œconomiæ ad finem usque sæculorum mansuræ. In Ecclesia enim ad eventum perducta sunt Veteris Testamenti vaticinia *de gentilium electione atque ad verum Dei cultum revocatione* (H. XVI); et, quemadmodum circumcisio et agnus paschalis fuerunt figuræ Baptismi atque Eucharistiæ, ita pleræque antiqui fœderis cæremoniæ typicæ erant : re autem ipsa adveniente, sublata sunt quæ illam præsignificabant. — Inde Sapiens Persa *Christi divinitatem* (H. XVII) et *virginitatis excellentiam* (H. XVIII) adversus Judæorum impugnationes speciatim

(1) Cfr. Sassius, *op. cit.* p. 11, et J. S. Assemanus, B. O. I, in prologo.

(2) Sup., p. 70. Cfr. Wright., pp. ܡܠܗ et ܥܕ .

(3) Ap. Sassium, *op. et loc. citt.* Quare de hac re apposite monet Georgius Episcopus (sup., p. 51) : « Auctor iste juxta traditionem librorum Judæorum, non autem juxta interpretationem LXX neque juxta Samaritanorum traditionem, suas omnes computationes instituit. »

defendit; tum ex Scripturis demonstrat *Israelitas in unam gentem et regnum nunquam congregatum iri* (H. XIX), nihilque contra religionis nostræ veritatem afferri posse ex præsentis temporis *persecutionibus* (H. XXI); demum difficultates quæ non a Judæis modo, sed ab incredulis quibuscumque *de morte et temporibus ultimis* (H. XXII) ingerebantur apte dissolvit.

*Homilia V*, *de bellis* inscripta, ei qui ad illam considerandam primum accedit aliquatenus obscura videtur. Neque tamen, ut contendit J. S. Assemanus (1), sensu allegorico de pugna spirituali intelligenda est; verum in ea, quantum ex ejusdem tenore colligere licet, præ oculis habet auctor bellum a Sapore II contra Constantinum Magnum paratum (2) et forsan jam incœptum, atque amico suo, ut animum ei addat, probare conatur Romanos hostibus facile superiores futuros. Quoniam vero ipsi, utpote sub ditione regis Persarum degenti, ex amicitia erga exteram gentem aperte pronunciata, quæ jam sæpius persecutionum in Christianos decretarum causa exstiterat, summa mala timenda fuissent, nec Saporem, nec Romanos propriis nominibus usquam appellat, sed involucro figurarum ex Scriptura desumptarum sententiam suam dissimulat, Saporem sub imagine arietis (3), Romanos autem sub imagine quartæ bestiæ visionis Danielicæ (4) exhibens.

*Homiliam* denique omnium ultimam, cui titulus : *De acino*, imprimis exegeticam esse ostendit ipse scriptor, dum initio finem sibi propositum declarat verbis quæ in paragrapho superiore attulimus.

(1) B. O. I, p. 557.
(2) Ita Sassius, ubi supra.
(3) Dan. VIII, 3.
(4) Dan. VII, 7.

### ARTICULUS II.

*Doctrinæ theologicæ Aphraatis examen instituitur.*

Jam age ad doctrinam Aphraatis considerandam propius accedamus. Ut autem et hic ordini atque rerum perspicuitati aliquantulum consulamus, primum præcipua quædam traditionis catholicæ dogmata ab auctore sive per occasionem et obiter memorata, sive studiose et fusiore calamo exposita aut propugnata paucis recolemus; dein nonnulla notabimus, ab eodem vel minus recte, vel manifesto errore prolata.

#### § 1. DE APHRAATE, TRADITIONIS CATHOLICÆ TESTE.

Quo melius pateat quænam sit in paragrapho præsenti nostri instituti ratio, quinam limites, hæc ipso in limine prænotata volumus.

Quoniam omnia Aphraatis scripta unicum, nec prægrandis molis, volumen complectitur, illaque, quoad partem sui haud minimam, in morum argumento versantur, nemini mirum videri debet non universas fidei nostræ veritates in iis contineri, neque proinde posse ex iis absolutum quasi totius theologiæ dogmaticæ compendium conflari. Quare ne aliquid hujusmodi conemur vel alius a nobis exspectet ipsa res monet. Quum insuper scriptor anterior sit majoribus illis hæresibus quæ inde a sæculo IV Ecclesiam vehementius turbavere, neque alias sectas sibi proximas habuerit præter varias Gnosticorum classes et Manichæos, intelligitur cur de his tantum, data occasione, notandis vel impugnandis

sollicitum sese exhibuerit, item cur de nonnullis doctrinæ capitibus, v. g. de divinitate Christi, eo modo loquatur, quem utique disserendo contra Arianos aut alios veritatis adversarios non adhibuisset. Cæterum quæ profert ad rem dogmaticam spectantia, quamvis non ita multis paginis comprehendantur, magno in pretio habenda esse nemo negare potest. Notum enim est et in disciplinis theologicis axiomatis instar, scriptores ecclesiasticos, ubi de quæstionibus ad fidem pertinentibus agitur, eo majori pollere auctoritate quo propius ascendunt ad tempora Apostolorum et christianæ religionis initia : priores videlicet ætate testes cæteris præferendi jure æstimantur, quod primævæ traditionis vox ad eorum aures purior clariorque pervenire debuerit. Jamvero si hanc consideres antiquitatis notam, nullus est, ut antea ostendimus (1), inter Ecclesiæ Syriacæ Patres, qui palmam Sapienti Persæ præripiat. Quominus igitur ipsum audias docentem nihil jam moror.

## I. *Aphraatis doctrina de Deo et de SS. Trinitate.*

Doctrinam de Deo et personis divinis, sicut et alia multa, Aphraates breviter exhibet. Pro conditione ac necessitate temporis sui et regionis in qua degebat, præsertim cognitioni unius Dei uniusque universorum Creatoris insistit. Tunc enim in Perside et provinciis circumjacentibus vigebant serpebantque varia Gnosticorum et sectarum affinium deliramenta, aliis, e quorum numero fuit Valentinus, deorum sive æonum multitudi-

(1) Sup., pag. 70 seqq.

nem fingentibus, aliis, inter quos Marcio et Manes insignem tenuerant locum, veterem Persarum dualismum propugnantibus, universis autem mundi creationem summo Deo abnegantibus. Contra hos omnes in *Homilia I* ita fidei notio circumscribitur, ut credere debeamus in unum Deum qui cuncta fecit regitque, et tam Veteris quam Novi Testamenti auctor est (1). In eos autem qui huic officio desunt sequentia notantur (2) :

ܗܐ ܓܝܪ ܐܦ ܡܩܠܒܢܐ ܠܢܫܐ ܡܐܬܘܬܗ ܕܫܡܝܐ ܘܡܩܢܝܢ ܀
ܘܡܣܓܕܝܢ ܠܡܬܩܢܢܘܬܗܘܢ . ܘܡܪܐ ܐܝܬܝܐ ܠܥܠ ܠܗܘܢ . ܡܛܠ
ܓܝܪ ܕܠܐ ܐܝܬܝܐ ܠܡܦܪܥܗܘܢ ܀ ܘܠܐ ܡܟܪܐ ܚܛܗܐ ܠܥܒܕܝ ܀
ܘܡܛܠ ܠܥܒܕܘܗܝ ܘܡܟܣܐ ܠܡܬܠܠܒܫ : ܕܡܟܪܐ ܕܩܛܝܠܝܢ
ܐܠܝܢ ܠܥܒܕܘܗܝ . ܘܐܡܪ ܕܠܗܐ ܡܡܠܟܢܐ ܠܐ ܐܬܡܠܟ
ܒܥܘܡܪܐ ܀ ܘܬܪܥܝܬܐ ܠܐ ܒܥܒܕܗ . ܘܐܠܐ ܡܛܠ ܕܠܐ
ܦܘܪܥܢܐ ܠܥܒܕܐ ܚܣܝܐ . ܡܬܠܥܒܗ ܕܡܛܠ ܙܕܝܩܐ . ܕܠܡܦܪܥ
ܚܣܝܢܐ ܒܝܘܡܬܐ ܫܩܝܠܬܐ . ܘܥܬܝܕ ܡܬܚܕܬܐ ܘܡܬܠܒܫܐ
ܕܒܥܠ . ܗܐ ܡܢܗܘܢ ܗܠܝܢ ܘܡܢܝܢ . ܘܠܐ ܡܬܚܫܒ
ܘܡܢܗܘܢ ܀

Sicut autem essentiæ divinæ unitatem, ita personarum in Deo Trinitatem Sapiens Persa, etsi per transennam et velut de alia re cogitans, non uno in loco adstruit. In præclaro illo cantico quo supremi Numinis excellen-

(1) Wright., p. ܟܒ : ܗܕܐ ܗܝ ܓܝܪ ܗܝܡܢܘܬܐ ܀ ܡܢ ܐܢܫ ܠܗܝܡܢ
ܒܐܠܗܐ ܡܪܐ ܟܠ . ܕܥܒܕ ܫܡܝܐ ܘܐܪܥܐ ܘܝܡܡܐ ܘܟܠ ܕܐܝܬ
ܒܗܘܢ ܀ ܘܗܘ ܥܒܕ ܐܕܡ ܒܨܠܡܗ ܀ ܘܗܘ ܝܗܒ ܐܘܪܝܬܐ ܠܡܘܫܐ ܀ ܘܗܘ
ܫܕܪ ܡܢ ܪܘܚܗ ܒܢܒܝܐ ܀ ܘܗܘ ܬܘܒ ܫܕܪ ܡܫܝܚܗ ܠܥܠܡܐ .

(2) Ap. Wright., p. ܠܐ . Latinam autem textus Syriaci interpretationem dedimus sup., p. 76.

tiam celebrat, hæc habet (1) : « Ab Adamo ad hanc usque ætatem pauca didicimus. Hoc tantum novimus, unum esse Deum, unum Christum ejus et unum Spiritum, unam fidem et unum Baptisma. » — Et paulo post (2) : « Scias, o homo ignare, Dei voluntate universa portari neque aliquid existere extra hanc voluntatem. Nos autem, qui scimus unum esse Deum, ipsius majestatem laudemus, adoremus, celebremus, extollamus, prædicemus, sanctificemus, glorificemus per Jesum, Filium ejus et Salvatorem nostrum, qui nos Patri elegit et ad Patrem adduxit, cujus opera Patrem novimus, cujus facti sumus adoratores, populus, Ecclesia et congregatio sancta. Gloria et honor Patri, et Filio ejus, et Spiritui ejus vivo sanctoque, ex ore omnium laudatorum cœlestium et terrestrium in sæcula sæculorum! Amen! Amen! — Principium omnium bonorum operum istud coram Deo requiritur, ut credamus unum esse Deum; tum necessarium est ut fidei addamus man-

(1) Wright., p. ܘܨ : ܣܠܩ ܡܢ ܐܕܡ ܘܥܕܡܐ ܐܝܟܢ ܩܠܝܠ. ܒܠܚܘܕ:
ܗܕܐ ܝܕܥܝܢ. ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ. ܘܚܕ ܡܫܝܚܗ. ܘܚܕܐ ܪܘܚܐ. ܘܚܕܐ
ܗܝܡܢܘܬܐ. ܘܚܕܐ ܡܥܡܘܕܝܬܐ.

(2) Ibid., p. ܛܨ seqq.: ܗܘܝܬ ܝܕܥ ܒܪ ܐܢܫܐ ܕܠܐ ܡܣܬܟܠ.
ܕܒܨܒܝܢܗ ܕܐܠܗܐ ܡܫܬܩܠ ܟܠܡܕܡ. ܘܠܝܬ ܡܕܡ ܠܒܪ ܡܢ ܨܒܝܢܗ.
ܚܢܢ ܕܝܢ ܕܝܕܥܝܢ ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ ܠܗ ܘܢܣܓܘܕ ܘܢܗܠܠ ܘܢܪܡܪܡ ܘܢܗܕܪ
ܘܢܩܕܫ ܘܢܫܒܚ ܠܪܒܘܬܗ ܒܝܕ ܝܫܘܥ ܦܪܘܩܢ ܕܐܝܬܘܗܝ ܒܪܗ.
ܕܩܪܒܢ ܠܐܒܘܗ. ܘܒܗ ܡܩܪܒܢ. ܘܗܘܝܢ ܠܗ ܣܓܘܕܐ ܥܡܐ ܘܥܕܬܐ
ܘܟܢܘܫܬܐ ܩܕܝܫܬܐ. ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܠܐܒܐ ܘܠܒܪܗ ܘܠܪܘܚܗ ܚܝܬܐ ܘܩܕܝܫܬܐ.
ܡܢ ܦܘܡܐ ܕܟܠܗܘܢ ܡܫܒܚܢܘܗܝ ܕܠܥܠ ܘܕܠܬܚܬ. ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ
ܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ ✠ ܪܫܐ ܕܟܠܗܘܢ ܥܒ̈ܕܐ ܫܦܝܪ̈ܐ ܗܕܐ ܡܬܒܥܝܐ ܩܕܡ ܐܠܗܐ.
ܕܢܗܝܡܢ ܐܢܫ ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ ܘܟܕ ܗܝܡܢܘܬܐ ܠܒܫܢ ܦܘܩܕ̈ܢܐ. ܘܐܦ

datorum observationem. Si enim confiteatur homo unum esse Deum, sed ejus præcepta negligat et transgrediatur, Dei existentiam non firmiter persuasam habet....... Qui certo credit unum esse Deum, quomodo, postquam per eum juraverit, mentietur? Qui igitur ab illis mandatis recedit Deum evidenter negat...... Item noli per caput tuum jurare, cujus nec unum capillum nigrum vel album reddere potes; ne per caput tuum jurans et mentiens, pudore afficias idem caput tuum, super quod invocatum est nomen Domini tui, dicente Apostolo (1): *Caput viri Christus est.* O qui juras per caput tuum et mentiris, si vera tibi essent tria nomina magna et gloriosa, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quæ super caput tuum memorata sunt, quando vitæ tuæ signaculum accepisti; si verus tibi foret Baptismus, per caput tuum non pejerares. »

Tam perspicua hæc sunt, ut explicatione vix indigeant. Non solum enim unum Deum esse expresse et iteratis vicibus inculcant, verum etiam tres personas distin-

ܠܘܬ ܐܢܫ ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ ܡܘܕܐ ܘܦܘܩܕܢܘܗܝ ܘܠܐ ܢܛܪ ܠܗܘܢ . ܠܐ ܫܪܝܪ
ܠܗ ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ ....... ܡܛܠ ܕܫܪܝܪ ܠܗ ܕܚܕ ܗܘ ܐܠܗܐ ܐܝܟܢܐ
ܡܝܡܐ ܒܗ ܘܡܕܓܠ . ܡܣܒܪ ܕܗܢܘ ܕܥܒܪ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ ܟܦܪ . ܡܓܠܝܐ
ܗܘ ܕܠܐܠܗܐ ܟܦܪ ....... ܘܐܦܠܐ ܒܪܝܫܟ ܬܐܡܐ . ܡܛܠ ܕܠܐ
ܡܫܟܚ ܐܢܬ ܠܡܥܒܕ ܒܗ ܡܢܬܐ ܚܕܐ ܕܣܥܪܐ ܐܘܟܡܬܐ ܐܘ ܚܘܪܬܐ . ܕܠܐ
ܟܕ ܬܐܡܐ ܒܪܝܫܟ ܘܬܟܕܒ . ܡܒܗܬ ܐܢܬ ܠܗ . ܠܪܝܫܟ ܕܥܠܘܗܝ ܫܡܗ
ܕܡܪܟ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܫܠܝܚܐ . ܕܪܫܗ ܕܓܒܪܐ ܡܫܝܚܐ ܗܘ . ܐܘ ܕܝܡܐ ܒܪܝܫܗ
ܘܡܕܓܠ . ܐܢ ܫܪܝܪܝܢ ܠܟ ܬܠܬܐ ܫܡܗܐ ܪܘܪܒܐ ܘܡܫܒܚܐ
ܕܐܬܩܪܝܘ ܥܠܝܟ ܐܡܬܝ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܟܕ ܩܒܠܬ ܪܘܫܡܐ
ܕܚܝܝܟ . ܐܢ ܫܪܝܪܐ ܠܟ ܡܥܡܘܕܝܘܬܐ ܠܐ ܬܐܡܐ ܒܪܝܫܟ .

(1) I Corinth. XI, 3.

guunt, nominibus propriis appellant, demum deitatis perfectam in tribus æqualitatem haud obscure indicant: idem enim omnibus cultus debetur, eadem reverentia; eadem insuper est singularum in hominibus per Sacramenta sanctificandis operatio.

Cæteroquin non desunt peculiaria testimonia, quibus Filii et Spiritus Sancti sive distincta personalitas, sive præsertim divinitas demonstretur. Et ad illum quidem quod attinet, tum sexcenties *Filius Dei* absolute vocatur, dum Deus vicissim eodem modo prædicatur ipsius Pater(1), tum expressius appellatur *Unigenitus Patris* (2), *Unigenitus qui est ex sinu Patris sui* (3) (ܝܚܝܕܝܐ ܕܒܥܘܒܗ ܕܐܒܘܗܝ). Item *unum est*, teste Aphraate, *cum Patre suo* (4), ita ut ubicumque reperitur Pater et ipse existat; *a principio Patri æqualis fuit* (5); antequam formam servi assumeret, *Deus erat et Filius Dei* (6); *sedet nunc a dextris Patris et Spiritum suum ad nos misit* (7); denique *in ipso laudamus ipsam substantiam Patris, qui eum separavit ab essentia sua et ad nos allegavit* (8).

(1) Cfr., v. g., Wright., pp. ܬܫܗ et ܬܫܘ .

(2) Wright., pp. ܬܫܘ et ܬܫܙ .

(3) Ibid., p. ܩܝܗ .

(4) Ibid., pp. ܝ et ܩܝܐ .

(5) Ibid., p. ܩܟ .

(6) Ibid., p. ܩܢܚ :. ܩܕܡ ܐܠܗܐ ܗܘ ܒܪ ܐܠܗܐ . ܕܡܘܬܐ ܕܥܒܕܐ ܢܣܒ .

(7) Ibid., p. ܩܝ seqq.

(8) Wright., p. ܬܫܘ, ita Christum alloquitur auctor : ܫܒܚܝܢ ܠܟ ܠܐܝܬܝܐ ܢܦܫܗ ܕܐܦܪܫܟ ܡܢ ܐܘܣܝܗ . ܘܫܕܪܟ ܠܘܬ ܡܣܟܢܘܬܢ ܕܝܠܢ . ܕܐܬܝܬ ܡܢ ܥܘܒܗ ܕܡܫܕܪܢܟ . ܘܠܒܫܬ ܡܢ ܠܒܫܐ ܕܐܢܫܘܬܢ . ܕܬܚܘܝ ܠܢ ܐܝܟܢܐ ܘܢܫܬܘܕܥ ܠܗ .

Peculiarem conscripsit Sapiens Persa ***Dissertationem de Christo Dei Filio***. In qua, licet ad hominem, ut aiunt, contra Judæos arguat, ideoque non tam de ipsa re agat quam de modo loquendi, dogma tamen divinitatis Christi Domini apertissimo testimonio roborat. Ita enim suum in componenda ***Homilia*** consilium initio aperit (1) : « Responsio adversus Judæos, qui populo ex gentibus congregato hunc in modum conviciantur : « Colitis vos et adoratis hominem ex hominibus genitum atque crucifixum; hominem vocatis Deum, cumque nemo sit filius Dei, talem esse perhibetis Jesum illum cruci affixum. » Quæ sic persuadere conantur : « Deus dixit (2) : *Ego sum Deus*, ***neque ullus est alius præter me***. Et alibi (3) prohibet ***ne alienum numen adoremus***. Ergo, aiunt, in Deum rebelles estis, qui Dei nomen homini attribuitis. » — De his igitur, carissime, quoad potero et imbecillitas mea sufficiet, te instruam; ostendamque tibi, etiamsi illis obtrectatoribus dederimus Christum merum hominem esse, dum tamen eum colimus et Deum ac Dominum vocamus, non alio nomine eum a nobis nuncupari quam quod ipsi adhiberent. Verum enimvero certum nobis est Jesum, Dominum nostrum, Deum esse et Dei Filium, Regem et Filium Regis, Lumen de Lumine, Filium et Consiliarium, Ducem et Viam, Salvatorem atque Pastorem, Congregatorem, Portam, Margaritam et Lucernam; plurimisque hujusmodi nominibus appellatur. »

Nihil profecto hisce luculentius de Christi divinitate desiderari potest, convincentius nihil. Iis autem simul continetur solutio difficultatis quæ ex generali ejusdem

(1) Wright., pp. ܫܠܓ et ܫܠܛ.
(2) *Deuteron*. XXXII, 39.
(3) *Exod*. XXXIV, 14.

*Homiliæ* tenore et disserendi modo sic proponi posset : Aphraates, ut impactum Christianis idololatriæ crimen repellat, non affert nisi exempla variorum hominum qui propter dignitatis sive muneris excellentiam passim in Scripturis dii vocantur, aut dicuntur filii Dei, utique adoptione, non natura, vel quibus adoratio mere civilis a viris etiam sanctissimis exhibita est; a pari igitur Christus dicendus est filius Dei adoptivus; ei non latriæ, quæ Summo Numini propria est, sed inferioris rationis cultus debetur.

Quantumvis hæc fucum faciant et obscuritatem ei qui res minus diligenter considerat, nemini tamen, puto, facile persuadebuntur. Si enim conclusio ista recte sese haberet, jam auctor, qui in ipso *Dissertationis* exordio divinam Christi Domini naturam aperte professus est, in sequentibus non minus aperte sibi contradiceret.

Nihilominus non negamus quæ de modo argumentandi Aphraatis asserta sunt; verum is, quo utitur, processus sufficienter explicatur, si scribentis scopum præ oculis habeas. Nihil scilicet intenditur aliud quam Judæorum confutatio. Isti porro, pro nimia sua ad externa et cærimonialia propensione, de internis fidelium sensibus vix solliciti, inquisitione de vera Christi natura et dignitate fere posthabita, litem directe movebant de nominibus eidem inditis et de adorationis ipsi exhibitæ vocabulo; cultus ejus, qualis apud Christianos institui consueverat, modum, expressiones, varia demum signa ad trutinam vocabant, hæc criminabantur, propter hæc blasphemiam conclamabant et idololatriam. Ejusmodi accusationibus duplici via responderi poterat : vel demonstrando Christum vero et proprio sensu, seu natura, esse Dei Filium, ac proin latreutico cultu hono-

randum, vel ostendendo illa *Filii Dei* et *adorationis* vocabula, quocumque tandem sensu de Christo usurpentur, aliaque venerationis religiosæ indicia minime esse aliena a Scripturæ loquendi ratione et ipsorum Judæorum moribus.

Prior responsio, uti profundior, ita etiam longior erat, nec ullo modo necessaria hominibus qui in re religiosa signorum et demonstrationum magis quam eorumdem significationis rationem habere videbantur; alteram igitur, utpote faciliorem et expeditiorem, præelegit Sapiens Persa. Quod ipse diserte declarat (1) : « Etiamsi, ait, obtrectatoribus dederimus Christum merum hominem esse, dum tamen eum colimus ac Deum et Dominum vocamus, non aliud ei tribuimus nomen quam quo ipsi uterentur. Verum enimvero certum nobis est Jesum, Dominum nostrum, Deum esse et Dei Filium, Regem et Filium Regis, Lumen de Lumine... Sed hæc relinquamus, et demonstremus (sane argumentatione ad hominem, ut patet ex contexta oratione) Christum esse Dei Filium et Deum, quia a Deo venit. Gloriosum enim deitatis nomen etiam hominibus justis attributum fuit, dignique habiti sunt qui hac appellatione donarentur.... » Itaque constat scriptori nostro

(1) Wright., p. ܫܠܗ seq.: ܐܦ ܗܢ ܠܘܬ ܠܗܘܢ ܕܒܪ ܐܢܫܐ ܗܘ . ܘܟܕ ܡܝܩܪܝܢܢܗ ܘܩܪܝܢܢܗ ܠܗ ܐܠܗܐ ܘܡܪܝܐ . ܠܐ ܗܘܐ ܠܢܘܟܪܝܐ ܩܪܝܢܝܗܝ . ܘܠܐ ܗܘܐ ܫܡܐ ܠܢܘܟܪܝܐ ܫܡܝܢ ܠܗ . ܐܝܟܢܐ ܕܗܢܘܢ ܠܐ ܐܫܬܡܫܘ ܒܗ . ܒܪܡ ܕܝܢ ܫܪܝܪ ܠܢ . ܕܝܫܘܥ ܡܪܢ ܐܠܗܐ ܗܘ ܒܪ ܐܠܗܐ . ܘܡܠܟܐ ܒܪ ܡܠܟܐ . ܢܘܗܪܐ ܡܢ ܢܘܗܪܐ ...... ܢܫܒܘܩ ܕܝܢ ܗܠܝܢ . ܘܢܚܘܐ ܠܠܗܘܢ ܕܒܪܐ ܗܘ ܕܐܠܗܐ . ܘܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܐܬܐ . ܫܡܐ ܓܝܪ ܡܝܩܪܐ ܕܐܠܗܘܬܐ . ܐܦ ܥܠ ܒ̈ܢܝ ܐܢܫܐ ܙܕ̈ܝܩܐ ܐܬܝܗܒ . ܘܫܘܘ ܕܢܬܩܪܘܢ ܒܗ .

firmiter persuasum fuisse dogma de Christo, Dei Filio, Patri consubstantiali; quoniam tamen, ut ipse notat, hac veritate seposita, refelli poterant Judæi, de eadem nonnisi per transennam mentionem facit. Quid plura? Quæstio non tam doctrinalis ipsum inter et adversarios agitabatur, quam verbalis et cærimonialis. Aliter utique contra Arianos similesve hæreticos ratiocinationem instituere debuisset, sed de Judæis solis sese cogitare iterum indicat, dum disputationem suam his claudit verbis (1) : « Brevem hunc *Tractatum* ad te conscripsi, amice mi, ut respondere possis Judæis qui dicunt Jesum non esse Filium Dei, nobis contra eumdem vocantibus Deum et Dei Filium, Regem et Primogenitum omnium creaturarum. »

Hæc disserendi methodus aliquatenus insuper illustrari posset exemplo Christi Domini, qui et ipse de eodem argumento adversus obtrectatores suos modo non absimili disceptat. Cum enim, teste Evangelista Joanne, ipsum blasphemiæ insimularent et lapidare vellent Judæi (2) eo quod se Filium Dei et Deum esse prædicaret, ut furentium placaret animos, ex verbis ps. LXXI, 6, quibus Dei nomen ad judices transfertur, ostendit quam immerito sibi, quasi infandi sceleris reo, illi irascerentur. *Nonne*, inquit, *scriptum est in lege vestra : Quia ego dixi : Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum* (3). Quemadmodum ergo Christus, hisce in adjunctis ad-

(1) Wright., p. [illegible] .
(2) Joan. X, 31 seqq.
(3) Ibid., vv. 34-36.

vertens etiam homines in Scriptura deos nuncupatos esse, haud tamen negavit se esse Deum sensu excellentiore, Filium Dei unigenitum et Patri consubstantialem, nihilque eorum retractavit quæ ad id suadendum eosdem auditores antea docuerat, imo id ipsum ex iis quæ fecerat confirmavit, ut, si verbis suis fidem minus haberent, operibus certe crederent; ita Aphraates hic exponit quanta injuria Judæi commoverentur in Christianos, Jesu Nazareno ea nomina adscribentes, quæ in Divinis Littèris hominibus data fuisse constat; simul autem ne hinc quidam, veritatum fidei rudiores, inferrent Christum Dominum eodem sensu ac illos alios viros, sanctitate vel auctoritate præcellentes, Dei Filium ac Deum appellari, non uno in loco affirmat Christum esse *Deum de Deo, Lumen de Lumine*..., ac proinde vocabula quæ reprehendebantur ei multo potiori jure et strictissima verborum proprietate convenire.

Neque novam vel inauditam esse hanc Aphraatis interpretationem, imo ab initio eam receptam fuisse inde nobis colligi posse videtur, quod apud Gennadium istius *Homiliæ* inscriptionem ita propositam habeas (1) : *De Christo, quod Filius Dei sit et consubstantialis Patri*.

Spiritus Sanctus, quem supra vidimus Patri et Filio in forma Baptismi ac consequenter in hominum sanctificatione, sicut in cultus latriæ consortio, adjungi, iterum verus Deus implicite prædicatur, dum exhibetur ut inspirator Prophetarum, in quos a Patre mittitur. Christus Dominus, ait Sapiens Persa (2), « hæc nobis inculcavit (3) : *Cum adducent vos ad potestates, ad magistratus*

(1) Vid. sup., p. 149.

(2) Wright., pp. ܠܟܗ et ܠܟܘ .

(3) Luc. XII, 11, 12, item XXI, 12-15; Matth. X, 18-20; Marc. XIII, 11.

***et ad reges quibus subditur mundus, nolite præmeditari quid dicturi sitis aut quam defensionem allaturi : ego dabo vobis sermonem et sapientiam, ita ut vobis prævalere nequeant inimici vestri; non enim loquemini vos, sed Spiritus Patris vestri loquetur in vobis.*** Ille ipse Spiritus est, qui per os Jacobi cum hujus persecutore, Esavo, sermonem habuit; Spiritus sapientiæ, qui per os Josephi, vexationes perpessi, Pharaonem coram allocutus est; Spiritus, qui verba fecit per os Moysis occasione omnium prodigiorum quæ hic in Ægypto patravit; Spiritus scientiæ, qui datus est Josuæ, Nuni filio, quando, manibus huic a Moyse impositis, in ejus conspectu evanuerunt atque dissipatæ sunt gentes quæ ipsum opprimebant; Spiritus, qui per os Davidis, vexationibus obnoxii, canebat, ad Saulem, ipsius Davidis persecutorem, a spiritu malo liberandum atque recreandum; Spiritus, quo indutus Elias Jesabelem et Achabum, oppressorem suum, redarguit; Spiritus, qui in Elisæo vaticinatus est et per quem propheta regi qui se vexabat prædixit eventum postridie futurum; Spiritus, qui in verba erupit per os Michææ, Achabum, persecutorem suum, reprehendentis, eumque sic compellantis (1) : ***Si unquam reversus fueris, non est locutus in me Dominus;*** Spiritus, quo roborante Jeremias audacter stetit coram Sedecia, eumque corripuit; Spiritus, qui Danielem et fratres ejus in regione Babylonica incolumes servavit; Spiritus denique, qui Mardochæo et Estheri in loco captivitatis salutem attulit. »

Alia etiam opera divinitatis propria ab Aphraate Spiritui Sancto speciatim adscribuntur : gratiam, ex. c.,

(1) III *Regum* XXII, 28.

justitiamque largiri dicitur, easdemque ab ipso obtinere debemus (1); Scripturarum inspiratio ei attribuitur auctori, idque ita ut ex contexta quoque oratione pateat nullam poni distinctionem Deum inter et Spiritum Sanctum. Huc pertinent quæ in *Homilia XXII* occurrunt de modo legendi Scripturam indeque fructum hauriendi (2) : « Quicumque, ait Sapiens Persa, Scripturas Sacras priores et posteriores, libros scilicet utriusque fœderis, cum docilitate legit, scientiam acquirit et alios docere potest. Si vero litem moveat contra rem quam non intelligit, mens ejus disciplinam non suscipit. Dum igitur reperit effata sibi difficiliora, quorum vim non assequitur, dicat : Quæ scripta sunt recte scripta sunt; ast horum sensum ego perspicere nequeo. Quod si de locis sibi obscurioribus interroget viros sapientes et prudentes qui in doctrinam inquirere solent et decem interpretes periti decem alicujus effati sensus proposuerint, quod placuerit amplectatur. Si (3) quod responsum non placeat, ne interpretes irrideat; *verbum enim Dei* simile est gemmæ, cujus facies quæcumque pulchra versanti apparet. Cæterum, o doctrinæ amator, memor esto eorum quæ dixit David (4) : *Præ omnibus præcepto-*

(1) Wright, p. ܦܚ : ܡܬܠܘܗܝ ܕܢܬܠ. ܕܩܘܕܫܐ ܠܪܘܚܗ ܢܣܒ ܢܣܒܘܬܐ.

(2) Ibid, pp. ܬܡܐ et ܬܡܒ.

(3) Quæ sequuntur, syriace ita se habent (*loc. cit.*) : ܘܐܢ ܒܣܡܐ ܠܗ
ܠܐ ܢܡܚܟ ܒܡܦܫܩܢܐ. ܡܛܠ ܕܡܠܬܗ ܕܐܠܗܐ ܠܡܪܓܢܝܬܐ ܕܡܝܐ. ܕܠܟܠ
ܐܦܝ̈ܗ ܕܡܬܗܦܟܐ ܫܦܝܪܐ ܡܬܚܙܝܐ ܐܝܟ ܠܗ. ܡܕܝܢ ܐܘ ܪܚܡܐ ܕܝܘܠܦܢܐ ܕܟܝܪ.
ܕܡܢ ܟܠܗܘܢ ܡ̈ܠܦܢܝ ܣܟܠܬ. ܘܡܠܬܟ ܐܡܪ. ܕܗܠܝܢ ܟܠܗܘܢ ܕܪܘܫܐ

(4) *Ps.* CXVIII, 99.

***ribus meis didici***, necnon moniti Apostoli (1) : ***Omnem Scripturam quæ per Spiritum Dei est lege; omnia examina, quod bonum est tene, quodcumque malum est devita.*** Etiamsi enim multiplicarentur dies hominis sicut omnes dies mundi, qui ab Adamo ad finem usque temporum præterlabentur, sedensque meditaretur de Sacris Scripturis, vim omnem verborum ac profunditatem non comprehenderet : neque enim ***sapientiæ Dei*** homo unquam par esse poterit. »

Porro Spiritum Sanctum ex Aphraatis sententia a Patre et a Filio procedere nonnulla indicia manifestant. De processione a Patre notare satis fuerit, eam evidenter supponi ubi asseritur Spiritus S. a Deo mitti. Item processio a Filio nullibi quidem explicite, sed toties implicite affirmatur, quoties ille Spiritus vocatur Spiritus Christi; quæ appellatio in *Homiliæ VI* § 11 seqq. frequentissime occurrit. Exemplo sint quæ sequuntur (2) : « Beatus Apostolus testatur (3), Deum largitum esse Spiritum Christi sui et in prophetas misisse. Neque Christus inde aliquid detrimenti passus est, quia non ad mensuram aliquam dedit ei Pater Spiritum. His perpensis, in animum inducere poteris Christum in hominibus fidelibus habitare nec, quamvis plurimi ipsius

ܗܘ ܕܛܒܐ ܗܘܝܘ ܐܚܘܕ . ܘܟܠ ܡܕܡ ܕܒܝܫ . ܘܡܢܗ ܥܪܘܩ . ܘܐܦܢ ܢܣܓ
ܘܢ ܝܘܡܘܗܝ ܕܒܪܢܫܐ . ܐܝܟ ܟܠܗܘܢ ܝܘܡܬܗ ܕܥܠܡܐ ܡܢ ܐܕܡ ܠܡܫܠܡܗ
ܕܥܠܡܐ ܘܢܬܒ ܢܬܗܓܐ ܒܟܬܒܐ ܩܕܝܫܐ . ܠܐ ܡܕܪܟ ܚܝܠܐ ܕܣܘܟܠܐ ܕܡ̈ܠܐ
ܘܥܘܡܩܐ . ܡܛܠ ܕܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܫ . ܡܛܠ ܡܫܘܚܬܗ ܕܚܟܡܬܗ ܕܐܠܗܐ
ܐܢܫ ܠܐ ܡܫܟܚ ܕܢܫܘܐ .

(1) Cfr. I Tim., IV, 13; II Tim. III, 16; I Thessal. V, 21, 22.

(2) Wright., p. ܩܝܚ .

(3) Cfr. I Corinth., XII, et Ephes. IV, 11.

participes reddantur, ullum experiri damnum. Spiritum namque Christi acceperunt prophetæ, prout quisque portare poterat; idemque Christi Spiritus hodie in omnem carnem effusus est, et prophetant pueri puellæque, senes et juvenes, servi et ancillæ. In nos autem a Christo advenit, et Christus in cœlis a dextris Patris sui est. »

Quæ contra doctrinam de Christo et Spiritu Sancto hucusque relatam objici forsan possent ex modo quo utriusque in viris sanctis et piis commoratio passim prædicatur, postea (1), opportuniorem nacti occasionem, explicare conabimur.

## II. *Aphraatis doctrina de creatione.*

Creationem mundi substantialem aperte docet Sapiens Persa. Non solum enim inculcat, quod supra (2) audivimus, fidem necessario habendam in unum Deum, qui fecit cœlum, terram et omnia quæ in eis sunt, ac proin prima etiam universarum rerum elementa, verum consideratione perfectionum atque majestatis Summi illius Opificis in admirationem raptus, ita exclamat (3) : « Adoramus te, substantia ipsius (Dei), quæ nos ex nihilo creasti, quæ finxisti nos ad imaginem et similitudinem tuam, quæ vitæ halitum nobis inspirasti et nos incolas in medio mundo coram te constitutos reliquisti.

(1) Ubi expendemus Aphraatis doctrinam de justificatione et de anima.

(2) Pag. 229, not. 1.

(3) Wright., p. ܪܠܙ seq.: ܣܓܕܝܢܢ ܠܟ ܐܝܬܘܬܐ ܕܐܠܗܘܬܗ . ܕܒܪܝܬܢ ܡܢ ܠܐ ܡܕܡ . ܘܓܒܠܬܢ ܒܨܘܪܬܐ ܕܕܡܘܬܟ . ܘܢܦܫܐ ܒܢ ܢܦܚܬ ܕܚܝܐ . ܘܫܒܩܬܢ ܒܓܘ ܥܠܡܐ ܥܡܘܖ̈ܐ ܩܕܡܝܟ . ܐܬܩܢܬ ܗܘ ܐܘܪܚܟ

In manibus tuis mors nostra et vita nostra. Quid sunt homines in conspectu tuo? — Sicut vapor qui ex olla ascendit; sicut stipula quam aufert tempestas; sicut umbra vespertina; sicut nubes matutina aut palea quæ præterfugit, vel flos qui calore marcescit. Si velis, sumus, et nisi velis, non sumus. Si terram respicias, commovetur; et si avertas faciem tuam, incolæ ejus dispereunt. Voluntas tua omnes creaturas tuas sustinet; quæcumque sunt auctoritate tua diriguntur. Te jubente sol oritur, te volente totum circuit mundum. Miro modo mutatur luna, quam ad discrimen temporum posuisti. Luminaria in firmamento ordinasti, et universum orbem exornant. Ad arbitrium tuum venti flant, vim suam identidem manifestant, exagitant mare, montes commovent; te præcipiente creaturas tuas recreant. Natant volucres in aere, per semitas ætherias non secus ac per viam tritam volitant; pisciumque maris similis est mos. Pisces si ad auras ascendant, moriuntur, et avis in

ܘܚܝܝܢ . ܡܢܐ ܐܢܘܢ ܒܢ̈ܝ ܐܢܫܐ ܩܕܡܝܟ . ܐܝܟ ܠܗܓܐ ܕܣܠܩ ܡܢ ܩܕܪܐ .
ܘܐܝܟ ܥܘܪܐ ܕܫܩܠܐ ܠܥܠܥܠܐ . ܘܐܝܟ ܛܠܠܐ ܕܪܡܫܐ . ܘܐܝܟ ܥܢܢܐ ܕܨܦܪܐ . ܘܐܝܟ
ܥܘܪܐ ܕܥܒܪ . ܘܐܝܟ ܗܒܒܐ ܕܫܘܒܐ . ܐܢ ܨܒܝܬ ܐܝܬܝܢ . ܘܐܠܐ ܨܒܝܬ ܠܐ ܐܝܬܝܢ .
ܐܢ ܬܚܘܪ ܒܐܪܥܐ ܙܝܥܐ . ܘܐܢ ܬܗܦܘܟ ܐܦܝܟ ܫܠܡܝܢ ܥܡܘܪ̈ܝܗ . ܨܒܝܢܟ ܡܣܝܒܪ
ܠܟܠ ܒܪ̈ܝܬܟ . ܘܡܫܬܥܒܕܢ ܠܫܘܠܛܢܟ ܟܠܗܝܢ ܒܪ̈ܝܬܐ . ܕܢܚ ܫܡܫܐ
ܒܦܘܩܕܢܟ . ܘܡܬܟܪܟ ܒܨܒܝܢܟ ܒܥܠܡܐ ܟܠܗ . ܡܫܬܚܠܦ ܣܗܪܐ
ܒܬܕܡܘܪܬܐ . ܘܫܡܬܝܗ ܠܦܘܪܫܢܐ ܕܙܒ̈ܢܐ . ܢܗܝܪ̈ܐ ܒܪܩܝܥܐ
ܘܡܨܒܬܝܢ ܠܥܠܡܐ ܟܠܗ . ܢܫܒܢ ܪ̈ܘܚܐ ܒܨܒܝܢܟ . ܘܡܚܘܝܢ ܚܝܠܗܝܢ
ܡܫܓܫܝܢ ܝܡܐ . ܘܡܙܝܥܝܢ ܠܛܘܪ̈ܐ . ܒܦܘܩܕܢܟ ܡܢܝܚܝܢ
ܠܒܪ̈ܝܬܟ . ܦܪ̈ܚܬܐ ܦܪܚܢ ܒܐܐܪ . ܘܡܗܠܟܢ ܒܫ̈ܒܝܠܐ ܐܝܟ
ܕܒܐܘܪܚܐ ܕܒܫܝܠܐ . ܘܗܟܢܐ ܐܦ ܢܘ̈ܢܐ ܕܝܡܐ . ܢ̈ܘܢܐ ܐܢ ܣܠܩܝܢ ܠܐܐܪ
ܡܝܬܝܢ . ܘܐܦ ܦܪܚܬܐ ܐܢ ܢܚܬܐ ܠܝܡܐ . ܢ̈ܘܢܐ ܚܝܝܢ ܒܡܝ̈ܐ ܘܦܪ̈ܚܬܐ ܒܐܐܪ .

mare delapsa suffocatur. Quod est, quod fuit, tuum est, et a te distinctæ sunt omnes rerum naturæ. Glorificamus te, qui gloria indutus es; laudamus te, qui nullius rei indiges; ab imo loco in quo jacemus exaltamus te, qui domicilium in summo cœlo collocasti. Voluntas tua supra cœlum adimpletur, jussio tua infra terram viget valetque. Opus manuum nostrarum non es, neque ut te fingerent laboraverunt digiti nostri. In cordibus nostris te formavimus, similitudinem tuam in animabus nostris expressimus. Te mentes nostræ cognoverunt, et nominavimus te Deum. Appellavimus te Patrem, quoniam genuisti nos, et regem Deumque, quia tu vocasti (juxta Cod. A., creasti) nos. » In his dogma creationis duplici modo asseveratur : primum quidem expressa illa et accurata locutione, qua res universæ *creatæ* dicuntur *ex nihilo* ܡܢ ܠܐ ܡܕܡ (1); dein etiam implicite, dum scilicet affirmatur omnia quæ sunt a Deo regi et sustineri seu conservari, ita ut, cessante divino influxu, statim esse desinerent : si enim mundus absque jugi Dei conservatione minime perduraret, sine divina operatione utique non potuisset incipere.

ܡܥܪܩܬܐ ܡܢ ܢܦܠ ܒܝܡܐ ܡܬܚܢܩܐ . ܕܝܠܟ ܗܘ ܕܗܘܐ ܘܗܘܐ . ܘܡܢܟ
ܐܬܦܪܫܘ ܟܝܢܝܗܘܢ ܕܨܒ̈ܘܬܐ . ܡܫܒܚܝܢ ܠܟ ܕܒܫܘܒܚܐ ܠܒܝܫܬ .
ܡܘܕܝܢܢ ܠܟ ܕܡܕܡ ܠܐ ܣܢܝܩ ܐܢܬ . ܡܪܘܡܡܝܢܢ ܠܟ ܡܢ ܬܚܬܝܬܐ
ܥܡܩ̈ܐ . ܘܕܝܠܟ ܡܥܡܪܟ ܒܪ̈ܘܡܝ ܫܡܝܐ . ܨܒܝܢܟ ܠܥܠ ܡܢ ܫܡܝܐ .
ܘܡܫܬܟܚ ܠܬܚܬ ܡܢ ܐܪܥܐ . ܠܐ ܥܒܕ ܐܝܕܝܢ . ܘܠܐ ܠܐܝ ܒܟ ܨܒ̈ܥܬܢ .
ܨܪܢܟ ܒܠܒܢ ܘܕܡܘܬܟ ܒܢܦܫܬܢ . ܚܬܡܢ ܡܕܥܝܢ . ܘܩܪܝܢܟ ܐܠܗܐ .
ܫܡܝܢܟ ܐܒܐ . ܡܛܠ ܕܐܘܠܕܬܢ . ܘܡܠܟܐ ܘܐܠܗܐ ܡܛܠ ܕܐܢܬ ܩܪܝܬܢ .
(in Cod. A : ܡܛܠ ܕܐܢܬ ܗܘ ܒܪܝܬܢ) .

(1) Patet Syriacam hanc locutionem Patrum Græcorum formulis : ἐκ μὴ ὄντος, ἐξ οὐκ ὄντος, ita consonare, ut verbum verbo reddat.

De modo quo Deus in rerum universitate creanda sese gesserit, præsertim vero de *fine cui secundario* in quem opus suum direxerit, hæc exscribere juvat, quibus explicat auctor cur omnes homines sint et dicantur filii Dei (1) : « Nosti, charissime, creaturas omnes cœlestes et terrestres prius productas esse, et postremo loco hominem. Cum enim statuit Deus mundum et omnia ejus ornamenta creare, primum in cogitatione sua concepit effinxitque hominem; tum, homine in cogitatione sua concepto, concepit et cæteras creaturas, dicente Scriptura (2) : *Antequam montes conciperentur et terra frugifera esset.* Adamus enim quoad conceptionem senior priorque est aliis creaturis, quæ vicissim ante illum in lucem editæ sunt. Conceptus erat Adamus atque in cogitatione divina existebat; dum autem in ea contineretur, verbo oris sui produxit Deus universas creaturas, mundoque perfecto atque exornato, ita ut nihil ei deesset, Adamum ex idea sua genuit; hominem manibus suis formavit, ejus oculis mundum conditum obtulit, eum omnibus operibus suis præfecit. Si vir aliquis habeat filium, cui nuptias parare velit, puellam ei desponsat, domum ipsi ædificat, omnia disponit et adornat, quæ juveni necessaria sunt; dein convivium nuptiale celebrat, filiumque domui præficit. Eodem modo Deus hominem, quem conceperat, in lucem edidit, eumque universis præposuit creaturis, de qua re dixit propheta (3) : *Domine, habitaculum fuisti nobis per*

(1) Wright., p. ܪܟܘ seqq.
(2) *Ps.* LXXXIX, 2.
(3) *Ps.* LXXXIX, 1 et 2. — Notandum autem versic. 2, qualis apud Aphraatem legitur : ܥܕܠܐ ܢܬܒܛܢܘܢ ܛܘܪܐ . ܘܥܕܠܐ ܬܬܒܣܡ ܐܪܥܐ . ܘܥܕܠܐ

*omnes ætates*; *antequam conciperentur montes*, *antequam terra frugifera esset et orbis conderetur*, *ab æternitate et in æternum tu es Dominus*. Ne quis putaret alium antea fuisse vel alium postea futurum esse Deum, hæc posuit sacer vatès : *Ab æternitate et in æternum*. Et in eumdem sensum Isaias (1) : *Primus et novissimus ego sum*. Porro postquam Deus Adamum ex idea sua genuit, ipsum formavit, spiritum suum ei insufflavit, deditque scientiam et facultatem bonum a malo discernendi atque Deum agnoscendi tanquam Auctorem suum. Quoniam autem novit homo Factorem suum, depictus est Deus et formatus in mente ejus, fuitque ille templum Dei, Creatoris sui, prout scriptum est (2) : *Templum Dei estis*, *ipseque Deus dicit* : *Habitabo in illis et inter eos ambulabo*. In hominibus tamen qui Creatorem suum ignorant non formatur vel habitat Deus, neque in eorum mente concipitur, sed perinde ac bruta cæteræque creaturæ ratione destitutæ ab eo æstimantur.

III. *Aphraatis doctrina de Incarnationis mysterio*.

Doctrinam de Incarnatione Verbi et de duabus naturis in Christo Domino unitis Aphraates passim attingit, parcius tamen, neque eo verborum rigore qui demum post exortas vehementes de his materiis controversias

ܬܬܩܢ ܬܒܝܠ . ܘܡܢ . ad amussim quidem cum versione Simplici consentire, differre vero a Vulgata Latina : *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis*, quæ et ipsa a textu primigenio aliquantum discedit. Hic namque sic tibi prostat : בְּטֶרֶם הָרִים יֻלָּדוּ וַתְּחוֹלֵל אֶרֶץ וְתֵבֵל, h. e., « priusquam montes nascerentur et formares terram et orbem. »

(1) Is. XLI, 4.

(2) II Corinth., VI, 16.

a scriptoribus catholicis invectus et communi Ecclesiæ usu sancitus fuit. De divina quidem Salvatoris natura satis antea dictum est. Ad humanam quod attinet, non minus perspicua sunt auctoris nostri testimonia; nec alienum forsan fuerit ab ejus scopo refellere Gnosticos, qui Christo Domino nonnisi corpus apparens seu phantasticum tribuebant. Deus, ait, « misit Christum tanquam hominem, ut diabolus et exercitus ejus pudore afficerentur et a nobis expelleretur vis debitrix (1); » — « Vivificator ac Dominus noster Jesus Christus venit, nostram induit humanitatem, passus est et tentatus in corpore quod a nobis accepit, ideoque eos qui tentantur adjuvare potest (2); » — Dei Filius « pignus a nobis, » h. e., « corpus ex Maria (genitum), assumpsit (3); » — « induit corpus ex limo (formatum) et traxit ad naturam suam (4); » — « unus dumtaxat innocens est inter natos qui corpus induerunt, scilicet Dominus noster Jesus Christus (5). » — « Egressus est (6) rex e loco suo, ut medelam nobis afferret, versatusque est in viis corporis infirmi, per nativitatem, sicut nos, per contemptum,

(1) Wright., p. ܩܦܓ : ܫܕܪ ܠܡܫܝܚܐ ܐܝܟ ܒܪ ܐܢܫܐ ܕܢܒܗܬ ܒܗ
ܣܛܢܐ ܘܚܝܠܘܗܝ . ܘܢܬܦܪܥ ܡܢ ܠܘܬܢ ܚܝܠܐ ܚܝܒܐ .

(2) Wright., p. ܢܗ : ܡܚܝܢܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ . . . . ܐܬܐ ܘܠܒܫ
ܠܐܢܫܘܬܢ . ܚܫ ܘܐܬܢܣܝ ܒܦܓܪܐ ܕܢܣܒ ܡܢܢ . ܘܡܫܟܚ ܕܢܥܕܪ
ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܬܢܣܝܢ .

(3) Wright., p. ܩܦܓ, linn. 7 et 15.

(4) Wright., p. ܩܦܓ : . ܠܒܫ ܦܓܪܐ ܕܡܢ ܥܦܪܐ ܘܢܓܕܗ ܠܟܝܢܗ .

(5) Ibid., p. ܡܚܝ : ܚܕ ܙܟܝ ܗܘ ܒܝܠܘܕܐ . ܡܢ ܝ̈ܠܝܕܐ ܕܠܒܫܘ
ܦܓܪܐ . ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ .

(6) Wright., p. ܩܦܓ : . ܢܦܩ ܡܠܟܐ ܡܢ ܐܬܪܗ ܠܡܐܣܘܬܐ ܕܐܣܝܘܬܢ
ܘܐܬܕܒܪ ܒܐܘܪ̈ܚܬܐ ܕܦܓܪܐ ܡܚܝܠܐ ܒܡܘܠܕܐ ܐܝܟܢ . ܘܒܫܘܚܪܐ ܠܘܬ ܡܠܟ .

magis quam nos..... Quando venit, arrhabonem a nobis accepit et abiit ad locum suum. Quare dixit nobis (1) : *Vos in me et ego in nobis*; itemque Apostolus (2) : *Evexit nos et cum eo in cœlis considere fecit*. Principium resurrectionis nostræ corpus quod induit a nobis (assumptum). Hoc a servitute liberavit et ad se elevavit, confirmavitque nobis promissiones suas, nos scilicet cum ipso futuros. Aperte enim dixit (3) : *Ubi ego sum, et vos eritis*. Itaque lætemur propter pignus quod a nobis abductum est et cum rege glorioso in gloria sedet. » — « Utilitatis nostræ causa (4) factum est ut Salvator noster, » cum preces in horto Gethsemani funderet, « non exaudiretur : necessarium quippe erat eum mori, ut qui nos victuros promiserat pignore dato confirmaret se mortuum esse, perinde ac nos morimur, se mortem interfecisse, resurrexisse ac nos suscitaturum. Si enim, quum mortem deprecaretur, ipse, qui corpore indutus

.......... ܘܟܕ ܐܬܐ ܢܣܒ ܡܢܢ ܪܗܒܘܢܐ ܘܐܙܠ ܠܐܬܪܗ. ܘܐܡܪ ܠܢ ܕܐܢܬܘܢ ܒܝ ܐܢܬܘܢ . ܘܐܢܐ ܒܟܘܢ ܐܢܐ . ܘܫܠܝܚܐ ܐܡܪ . ܕܐܩܝܡ ܘܐܘܬܒܢ ܥܡܗ ܒܫܡܝܐ . ܪܫܐ ܕܩܝܡܬܢ ܦܓܪܐ ܕܠܒܫ ܡܢܢ . ܚܪܪܗ ܡܢ ܥܒܕܘܬܐ ܘܐܠܗ ܠܘܬܗ . ܘܫܪܪ ܠܢ ܡܘܠܟܢܘܗܝ ܕܥܡܗ ܢܗܘܐ . ܒܓܠܝܐܝܬ ܐܡܪ ܕܐܝܟܐ ܕܐܢܐ ܐܦ ܐܢܬܘܢ ܬܗܘܘܢ . ܡܟܝܠ ܢܚܕܐ ܒܡܫܟܢܐ ܕܕܒܝܪ ܡܢܢ . ܘܝܬܒ ܒܫܘܒܚܐ ܥܡ ܡܠܟܐ ܡܫܒܚܐ .

(1) Ioan. XIV, 20.
(2) Ephes. II, 6.
(3) Joan. XIV, 3.
(4) Wright., p. ܬܢܢ : ܕܠܐ ܗܘܐ . ܦܪܘܩܢ ܠܐ ܐܫܬܡܥ ܕܝܠܢ ܠܬܘܪܓܡܐ ܠܗ ܕܢܡܘܬ . ܕܢܫܪܪ ܠܢ ܪܗܒܘܢܐ ܕܡܝܬ ܐܦܠܢ . ܘܩܛܠܗ ܠܡܘܬܐ ܘܩܡ ܘܐܩܝܡܢ . ܘܡܛܠ ܠܢ ܕܢܚܐ . ܟܠܗ ܓܝܪ ܐܫܬܡܥ ܡܢ ܐܫܬܐܠ ܡܢ ܡܘܬܐ . ܗܘ ܦܓܪܐ ܠܒܝܫ ܗܘܐ . ܠܢ ܠܡܫܬܐܠܘ ܡܛܠ ܡܢܢ

erat, exauditus fuisset, ecquis firmam spem nobis ingessisset de resurrectione futura? Animum addidit nobis per mortem suam, per suam resurrectionem gaudio nos affecit. Mortem autem refugiendo, utilitati nostræ sapienter consuluit, voluitque omnibus hominibus aperte manifestatam infirmitatem corporis quod, non secus ac nos, induerat. Quemadmodum enim nisi spiritus vitæ nobis inesset, nobis non dedisset Christus pignus vitæ, nos scilicet, ipsius instar, resurrecturos, ita nisi is natus esset sicut nos, mori non potuisset. Morte nostra antea mortuus est, ut morte ejus animo confortaremur, et virtute magna absque infirmitate surrexit, superata morte et sepulcro derelicto. Gaudemus quod mors nostra vita ejus absorpta est, morsque ipsius vitæ arrhabonem nobis suppeditavit. Nisi Christus mortuus esset corpore quod ex nostro genere assumpsit, nullum fuisset ipsi pignus quod nobis daret, ut firmiter crederemus nos a mortuis resurrecturos; nunc vero pignora omnia in sua persona nobis exhibuit et ab eo documen-

ܗܘܐ ܠܢ . ܠܒܣܡ ܒܡܘܬܗ . ܘܚܕܝܢ ܒܩܝܡܬܗ . ܘܒܗܝ ܕܥܪܩ ܡܢ
ܡܘܬܐ . ܒܚܟܡܬܗ ܒܥܐ ܠܗܝ ܕܠܡܘܬܪܢ . ܕܢܚܘܐ ܦܪܗܣܝܐܝܬ ܠܟܠܗܘܢ
ܒܢ̈ܝܢܫܐ . ܟܪܝܗܘܬܗ ܕܦܓܪܐ ܕܠܒܫ ܐܝܟܘܬܢ . ܐܠܘ ܓܝܪ ܠܐ ܡܠܒܫ ܗܘܐ
ܐܝܟܘܬܢ . ܠܝܬ ܗܘܐ ܕܢܠܒܘܢ ܐܘܪܚܐ ܠܡܘܬܐ . ܘܐܠܘ ܠܝܬ ܗܘܐ ܡܢ
ܡܢ ܓܢܣܢ ܕܝܠܢ . ܐܦܠܐ ܡܐܬ ܗܘܐ ܠܢ ܒܡܘܬܐ ܕܝܠܢ ܩܕܡ ܐܬܒܠܥ .
ܠܒܣܡ ܡܢܗ ܒܡܘܬܗ . ܕܢܬܚܝܠܘܢ ܒܡܘܬܗ . ܘܩܡ ܒܚܝܠܐ ܪܒܐ ܕܠܐ
ܟܪܝܗܘܬܐ . ܟܕ ܐܒܛܠܗ ܠܡܘܬܐ ܘܫܒܩ ܡܢܗ ܩܒܪܐ . ܘܚܕܝܢ
ܕܐܬܒܠܥ ܡܘܬܢ ܒܚ̈ܝܘܗܝ . ܘܡܘܬܗ ܥܪܒܘܢܐ ܕܚ̈ܝܐ ܒܡܘܬܗ . ܠܗ
ܠܐ ܡܝܬ ܗܘܐ ܒܦܓܪܐ ܕܢܣܒ ܡܢܢ . ܠܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܥܪܒܘܢܐ ܠܡܬܠ
ܠܢ . ܕܢܗܝܡܢ ܫܪܝܪܐܝܬ ܕܩܝܡܝܢ ܡܢ ܡܝܬܐ . ܐܠܐ ܒܦܪܨܘܦܗ ܥ̈ܪܒܘܢܐ
ܟܠܗܘܢ ܚܘܝ ܠܢ . ܘܝܠܦܢ ܡܢܗ ܥܪܒܘܢܐ ܫܪܝܪܐ . ܕܩܝܡܝܢ ܡܢ

tum certum nostræ resurrectionis accepimus. Nulla tristitia nobis in nativitate, quia natus est sicut nos; tædio non afficimur in infirmitatibus nostris, quia et ipse, perinde ac nos, infirmus fuit. Fatigatus est, insuper esurivit, ut jejunium nos doceret; somno oppressus, passus atque in corpore debili tentatus est, ut eos qui tentantur adjuvare posset. »

Ex iis quæ hactenus exscripsimus illud, puto, certum manifestumque est, in Christo, juxta Aphraatem, agnoscendam esse humanitatem nostræ in omnibus, excepto peccato, similem, corpusque ex genere nostro per veram ex beatissima Matre generationem derivatum. Attentionem etiam merentur quæ alibi (1) profert auctor, ut nos ad virtutes colendas exemplo Salvatoris incitet : « Exemplum, inquit, a Vivificatore nostro accipiamus. Cum dives esset, ad paupertatem seipsum redegit; cum excelsus esset, majestatem suam depressit; qui habitabat in cœlo, nullum habuit locum ubi caput reclinaret. Qui venturus est in nubibus, Hierosolymam intravit, pullo asinæ insidens; qui Deus est et Dei Filius, servi similitudinem assumpsit; qui requies erat omnibus laborantibus, ipse itinere fatigatus est; qui fons erat sitim restinguens, sitivit et aquam potandam postulavit; qui satur erat, esuriemque nostram satiabat, esurivit, postquam in desertum secessit, ut ibi tentaretur; qui vigilabat, a somno alienus, in medio mari navigans,

ܡܟܝܟܐ . ܠܐ ܡܪܝܪܐ ܠܢ ܡܘܠܕܐ . ܡܛܠ ܕܐܬܝܠܕ ܐܝܟܘܬܢ . ܘܠܐ ܡܥܩܐ ܠܢ
ܒܟܘܪܗܢܝܢ . ܕܐܦ ܗܘ ܐܬܟܪܗ ܐܝܟܘܬܢ . ܘܠܐܝ ܘܐܦ ܟܦܢ . ܡܛܠ ܕܠܨܘܡ
ܢܠܦܢ . ܕܐܬܪܢܡ ܥܠܝ ܫܢܬܐ . ܚܫܫ ܘܐܬܢܣܝ ܒܦܓܪܐ ܡܚܝܠܐ . ܕܠܡܢܣܝܢ
ܕܢܥܕܪ ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܬܢܣܝܢ .

(1) Wright., p. ܩܦܚ .

sopore oppressus est; cui in tabernaculo Patris ministrabatur, illi ministerium præstiterunt manus hominum. Ipse medicus erat omnium ægrotantium, et manus ejus clavis transfixæ sunt; cujus os bona proferebat, ei præbuerunt fel in escam; nemini nocumenti vel damni causa erat, et vulnera atque opprobrium passus est; Vivificator erat cunctorum mortalium, et seipsum morti crucis tradidit. Omnia hæc humilitatis exempla in se nobis exhibuit Salvator noster; humiliemur igitur et nos, charissimi. Dominus noster venit extra naturam suam et in natura nostra ambulavit : maneamus nos in conditione nostra naturali, ut in die justitiæ naturæ illius consortes fiamus (1). »

Quæ de Christi temporali conceptione et generatione *Homilia de acino* duobus in locis suppeditat hic annotare juvabit, cum iis contineatur testimonium perspicuum de beatissimæ Matris virginitate. Seriem nimirum progenitorum Messiæ a se recensitam auctor hunc in modum claudit (2) : « Jacobus genuit Josephum, et Josephus vocatus est pater Jesu Christi. Jesus autem natus est ex Maria Virgine (3), ex semine domus Davidis,

(1) Postrema hæc sententia syriace sic se habet : ܡܪܢ ܗܘ ܐܬܐ ܠܒܪ ܡܢ ܟܝܢܗ. ܘܗܠܟ ܒܟܝܢܢ. ܢܗܘܐ ܚܢܢ ܒܟܝܢܢ. ܕܒܝܘܡ ܟܐܢܘܬܐ ܢܫܬܘܬܦ ܠܟܝܢܗ. Ubi incisum illud : ܡܪܢ ܗܘ ܐܬܐ ܠܒܪ ܡܢ ܟܝܢܗ non ita stricte accipiendum res ipsa et contexta oratio satis monent.

(2) Wright., p. ܢܒܒ : ܝܥܩܘܒ ܐܘܠܕ ܠܝܘܣܦ. ܘܝܘܣܦ ܐܬܩܪܝ ܐܒܐ ܠܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܘܝܫܘܥ ܐܬܝܠܕ ܡܢ ܡܪܝܡ ܒܬܘܠܬܐ. ܡܢ

(3) In antiquissima versione Syriaca a Curetonio edita, ad Matt. I, 16, Beata Maria etiam virgo appellatur hoc modo : ܝܥܩܘܒ ܐܘܠܕ ܠܝܘܣܦ

per Spiritum Sanctum, prout scriptum est tum Josephum, tum Mariam, sponsam ejus, ex familia Davidis oriundos fuisse. Quare et Apostolus testatur (1) Jesum Christum natum esse ex Maria, ex semine domus Davidis, per Spiritum Sanctum. Porro Josephus pater Jesu appellatus est; neque tamen hic erat ex illius semine generatus, sed genitoris nomen, ab Adamo ad Josephum per tres et sexaginta generationes deductum, a Josepho ablatum est. » — Idem vero iisdem fere verbis paulo post (2) repetit Aphraates, denuo affirmans « Jesum, Filium Dei, natum esse ex Maria Virgine et Josephum appellatum fuisse patrem Jesu. »

De modo seu ratione unionis naturæ humanæ cum Deo Verbo nuspiam seorsum et expresse agit Sapiens Persa. Ipsum tamen in antegressis ea tradentem audivimus, ex quibus unitas personæ Christi duabus in naturis, ac proin dogma unionis hypostaticæ manifesto eruitur. Idem enim *qui dives erat ad paupertatem se*

ܙܪܥܐ ܕܒܝܬ ܕܘܝܕ . ܡܢ ܦܓܪܐ ܕܒܬܘܠܬܐ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ . ܕܝܘܣܦ ܘܡܪܝܡ
ܡܟܝܪܬܗ . ܬܪܝܗܘܢ ܡܢ ܒܝܬܗ ܕܕܘܝܕ . ܘܫܠܝܚܐ ܣܗܕ . ܕܝܫܘܥ
ܡܫܝܚܐ ܡܢ ܡܪܝܡ ܗܘܐ . ܡܢ ܙܪܥܐ ܕܒܝܬ ܕܘܝܕ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ .
ܝܘܣܦ ܐܬܩܪܝ ܐܒܐ ܠܝܫܘܥ . ܟܕ ܠܐ ܗܘܐ ܡܢ ܙܪܥܗ ܐܬܝܠܕ . ܐܠܐ ܫܡܐ
ܕܐܒܘܬܐ ܐܬܝܗܒ ܡܢ ܐܕܡ ܒܢܚܬܐ ܠܝܘܣܦ . ܠܫܬܝܢ ܘܬܠܬ ܫܪܒܢ .
ܘܐܬܢܣܒ ܫܡܐ ܕܐܒܘܬܐ ܡܢ ܝܘܣܦ .

ܗܘ ܡܟܝܪܐ ܗܘܬ ܠܗ ܡܪܝܡ ܒܬܘܠܬܐ ܗܝ ܕܝܠܕܬ ܠܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ .
« Jacobus genuit Josephum; desponsata ei fuit Maria Virgo, quæ peperit Jesum Christum. » Ad hanc versionem forsan respexerit Aphraates.

(1) Rom. I, 3 et 4.

(2) Wright., p. ܬܟܝ .

*redegit*; *qui erat excelsus majestatem suam depressit; qui habitabat in cœlo nullum habuit locum in quo caput reclinaret; qui Deus erat et Dei Filius servi similitudinem assumpsit et natus est ex Maria Virgine; cui in tabernaculo Patris ministrabatur ministerium præstiterunt manus hominum*. Hæc omnia sane de uno eodemque subjecto prædicant quæ sunt Dei et quæ sunt hominis, neque aliud continere videntur nisi disertam quamdam paraphrasim verborum Apostoli (1) : *Qui cum in forma Dei esset*, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum*, *factus obediens usque ad mortem*, *mortem autem crucis*.

Quare si ista habeantur præ oculis, ne minimum quidem nos morabitur quod alibi asserit Aphraates, Deum in Christo habitare. Mystice videlicet exponens promissionem Salvatoris (2) : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, *ibi sum in medio eorum*, ita loquitur (3) : « Quando colligit se homo in nomine Christi, Christus habitat in eo. Deus autem habitat in Christo. Fit igitur homo ille unum tribus constans, ipso nempe homine, Christo, qui in eo habitat, et Deo, qui est in Christo. Dixit enim Dominus noster (4) : *Ego in Patre, et Pater in me est;* et alibi (5) : *Ego et Pater unum sumus;* et iterum (6) : *Vos in me, et ego in vobis*. »

(1) Philipp. II, 6-8.
(2) Matt. XVIII, 20.
(3) Wright., p. ܩܡܛ seq.
(4) Joan. XIV, 10, 11.
(5) Joan. X, 30.
(6) Joan. XIV, 20.

Porro ex his perperam inferres non aliam esse, juxta Aphraatem, unionem inter ambas Christi naturas intercedentem a conjunctione qua Christus ipse justis inest, ac consequenter illam moralem tantum, non physicam esse. Ejusmodi conclusionem ex *inhabitationis* et *inhabitandi* vocabulis non necessario sequi testis, inter multos, nobis est S. Cyrillus Alexandrimus, qui, quamvis verba prædicta, tanquam minus apta et perversæ explicationis capacia, respuat, simul tamen indicat iisdem subesse posse doctrinam orthodoxam (1) : « Sed neque Dei Verbum, ait, in Sacræ Virginis Filio, veluti in communi quodam homine inhabitasse dicimus, ne Christus Deifer homo esse intelligatur. Nam licet Verbum in nobis habitarit, omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter in Christo inhabitare litteris proditum sit; attamen non ita in illo habitavit, ut in sanctis inhabitare dicitur. Habitavit enim secundum naturam unitum, non in carnem mutatum, tali inhabitatione qualem dici potest hominis anima erga sibi proprium corpus habere, » nempe ad unam personam constituendam. Cum itaque, judice Cyrillo, Aphraatis assertum sensu catholico efferri queat et intelligi, illud ita accipiamus oportet; dumque, loco citato, de Deo et de Christo, ad diversa relatis, æque prædicantur *inhabitatio* et *unio*, hæ voces, quoniam per se sunt æquivocæ, pro materiæ subjectæ et doctrinæ alibi clare propositæ varietate varie intelligendæ erunt : secus enim auctor secum ipse committeretur, quod omnino vitandum esse constat. Quamobrem jure nostro concludimus in Sapientis Persæ scriptis ubique, sicut naturarum distinc-

(1) Ap. Labbeum, *Conciliorum collectio maxima;* conc. Ephes. par. I, cap. XXVI, n. 4.

tionem, ita personæ servari unitatem, et ideo iisdem exhiberi anticipatam quamdam tum Eutychianismi, tum Nestorianismi confutationem.

### IV. *Aphraatis doctrina de peccato originali et de redemptione a Christo peracta.*

Peccatum originale in omnes Adami posteros cum sequelis annexis propagatum passim memorat *Homiliarum* auctor, deque morte Christi vicaria ac piaculari plura et disertissima præbet testimonia. Utramque porro veritatem sæpe conjungit.

De labe quidem per carnalem ex Adamo generationem contracta sequentia notari possunt (1) : « Quoniam primus homo serpentis suasioni paruit, maledictionis pœna affectus est et ad id damnatus, ut esset cibus serpenti; transiitque maledictio ad universos filios ejus. Qui enim fructum arboris scientiæ comederat, a fructibus arboris vitæ prohibitus est. » Hisce gemina sunt quæ initio *Epistolæ de pœnitentibus* in hunc modum prostant (2) : « Unus dumtaxat innocens est inter natos qui corpus induerunt, nimirum Dominus noster Jesus Christus, prout ipse de se testatus est, dicens (3) : *Ego vici*

(1) Wright., pp. ܬܥܛ et ܬܦ : ܡܛܠ ܓܝܪ ܕܐܫܬܡܥ ܓܒܪܐ ܩܕܡܝܐ ܡܫܬܡܥܢܘܬܗ ܠܚܘܝܐ . ܡܛܠ ܡܫܬܡܥܢܘܬܐ ܠܠܘܛܬܐ . ܕܢܗܘܐ ܡܐܟܘܠܬܐ ܠܚܘܝܐ . ܘܥܒܪܬ ܠܘܛܬܐ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܒܢܘܗܝ . ܥܠ ܕܐܟܠ ܓܝܪ ܡܢ ܐܝܠܢܐ ܕܝܕܥܬܐ . ܐܬܟܠܝ ܡܢ ܦܐܪܐ ܐܝܠܢܐ ܕܚܝܐ .

(2) Wright., p. ܡܚܝ seq : ܙܟܝܐ ܚܕ ܗܘ ܒܠܚܘܕܘܗܝ . ܡܢ ܝܠܝܕܐ ܕܠܒܫܘ ܦܓܪܐ . ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ . ܐܝܟ ܕܗܘ ܣܗܕ ܥܠ ܢܦܫܗ .

(3) Joan. XVI, 33.

*mundum*. Et propheta quoque istud de eo testimonium protulit (1) : *Iniquitatem non fecit neque dolus in ore ejus inventus est*. Unde beatus Apostolus (2) : *Eum qui non noverat peccatum propter nos peccatum fecit*. Quomodo autem Deus Christum peccatum fecit, nisi quia Christus peccatum quod non admiserat in se suscepit et suæ affixit cruci? Et iterum Apostolus (3) : *Multi*, ait, *in stadio currunt, sed unus coronam accipit*. — Præterea nullus est alius inter homines, qui, in certamen descendens, non percutiatur aut vulneretur, quia, Adamo præceptum transgresso, peccatum regnavit et, a multis licet devictum, multos superavit ac multos occidit, neque ex multis unus ipsum interemit donec venit Salvator noster. Peccatum hic in se suscepit et cruci suæ affixit. At quamvis peccatum cruci affixum sit, ejus aculeus remanet et multos pungit, quoad adveniente fine, confringetur. »

ܐܡܪ ܓܝܪ ܕܐܬܐ ܐܫܩܠܗ ܠܥܠܡܐ . ܘܐܦ ܢܒܝܐ ܣܗܕ ܥܠܘܗܝ . ܕܠܐ ܥܒܕ
ܥܘܠܐ . ܐܦܠܐ ܢܟܠܐ ܐܫܬܟܚ ܒܦܘܡܗ . ܘܡܫܒܚܐ ܫܠܝܚܐ ܐܡܪ . ܕܗܘ ܕܠܐ
ܝܕܥ ܗܘܐ ܚܛܝܬܐ . ܡܛܠܬܢ ܚܛܝܬܐ ܥܒܕܗ . ܘܐܝܟܢܐ ܥܒܕܗ ܚܛܝܬܐ . ܐܠܐ
ܡܛܠ ܕܢܣܒܗ ܠܚܛܝܬܐ . ܡܢ ܠܐ ܗܘܐ ܗܘ ܥܒܕܗ . ܘܩܒܥܗ ܒܙܩܝܦܗ .
ܬܘܒ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ . ܕܣ̈ܓܝܐܐ ܪܗܛܝܢ ܒܐܣܛܕܝܘܢ . ܐܠܐ ܚܕ ܗܘ ܢܣܒ
ܠܗ ܠܟܠܝܠܐ . ܬܘܒ ܠܝܬ ܐܚܪܢܐ ܡܢ ܒ̈ܢܝ ܐܢܫܐ . ܕܢܚܬ ܠܐܓܘܢܐ ܕܠܐ
ܡܬܡܚܐ ܘܡܬܚܒܠ . ܡܛܠ ܕܐܡܠܟܬ ܚܛܝܬܐ . ܡܢ ܕܥܒܪ ܐܕܡ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ .
ܘܡܢ ܣ̈ܓܝܐܐ ܡܙܕܟܝܐ ܗ̤ܘܬ . ܘܠܣ̈ܓܝܐܐ ܡܙܟܝܐ ܗܘܬ . ܘܠܣ̈ܓܝܐܐ
ܩܛܠܐ . ܘܐܦ ܡܢ ܣ̈ܓܝܐܐ ܠܐ ܩܛܠܗ . ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܦܪܘܩܢ . ܘܢܣܒܗ
ܘܩܒܥܗ ܒܙܩܝܦܗ . ܘܐܦ ܟܕ ܒܙܩܝܦܐ ܩܒܝܥܐ . ܥܘܩܣܗ ܐܫܬܒܩ .
ܘܠܣ̈ܓܝܐܐ ܢܟܬ . ܥܕ ܗܘܐ ܫܘܠܡܐ . ܘܡܬܬܒܪ ܠܗ ܥܘܩܣܗ .

(1) Malach. II, 6.
(2) II Cor. V, 21.
(3) I Cor. IX, 24.

In his duobus locis perspicue contineri assertionem peccati originalis unicuique obvium est. Utrobique enim de tali reatu sermo fit, qui, cum ex Adami prævaricatione originem ducat, omnes ejusdem posteros, Christo excepto, ipsosque adeo infantes, infecit et divinæ maledictioni subjecit; præterea vero isthæc macula in posteriore testimonio expresse distingui videtur a peccatis personalibus, quæ singuli homines, postquam rationis usum sunt adepti, *in certamen descendentes*, admittunt; demum labes illa et ex effectibus dignoscitur : concupiscentia quippe inde orta est et magna ad lapsum proclivitas, quæ, culpa licet condonata, *stimuli* instar, usque lacessit et pungit. Neque minus evidens est verbis quæ recitavimus affirmari mortem Christi vicariam et piacularem, siquidem ipse, qui innocens erat, peccata nostra in se suscepit, ut ea cruci affigeret, hoc est (Aphraate alibi (1) rem ita explicante), ut, iniquitatibus nostris deletis, sanguine suo nos redimeret atque vivificaret.

De aliis peccati originalis sequelis, de morte scilicet cæterisque hujus vitæ ærumnis et miseriis, simulque de salute locupletissima cujus auctor nobis est Messias, distinctius agunt hæc, quæ ex *Epistola de monachis* (2) exscribimus : « Notum itaque, fratres, et compertum nobis est per fœminam ab initio aditum ad homines hosti patefactum fuisse. Per eamdem autem ad finem usque disperdet. Ista enim ipsi est telum, cujus ope cum athletis pugnam committit. Per fœminam omni tempore cantavit et hæc illi lyra a primo die suppetit.

(1) V. g., ap. Wright., pp. ܪܟܡ et ܪܟܗ .

(2) Wright., pp. ܩܡܟ et ܩܡ .

Propter eam inducta est maledictio legis et propter eam morti addicti sumus : nam in doloribus liberos parit, eosque morti tradit. Ejus causa terra exsecrata est, ut spinas fundat et carduos. Postea vero per adventum Filii beatæ Mariæ spinæ evulsæ sunt et labor sublatus. Ficus quidem maledictioni subjacebat et terra in sal conversa erat (1); sed maledictio cruci affixa et mucro gladii a facie arboris vitæ ablatus est. Datum est alimentum fidelibus; hominibus piis, iisque qui sanctitatem et virginitatem colunt paradisus promissus fuit; distributi sunt fructus arboris vitæ in escam fidelibus, virginibus et illis qui Dei adimplent voluntatem. Porta aperta est, strata via, Fons fluit et potum sitientibus propinat; mensa instructa, convivium paratum, taurus pinguis occisus est; calix salutis mixtus, epulæ adornatæ, et sponsus mox discumbet. Apostoli invitarunt, plurimi vocati fuere. »

Mortem peccati originalis pœnam esse iterum inculcat Sapiens Persa initio *Homiliæ XXII* (2) : « Homines recti, justi, boni et sapientes, inquit, mortem non timent nec reformidant, propter spem firmam quæ eorum mentibus obversatur. Semper enim recordantur exitus quem mors tandem habebit et ultimæ diei, qua genus humanum judicabitur. Sciunt mortem ex divina sententia regnare propter Adami trangressionem, dicente Apostolo (3) : *Regnavit mors ab Adamo usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, adeo ut, quemadmodum Adamo supervenit, ita in universos homines pertransierit.*

(1) Hæc metaphora ex Scriptura desumpta et de omnimoda terræ sterilitate intelligenda est. Cfr. *Deuteron.* XXIX, 23.

(2) Wright., p. ܬܝܛ .

(3) Rom. V, 14.

Sed quare mors ab Adamo usque ad Moysen invaluit? — Imposuerat Deus præceptum Adamo, eum hisce verbis admonens (1) : *Die qua comederis ex arbore scientiæ boni et mali, morte morieris.* Adamus vero prohibitionem hanc neglexit et ex arbore comedit. Tunc potestatem acquisivit mors in eum et in omnes posteros ejus; in illos etiam qui non peccaverunt (peccato nimirum personali), mors, propter Adami transgressionem, dominata est. Cur autem asseruit Paulus mortem ab Adamo usque ad Moysen regnavisse? — Qui scientia caret inde colligere posset mortem nonnisi ab Adamo usque ad Moysen dominatam esse. Verum ex verbis Apostoli, testantis eam in homines universos pertransiisse, intelligat totum genus humanum a Moyse ad finem usque mundi eidem subjacere. » Quia igitur mors, juxta Aphraatem, unicuique nostrum justa labis originalis pœna est, ejus memoriam commendat tanquam medium quo a peccatis personalibus admittendis deterreamur (2) : « Vos itaque omnes, exclamat, o filii Adami, quibus mors dominatur, mortis estote memores, vitæ recordamini, et tunc legem non transgrediemini sicut ille protoparens vester! »

Christum Dominum sanguinem profudisse ut iis mederetur malis quæ ex Adami inobedientia ortum habuere, ostendunt, præter ea quæ supra produximus, alia testimonia pene innumerà. Ex quibus pauca tantummodo hic commemoravisse satis erit. Verbum incarnatum, e. g., prædicatur « Vivificator mundi, quatenus aufert Adami maledictiones (3); » — « peccata mundi expiavit,

(1) *Genes.* II, 17.

(2) Wright., p. ܫܦܛ .

(3) Wright., p. ܪܟܗ : ܡܚܝܢܐ ܡܫܝܚܢܘ ܕܥܠܡܐ ܡܥܒܪ ܠܘ̈ܛܬܐ ܕܐܕܡ

estque regni janua, iis omnibus qui ingredi volunt aperta (1); » — « per crucem ad salutem pervenimus, sanguine et corpore Christi redempti sumus (2); » — « voluit (enim) Pater ut viveremus per mortem Unigeniti sui (3). » — Eamdem illam vim meritoriam et expiatoriam Christi, veramque hujus pro hominibus reis substitutionem denuo adstruit Aphraates, dum prophetias quasdam de Messia prolatas ita commentatur (4) : « De passione Christi dixit David (5) : *Foderunt manus meas et pedes meos, et omnia ossa mea ejulaverunt. Ipsi consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt inter se vestimenta mea et vestem meam sortiti sunt.* Isaias etiam hæc effatus est (6) : *Ecce servus meus innotuit, revelatus est et exaltatus, ita ut eum multi admiraturi sint. Aspectus ejus deterior est aspectu viri, et facies ejus, facie*

(1) Wright., p. ܪܦܚ : ܦܬܝܚ ܠܗܘܢ .... ܫܡܥ ܫܡܥܘܬܗܘܢ .... ܘܗܘܝܘ ܬܪܥܐ ܕܡܠܟܘܬܐ . ܕܐܬܦܬܚ ܩܕܡ ܟܠܗܘܢ ܥܐܠܝ̈ܢ .

(2) Ibid., p. ܪܦܙ : ܐܠܐ ܐܢܚܢ ܦܪܝܩܝܢ ܒܙܩܝܦܐ ܐܬܩܪܒܢ ܒܕܡܗ ܘܦܓܪܗ ܕܡܫܝܚܐ .

(3) Ibid., p. ܬܦܛ : ܨܒܐ ܒܗ ܕܢܚܐ ܒܡܘܬܗ ܕܝܚܝܕܝܗ .

(4) Ibid., p. ܬܡܢܐ : ܥܠ ܚܫܗ ܕܡܫܝܚܐ ܕܘܝܕ ܐܡܪ . ܕܒܙܥܘ ܐܝܕܝ ܘܪ̈ܓܠܝ . ܘܐܬܝܠܠܘ ܟܠܗܘܢ ܓܪ̈ܡܝ . ܗܢܘܢ ܚܙܘ ܘܚܪܘ ܒܝ . ܘܦܠܓܘ ܢܚܬ̈ܝ ܒܝܢܬܗܘܢ . ܘܥܠ ܠܒܘܫܝ ܐܪܡܝܘ ܦܣܐ . ܘܐܫܥܝܐ ܐܡܪ . ܕܗܐ ܡܬܝܕܥ ܥܒܕܝ ܘܡܬܓܠܐ ܘܡܬܬܪܝܡ . ܐܝܟ ܕܢܬܕܡܪܘܢ ܥܠܘܗܝ ܣܓ̈ܝܐܐ . ܗܢܐ ܡܚܣܟ ܚܙܘܗ ܡܢ ܕܓܒܪܐ . ܘܐܣܟܡܗ ܡܢ ܕܒ̈ܢܝ ܐܢܫܐ . ܘܐܡܪ

(5) *Ps*. XXI, 17-19. Quod autem Aphraates in versiculo 18 legit ܐܬܝܠܠܘ, i. e. *ejulaverunt*, ubi Vulgata aliter : *dinumeraverunt*, et textus primigenius : אֶסְפֹּר, *numerabo*, id auctori nostro cum versione Simplici commune est.

(6) Is. LII, 13-15.

*hominum. Purificabit gentes plurimas, et reges eum suspicient. Ascendit* [ita pergit propheta (1)] *sicut parvulus coram eo et sicut radix ex terra sitiente oriens.* Et circa finem vaticinii (2) : *Ipse occisus est propter peccata nostra, depressus propter iniquitatem nostram. Castigationem salutis nostræ subiit et vulneribus ejus sanabimur.* Quibus vulneribus sanati sunt homines? — David non est interfectus, sed in senectute bona mortuus et in civitate Bethlehem sepultus est. Neque vero dicant Judæi illa de Saule intelligenda, hunc quippe in montibus Gelboe adversus Philistæos pugnantem cecidisse; neque effutiant pedes ejus et manus transfossa esse quando ipsius corpus e muro urbis Bethsan suspensum est. Verba citata Sauli non conveniunt, cujus, dum membra transfigerentur, ossa nullum sensere tormentum : mortuus quippe erat, nec nisi post ejusdem obitum, ipsius et filiorum corpora e muro Bethsan suspensa sunt. Insuper postquam dixit David : *Foderunt manus meas et pedes meos, et ossa mea ejulaverunt,* hæc subdit (3) : *Deus ad adjuvandum me respice et eripe me a*

ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ ܟܥܡ̈ܡܐ ܣܓܝ̈ܐܐ ܘܡ̈ܠܟܐ ܢܬܡܗܘܢ ܒܟܠܗܘܢ . ܘܐܡܪ ܗܘ ܒܥܠ ܦܬܓܡܐ .
ܕܣܠܩ ܐܝܟ ܝܠܘܕܐ ܩܕܡܘܗܝ . ܘܐܝܟ ܥܩܪܐ ܡܢ ܐܪܥܐ ܨܗܝܬܐ . ܘܐܡܪ
ܒܚܪܬܗ ܕܦܬܓܡܐ . ܕܗܘ ܡܬܩܛܠ ܡܛܠ ܚܛܗ̈ܝܢ . ܘܡܬܡܟܟ ܡܛܠ
ܥܘܠܢ . ܡܪܕܘܬܐ ܕܫܠܡܢ ܥܠܘܗܝ . ܘܒܡܚܘ̈ܬܗ ܢܬܐܣܐ . ܘܐܝܠܝܢ
ܡܚܘ̈ܬܐ ܐܬܐܣܝܘ ܒ̈ܢܝܢܫܐ . ܕܘܝܕ ܠܐ ܐܬܩܛܠ . ܡܛܠ ܕܒܣܝܒܘܬܐ
ܛܒܬܐ . ܘܐܬܩܒܪ ܒܒܝܬ ܠܚܡ . ܘܐܢ ܢܐܡܪ ܡܛܠ ܕܐܡܪܝܢ ..... ܠܐ ܢܫܪ
ܡܬܡܠܐ ܥܠ ܫܐܘܠ ...... ܒܪܡ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܕܟܠܗܝܢ ܡܠܝܢ ܥܠ
ܡܫܝܚܐ . ܘܫܪܟ .

(1) Is. LIII, 2.
(2) Ibid. LIII, 5.
(3) *Ps.* XXI, 20, 21.

*gladio*. Et Christus quidem a gladio ereptus est, egressus est e sepulchro, tertia die resurgens, Deusque ei fuit auxilio. At Saul Dominum invocavit, nec exauditus est; illum per prophetas consuluit, neque ullum obtinuit responsum : tum, celato nomine, sciscitatus est ariolos, a quibus omen accepit; clade a Philistæis affectus est, vidensque hostes in pugna superiores, seipsum gladio suo interemit. Ait adhuc David in eodem vaticinio (1) : *Nomen tuum fratribus meis prædicabo, in media ecclesia laudabo te*. Quomodo vero ista in Saulem quadrare possunt? Et iterum dixit Psalmista (2) : *Non permisisti sanctum tuum videre corruptionem*. Verum enimvero hæc omnia in Christo impleta sunt. Quum enim ad Judæos venisset, ipsum isti non receperunt, sed inique damnaverunt, adhibito falso testimonio, eumque e patibulo manibus suis suspenderunt, palmas et plantas clavis transfodientes atque affigentes; unde omnia ossa illius ejulaverunt. »

### V. *Aphraatis doctrina de fidei et bonorum operum necessitate ad justificationem*.

De fidei et bonorum operum efficacia ad justificationem et salutem obtinendam ac generatim de justificationis natura, conditionibus et proprietatibus plurima auctoris nostri *Epistolis* insunt; quæ si in unum colligerentur, sat amplæ tractationis materiam vel sola suppeditarent. Ex his pauca tantum cursim delibabimus.

Ad gratiam quod attinet, eam plerumque depingit

(1) *Ps*. XXI, 22.
(2) *Ps*. XVI, 10.

Sapiens Persa ut Christi et Spiritus Sancti totiusque adeo SS. Trinitatis habitationem in homine justo (1); eadem alibi est sive principium vitæ corporali vita nobilioris (2), sive pignus quod Christus, ad Patrem discessurus, nobis commissum voluit (3). Illa autem conjunctio cum Deo, seu illud divinæ naturæ consortium, cum in fidelium animabus initium ducat a Baptismi regeneratione (4), neque inamissibile est, neque hominem ullo modo impeccabilem reddit (5); ideo sollicite custodiatur oportet (6). Nam « Spiritus Sanctus, si contristetur, ab homine recedit (7); si pignus Christi spreverimus, is quod suum est auferet et iis quæ promiserat nos privabit (8); peccator, licet vivens, Deo mortuus est (9). » Porro ii demum qui Spiritum Sanctum ad mortem usque purum servaverint, Christum judicem sibi propitium quondam nanciscentur, « rapientur in cœlum et regnum quod ipsis ab initio præparatum fuit hæreditate accipient (10), » cæteris « descendentibus in infernum, ubi fletus erit et stridor dentium (11). » Hæc, quæ brevissime nunc indicantur, postea, quantum ne-

(1) Cfr., exempli gratia, *Disseri. de monachis et de acino*; ap. Wright., pp. ܩܡܝ seqq. et ܪܙܗ.

(2) Wright., p. ܩܣܒ.

(3) Ex. gr., Wright., p. ܩܥܗ.

(4) Ibid, p. ܩܟܗ.

(5) Ibid., p. ܩܟܘ.

(6) Ibid., p. ܩܟܘ seq.

(7) Ibidem.

(8) Ibid., p. ܩܥܗ.

(9) Ibid., p. ܩܣܒ.

(10) Ibid., pp. ܩܥܒ et ܩܠܨ.

(11) Ibid., p. ܩܠܨ.

cesse erit, demonstrabuntur, ubi quæ de anima tradit auctor expendemus.

De fide aliisque dispositionibus ad justificationem requisitis talia scribit Aphraates, quæ haberi possint ut perspicua quædam expositio doctrinæ illius catholicæ, a sacrosancta Tridentina synodo solemniter declaratæ (1) : « Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire. » Jam in antegressis hanc ex ipsius ore sententiam excepimus (2) : « Principium omnium bonorum operum istud coram Deo requiritur, ut credamus unum esse Deum; tum necessarium est ut fidei addamus mandatorum observationem. » Pariter audivimus explicantem quid fidei salutiferæ nomine intelligat, nempe non inanem illam, quam jactant Protestantes, fiduciam de peccatorum condonatione per externam imputationem meritorum et justitiæ Christi, sed firmum mentis assensum in omnia quæ Deus nobis revelavit. « Hæc est autem fides, ait (3), ut credat homo in Deum, rerum universarum Dominum, qui fecit cœlum et terram.... Ad eam illud quoque pertinet, quod credamus resurrectionem mortuorum et Baptismi Sacramentum.... »

Cujus fidei, simulque bonorum operum, necessitatem sic (ut hoc specimine utar) inculcat (4) : « Sequentia nunc accipe de fide quæ petræ superimposita et de ædificio quod eidem superstructum est. Pri-

(1) Sess. VI, *de justificatione*, cap. VIII.

(2) Wright., p. ܬܪܝ. Cfr. sup., p. 231.

(3) Wright., p. ܨܚ, et sup., p. 229, not. 1.

(4) Wright, p. ܐ seq : ܕܗܘܐ ܕܝܢ ܡܥܠܝܐ ܥܠ ܗܝܡܢܘܬܐ. ܘܕܐܬܬܣܝܡܬ ܥܠ ܟܐܦܐ. ܘܥܠ ܒܢܝܢܐ ܕܡܫܬܟܠܠ ܥܠ ܟܐܦܐ. ܒܩܕܡܝܬ ܓܝܪ ܡܗܝܡܢ

mum credit homo; quum credit, diligit; quum diligit, sperat; sperans, justificatur; justificatus, perficitur; perfectus, coronatur. Postquam vero totum ejus ædificium exstructum est, perfectum atque coronatum, tunc ipse fit domus et templum in quo Christus habitat, sicut dixit Jeremias propheta (1) : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini vos estis, si viæ vestræ et opera vestra bona fuerint*. Item monet Deus per prophetam (2) : *Inhabitabo in illis et inambulabo inter eos*. Insuper et beatus Apostolus hæc profert (3) : *Templum Dei estis, et Spiritus Christi habitat in vobis*. Et Dominus noster, discipulos suos alloquens : *Vos in me, et ego in vobis*. Quando autem domus facta est locus habitationis, incipit homo accurare quidquid necessarium est ei qui in illa domicilium constituit. Si velit rex aut aliquis princeps habitare in domo quæ regis est,

ܒܢܝܢܐ . ܗܟܢܐ ܕܗܝܡܢ ܡܗܝܡܢ . ܗܟܢܐ ܕܐܚܝܕ ܡܫܬܪܪ . ܗܟܢܐ ܕܫܪܝܪ
ܡܙܕܕܩ . ܗܟܢܐ ܕܐܙܕܕܩ ܡܫܬܡܠܐ . ܗܟܢܐ ܕܐܫܬܡܠܝ ܡܬܟܠܠ . ܗܟܢܐ
ܕܫܠܡ ܒܢܝܢܗ ܟܠܗ ܘܐܫܬܟܠܠ ܘܐܫܬܡܠܝ ܗܝܕܝܢ ܗܘܐ ܒܝܬܐ ܘܗܝܟܠܐ
ܠܡܥܡܪܐ ܕܡܫܝܚܐ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܪܡܝܐ ܢܒܝܐ . ܗܝܟܠܗ ܕܡܪܝܐ ܗܝܟܠܗ
ܕܡܪܝܐ ܀ ܗܝܟܠܗ ܐܢܬܘܢ ܕܡܪܝܐ : ܐܢ ܬܫܦܪܘܢ ܐܘܪܚܬܟܘܢ ܘܥܒܕܝܟܘܢ .
ܘܬܘܒ ܐܡܪ ܒܢܒܝܐ ܀ ܕܐܥܡܪ ܒܗܘܢ ܘܐܗܠܟ ܒܗܘܢ . ܘܐܦ ܫܠܝܚܐ
ܛܘܒܢܐ ܗܟܢܐ ܐܡܪ . ܕܗܝܟܠܗ ܐܢܬܘܢ ܕܐܠܗܐ ܀ ܘܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ ܥܡܪܐ
ܒܟܘܢ . ܘܐܦ ܡܪܢ ܬܘܒ ܗܟܢܐ ܐܡܪ ܠܬܠܡܝܕܘܗܝ . ܕܐܢܬܘܢ ܒܝ
ܐܢܬܘܢ ܀ ܘܐܢܐ ܒܟܘܢ ܐܢܐ . ܗܟܢܐ ܕܗܘܐ ܒܝܬܐ ܒܝܬ ܡܥܡܪܐ ܀ ܗܝܕܝܢ ܫܪܝ
ܚܦ ܒܪܢܫܐ ܀ ܕܢܬܚܫܒ ܡܕܡ ܕܙܕܩ ܠܗ ܠܡܢ ܕܫܪܐ ܒܝܬܐ . ܐܟܘܬܐ
ܕܐܢܘ ܕܡܠܟܐ ܡܠܟܐ . ܐܘ ܒܪܢܫܐ ܕܡܝܩܪ ܒܥܡܐ . ܕܢܐܬܐ ܢܫܪܐ ܒܒܝܬܗ

(1) Jerem. VII, 4 et 5.
(2) II Corinth. VI, 16; Ezechiel. XLIII, 9
(3) I Cor. III, 16.

regis honorandi causa requiruntur omnis supellex et commoditates omnes quæ regiam decent majestatem : neque enim rex in domo quæ omni apparatu careat sedet aut commoratur, sed exigit ut ædes perfecte adornentur et ut nihil desit. Quod si aliquid desit domui in qua rex habitat, custos domus morti tradetur, eo quod ea quæ ad ministerium regis spectant non procuraverit. Eodem modo quicumque domus fit et domicilium Christi iis intentus esse debet, quæ ad ministerium Christi in ipso habitantis conducant et quibus ejusdem benevolentiam demereatur. Primum igitur domum suam petræ, quæ est Christus, superstruit : huic scilicet petræ imponitur fides, cui innitens totum exsurgit ædificium. Ut enim domus inhabitetur, in homine requiritur jejunium purum, et hoc per fidem firmatur; exigitur oratio munda, quæ per fidem accepta fit; opus est charitate, quæ fide sustentatur; necessariæ

ܚܫܚܐ ܕܡܠܟܐ . ܡܬܩܢܝܢ ܠܗ ܕܝܢ ܠܡܠܟܐ ܟܠܗܝܢ ܚܫܚܬܐ
ܕܡܠܟܘܬܐ : ܘܟܘܠܗ ܫܘܫܠܬܐ ܕܡܬܒܥܝܐ ܠܐܝܩܪܗ ܕܡܠܟܐ . ܒܒܝܬܐ
ܓܝܪ ܕܡܚܣܪ ܡܢ ܟܠ ܨܒܘ . ܡܠܟܐ ܠܐ ܫܪܐ ܒܗ ܘܠܐ ܡܥܡܪ
ܒܗ . ܐܠܐ ܡܬܒܥܐ ܠܗ ܠܡܠܟܐ ܟܠܗ ܨܒܘܬܐ ܕܒܝܬܐ . ܟܕ ܡܕܡ ܠܐ
ܚܣܝܪ ܒܗ . ܘܐܢ ܡܕܡ ܚܣܝܪ ܡܢ ܒܝܬܐ ܕܡܠܟܐ ܫܪܐ ܒܗ : ܠܡܘܬܐ
ܗܘ ܡܫܬܠܡ ܢܛܘܪܗ ܕܒܝܬܐ ܀ ܡܛܠ ܕܠܐ ܐܛܝܒ ܫܘܫܠܬܐ ܠܡܠܟܐ .
ܗܟܢܐ ܐܦ ܒܪܢܫܐ . ܕܗܘܐ ܒܝܬܐ ܘܒܝܬ ܡܫܪܝܐ ܠܡܫܝܚܐ . ܢܚܙܐ ܡܢܐ
ܐܝܠ ܠܗ ܠܬܫܡܫܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܕ[ܫ]ܪܐ ܒܗ : ܘܒܐܝܠܝܢ ܨ̈ܒܘ ܢܫܦܪ
ܠܗ . ܩܕܡܝܬ ܓܝܪ ܒܢܐ ܒܢܝܢܗ ܥܠ ܟܐܦܐ ܕܗܘܝܘ ܡܫܝܚܐ :
ܘܥܠܝܗ ܥܠ ܟܐܦܐ ܡܬܬܣܝܡܐ ܗܝܡܢܘܬܐ . ܘܥܠ ܗܝܡܢܘܬܐ ܩܐܡ
ܟܠܗ ܒܢܝܢܐ . ܘܡܬܒܥܐ ܠܡܬܡܪܝܢܘ ܕܒܝܬܐ : ܨܘܡܐ ܕܕܟܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܡܬܩܝܡ . ܘܡܬܒܥܝܐ ܠܗ ܨܠܘܬܐ ܕܕܟܝܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܩܒܠܐ .
ܘܡܬܒܥܝܐ ܠܗ ܚܘܒܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܬܪܥܣ . ܘܡܬܒܥܝܢ ܠܗ ܙܕ̈ܩܬܐ :

sunt eleemosynæ, quas fides largitur, et humilitas, quæ fide condecoratur. Idem homo servat virginitatem, quæ per fidem amatur; tendit ad sanctitatem, quæ per fidem inseritur; sollicite quærit sapientiam, quam per fidem invenit; ipsi necessaria est hospitalitas, quæ ex fide liberaliter exercetur, simplicitas, quæ fide temperatur, et patientia, quæ fide perficitur; sapienter colit mansuetudinem, quæ per fidem acquiritur, et diligit mortificationem, quæ ex fide procedit. »

## VI. *Aphraatis doctrina de Baptismo.*

Variis in locis memorat Sapiens Persa, demptis Matrimonio et Extrema Unctione, omnia Sacramenta quæ Ecclesia catholica a Christo Domino sese accepisse profitetur. De Ordine tamen, quem *sanctam manuum impositionem*, ܣܝܡ ܐܝܕܐ ܩܕܝܫܬܐ (1), appellat, et de Confirmatione, quam *signaculi*, ܪܘܫܡܐ (2), nomine denotare videtur, nihil nisi nudam mentionem suppe-

ܘܗܝܡܢܘܬܗ ܡ̈ܬܗܝܡܢܝܢ . ܘܡܠܐ ܡܬܒܣܡܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܨܒܬܐ .
ܘܢܛܪ ܠܗ ܒܬܘܠܘܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܪܚܡܐ . ܘܡܩܪܒ ܠܩܕܝܫܘܬܗ
ܢܨܝܒܬܐ ؛ ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܢܨܒܐ . ܘܒܥܐ ܐܦ ܚܟܡܬܐ : ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܡܫܬܟܚܐ . ܘܨܒܐ ܠܗ ܬܘܒ ܐܟܣܢܝܘܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܦܪܣܐ .
ܘܡܬܦܣܚܐ ܠܗ ܦܫܝܛܘܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܡܠܟܐ . ܘܨܒܐ ܐܦ
ܡܣܝܒܪܢܘܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܓܡܪܐ . ܘܡܬܗܝܪ ܒܡܟܝܟܘܬܐ .
ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܩܢܝܐ . ܘܪܚܡ ܐܡܟܠܘܬܐ . ܘܒܗܝܡܢܘܬܐ ܡܬܝܠܕܐ .

(1) Wright., p. ܪܣܣ .

(2) Ibid., p. ܪܩܒ .

ditat. Quid autem de tribus reliquis Sacramentis habeat haud inutile erit paulo accuratius examinare.

Quod spectat ad *Baptismum*, ex *Homiliis* discimus quænam sit ejus materia, quænam forma. Deinde cum peccati originalis in omnes homines propagatione, de qua antea diximus, connexa est necessitas Baptismi, quem idcirco, juxta Aphraatem, credere non sufficit, sed cujus susceptio, per aquæ ablutionem conjunctam cum prolatione « nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti (1), » requiritur ut « peccata in aqua deleantur (2), » ut « vitæ sigillum accipiamus (3), » denique ut « homo Ecclesiæ Dei aggregetur et particeps fiat corporis et sanguinis Christi (4); » nam per Baptismi « aquas sacerdotes nos generant (5), » hoc est, vita donant spirituali, quæ in gratia Dei consistit et, peccato opposita, per illud arcetur vel amittitur.

Præterea Baptismus Christi Baptismo Joannis, signo egeno et infirmo, ad pœnitentiæ sensus ingerendos demum comparato, præponitur, atque adeo intrinseca virtus illius, tanquam signi efficacis ad gratiam conferendam seu merita Redemptoris applicanda, perspicue indicatur. Postquam scilicet asseruit scriptor (6) peccatorem (utique rationis compotem) « nonnisi operibus et affectibus malis a corde resecatis, venire ad Baptismum,

(1) Wright., p. ܓܩ .

(2) Ibid., p. ܠܣܣ .

(3) Ibid., p. ܓܩ .

(4) Ibid., p. ܪܨܗ .

(5) Ibid., p. ܪܨܐ .

(6) Ibid., p. ܪܨܗ : ܘܡܚܐ ܕܢܐܬܐ ܠܥܡܗ ܡܢ ܠܒܗ ܥܒ̈ܕܐ ܒܝܫܐ . ܘܡܚܫܒܢ

veræ circumcisionis complementum, sicque populo Dei adscribi,.... vitamque haurire ex largitione Spiritus quem accepit, » hæc continuo subdit (1) : « Israelitæ, illa paschatis nocte, quando liberatio ipsis contigit, in medio mari baptizati sunt; et Salvator noster, nocte paschatis, pedes discipulorum lavans, Baptismi exhibuit figuram. Scias autem, carissime, inde demum ab ista nocte verum Baptisma a Christo datum esse. Quamdiu enim cum discipulis suis versatus est, hi baptismum quemdam legis veteris conferebant, qualem respiciebat Joannes, quum diceret (2) : *Resipiscite a peccatis vestris.* Verum nocte illa manifestavit eis Jesus Baptismum, passionis et mortis suæ signum, sicut dixit Apostolus (3) : *Consepulti estis cum eo per Baptismum in mortem et cum ipso surrexistis in virtute Dei.* Notum porro tibi sit, amice, baptismum Joannis vim non habuisse peccata remittendi, sed ad pœnitentiam excitandi. Etenim, ut in *Actis* duodecim Apostolorum legimus (4), eos qui sive ex gentibus sive ex Israele vocati erant interrogaverunt discipuli num baptizati fuissent, iisdemque respondentibus baptismo Joannis sese baptizatos esse verum Baptisma, passionis Redemptoris nostri sacramentum, administraverunt. De hoc eodem Baptismate Salvator noster locutus est, quum dixit discipulis (5) : *Joannes aqua baptizavit, vos autem bap-*

ܡܛܠ ܠܡܥܡܘܕܝܘܬܐ ܫܘܡܠܝܐ ܕܓܙܪܬܐ ܕܫܪܪܐ. ܘܡܬܡܠܟܝܢ ܒܥܡܗ ܠܐܠܗܐ
ܕܢܗܘܐ ܘܡܬܬܣܝܡܝܢ ܒܫܪܪܗ ܘܪܘܚܗ ܕܩܘܕܫܐ.

(1) Wright., pp. ܪܥܘ et ܪܥܙ .
(2) Matt. III, 2.
(3) Coloss. II, 12; it. Rom. VI, 3, 4.
(4) *Actuum* XIX, 3.
(5) Ibid., I, 5.

*tizabimini in Spiritu Sancto*. Et reapse (1) *quando Christus Dominus, accepta aqua et in pelvim ablutionibus deputatam immissa, renibusque linteo præcinctis, cœpit lavare pedes discipulorum, pervenientem ad Simonem Petrum hic interpellavit : Tune, Domine, pedes meos lavas? Pedes meos nunquam lavabis. Dixit ei Jesus : Nisi te lavero, non eris bonorum meorum particeps. Respondit Simon : Ne igitur pedes tantum, Domine, sed manus etiam caputque abluas. Excepit Jesus : Qui jam mundatus est nonnisi pedum lotione indiget. Tum, pedibus discipulorum ablutis, vestimenta sua accepit, recubuit et dixit : En vocatis me Magistrum et Dominum vestrum, et talis reipsa sum. Si ergo ego, Magister et Dominus vester, pedes vestros lavo, quam necessarium est ut alter alterius pedes abluatis! Exemplum hoc vobis exhibui, ut quemadmodum egi ego et vos agatis*. Postquam autem Dominus lotis pedibus eorum, discubuit, tum demum eis præbuit corpus suum et sanguinem, contra ac egerant Israelitæ, qui nonnisi post paschatis manducationem in nube et in mari baptizati sunt, referente Apostolo (2) *patres nostros omnes sub nube fuisse, omnesque mare trajecisse*. »

## VII. *Aphraatis doctrina de præsentia reali et de sacrificio novæ legis.*

Christum Dominum speciebus eucharisticis vere, realiter et substantialiter subesse pluries ita affirmat Aphraates, ut hic etiam sese præbeat disertissimum doctrinæ catholicæ testem.

(1) Quæ hic affertur narratio, ex Joan. XIII, 6-15, desumpta est.
(2) I Cor. X, 1.

Ex hac veritate argumentum deprómit, quo probet a peccatis linguæ summopere cavendum (1) : « Unicum est, inquit, ostium domui tuæ, et ipsa est templum Dei; neque ulla ratione decet, o homo, ut per portam, qua rex ingreditur lutum et sordes exeant. Si quis autem, dum recipit corpus et sanguinem Christi, ab omnibus peccatis se abstineat, is os suum, per quod regis Filius intrat, sollicite custodit. Non licet tibi, o homo, illo tuo ore verba immunda proferre. »

Notandum pariter est quod in *Homilia IV* de peccatoribus et iis quorum manus cruore fœdatæ sunt legitur (2), eos nempe « non mundatum iri, nisi immersi fuerint aquis Baptismatis et acceperint corpus atque sanguinem Christi. Sanguis (enim) expiatur sanguine, corpus corpore purificatur, et peccata aquis abluuntur. »

In *Epistola de paschate* fuse exponitur pascha Judæorum typum fuisse cœnæ eucharisticæ, qua Christus carnem suam edendam tradit et sanguinem potandum; simul docet scriptor in Eucharistia contineri sacrificium commemorativum mortis Christi, multaque adnectit de animæ munditia et aliis dotibus ad sacram communio-

(1) Wright., p. ܪܡܗ seq.: ܚܕ ܗܘ ܬܪܥܐ ܐܝܬ ܠܗ ܠܒܝܬܟ ؛ ܕܗܘܝܘ ܗܝܟܠܗ ܕܐܠܗܐ . ܘܠܐ ܦܐܐ ܠܟ ܐܘ ܒܪ ܐܢܫܐ ؛ ܕܡܢܗ ܬܪܥܐ ܕܡܠܟܐ ܥܐܠ ܒܗ ؛ ܕܢܦܩܘܢ ܡܢܗ ܛܝܢܐ ܘܨܐܐ . ܟܕ ܓܝܪ ܐܢܫ ܦܪܝܫ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܚܛܗ̈ܐ ؛ ܘܢܣܒ ܦܓܪܗ ܘܕܡܗ ܕܡܫܝܚܐ ؛ ܢܛܪ ܒܥܘܡܩܐ ܦܘܡܗ ܕܥܐܠ ܒܗ ܒܪ ܡܠܟܐ . ܠܐ ܫܦܝܪ ܠܟ ܐܘ ܒܪܢܫܐ ؛ ܕܡܢ ܗܘ ܦܘܡܟ ܬܦܩ ܡ̈ܠܐ ܛܢܦܬܐ .

(2) Wright., p. ܠܒ : . ܠܐ ܡܬܕܟܝܢ . ܐܠܐ ܐܢ ܥܡܕܘ ܒܡ̈ܝܐ ܕܡܥܡܘܕܝܘܬܐ . ܘܢܣܒܘ ܦܓܪܗ ܘܕܡܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܕܡܐ ܒܕܡܐ ܡܬܚܣܐ . ܘܦܓܪܐ ܒܦܓܪܐ ܡܬܕܟܐ . ܘܚܛܗ̈ܐ ܒܡ̈ܝܐ ܡܬܚܣܝܢ .

nem requisitis. Horum omnium quoddam specimen in medium proferre liceat (1).

« Audisti, amice, quæ tibi de hoc paschate dixi, ejus nempe figuram priori populo datam fuisse et ipsius veritatem inter gentes hodie prædicari..... Profecto verus agnus est Salvator noster, anniculus, idemque immaculatus, prout de eo testatus est propheta (2) : *Non est in ipso iniquitas, neque dolus in ore ejus inventus est; sed voluit Dominus eum deprimere et tormentis tradere.* Dictus est anniculus, eo quod peccatorum immunis, ut parvulus, fuerit. Unde ipse discipulos sic alloquebatur (3) : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Isaias vero de justo hæc habet (4) : *Puer qui peccat maledictioni suberit, et ideo morietur, non secus ac senex centum annos natus.* — Porro Salvator noster nocte legali, quæ est decima quarta, agnum paschalem cum discipulis comedit, iisque loco paschatis præfigurativi hujus adimpletionem exhibuit. Postquam enim ab eis discessit Judas, sumpsit Jesus panem, huic benedixit, eumdemque dedit discipulis suis, dicens (5) : *Hoc est corpus meum; accipite et comedite ex eo omnes.* Tum vinum etiam consecravit, ista proferens (6) : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quando in unum convenietis, hoc facite in meam commemorationem.* Talia quidem

(1) Wright., p. لهو seqq.
(2) Isaiæ LIII, 9, 10.
(3) Matt. XVIII, 3.
(4) Isaiæ LXV, 20.
(5) Matt. XXVI, 26.
(6) Ibid., vv. 27 et 28.

pronuntiavit Dominus noster antequam comprehenderetur. Dein, cum pascha celebravisset et corpus suum edendum sanguinemque potandum præbuisset, surrexit et cum discipulis se contulit ad locum in quo capiendus erat. Qui corpus suum comedit et suum bibit sanguinem mortuis annumeratur; propriis autem manibus Dominus noster, antequam crucifigeretur, corpus suum edendum et sanguinem bibendum suppeditaverat. Dein nocte decima quarta comprehensus est, ejusque causa usque ad horam sextam coram judicibus agitata, hoc tempore condemnatus et in crucem actus est.... Nocte vero qua exeunte illucescit primus hebdomadæ dies, eadem hora qua corpus suum et sanguinem discipulis dederat, resurrexit a mortuis..... Pascha Judæorum dies est decima quarta, noctemque et diem complectitur; illa autem parasceves dies, qua Christum passum esse dicimus, dies fuit decima quinta, item nocte et die conjunctis.... Judæi peccata sua singulis annis recolunt; nos memoriam celebramus crucifixionis et opprobriorum Salvatoris nostri. Illi enim paschatis tempore e servitute Pharaonis erepti sunt, et die crucifixionis liberati sumus nos a jugo Satanæ; immolarunt illi agnum sumptum e grege ovium, ejusque sanguine servati sunt ab angelo exterminatore, et nos sanguine Filii electi exonerati fuimus operibus perditionis quæ feceramus; illis præfectus erat Moyses, et nobis Jesus fuit Dux et Salvator; Moyses coram illis divisit mare, eosque trajecit, et Redemptor noster infernum aperuit, portisque confractis, non solum aditum sibi patefecit et ad interiora loci penetravit, sed exitum præbuit iis omnibus qui in ipsum credunt; illi manna cibum acceperunt, nobis autem Dominus noster corpus suum

edendum præbuit; illis aquæ ex rupe manarunt, et Salvator noster aquas vivas e sinu suo nobis propinavit. Advertas carissime, quomodo Dominus præceperit ut agnus ille paschalis in una domo, non in pluribus domibus, ederetur (1) : unica illa domus est Ecclesia Dei.—Præscriptum etiam erat *ut a comestione arcerentur mercenarii et advenæ* (2) : quinam autem sunt mercenarii et advenæ, nisi ii qui perversas sectantur doctrinas et quibus ideo non licet pascha comedere? De istis Salvator noster (3) : *Mercenarius, cujus non sunt oves propriæ, statim ac vidit lupum venientem, relicto grege, aufugit.* — Insuper jussi sunt Israelitæ (4) *non comedere ex agno crudum quid, vel coctum aqua;* cujus præcepti significatio manifesta est : sacrificium videlicet in Ecclesia Dei offerri solitum igne assari, non vero aqua coctum aut crudum adhiberi. — Hæc præterea mandavit Deus (5) : *Ita comedetis agnum : renes vestros accingetis, calceamenta in pedibus et in manibus baculos habebitis;* in quibus latent præstantissima mysteria. Qui enim vesci vult Christo, vero agno, renes suos fide accingit, pedes suos zelo pro Evangelio calceat et manu gerit gladium spiritus, id est, Dei verbum. — Quod ulterius adjectum est (6) : *Nullum ossium ejus frangetur*, adimpletum est die qua Christum crucifixerunt, dum non Jesu, sed illorum qui cum ipso crucifixi erant fregerunt crura; unde advertit Evangelista (7) tunc *evenisse quod*

(1) *Exod.* XII, 46.
(2) Ibid., v. 45.
(3) Joan. X, 12.
(4) *Exod.* XII, 9.
(5) Ibid., XII, 11.
(6) Ibid., XII, 46.
(7) Joan. XIX, 36.

*scriptum fuerat : Nullum ossium ejus comminuetur.* — Alia est imposita lex (1), *ne servus emptitius, priusquam carnem præputii sui resecuerit, pascha comedat* : servus autem emptitius est homo peccatis deditus, qui, pœnitentiam agens, Christi sanguine redimitur, et demum postquam a corde suo opera mala abscidit, ad Baptismum, verum circumcisionis complementum, pervenit, sicque populo Dei adjungitur et particeps efficitur corporis atque sanguinis Christi. — Illud quoque quod præceptum est (2) : *Comedetis festinantes*, in Ecclesia Dei observatur, ubi fideles cum timore et tremore, festinantes et stantes agnum manducant, quoniam properant vitam haurire ex largitione Spiritus quem acceperunt. Illa enim paschatis nocte, quando liberatio ipsis contigit, Israelitæ in medio mari baptizati fuere, et Salvator noster, nocte paschatis, lavit pedes discipulorum, Baptismum mystice significans.... Postquam autem, pedibus eorum ablutis, recubuit, corpus suum et sanguinem dedit eis. »

Eucharistiam qua sacrificium est, expressius respicere videtur Sapiens Persa ubi, in *Epistola XVI*, ostendens veteri œconomiæ novam substitutam esse et gentes in locum populi Judaici suffectas, principium istud et in sacrificiis verum comprobari sic exponit (3) : « Prædixit etiam propheta gentes loco populi (Israelitici) oblaturas sacrificia. Hæc enim sunt ipsius verba (4) :

(1) *Exod.* XII, 44.
(2) Ibid., XII, 11.
(3) Wright., p. ܫܦܓ seq.: ܘܬܘܒ ܐܡܪ ܢܒܝܐ ܥܠ ܥܡܡܐ ܕܗܘܘ ܠܗܘܢ ܡܩܪܒܝܢ ܩܘܪܒܢܐ ܚܠܦ ܥܡܐ . ܐܡܪ ܓܝܪ ܕܡܢ ܡܕܢܚ

(4) Malach. I, 11.

*Magnum est nomen meum in gentibus et in omni regione offeruntur nomini meo victimæ mundæ.* Israelem vero ita compellat propheta (1) : *Oblationes vestræ non placebunt mihi;* et dein (2) : *Victimæ vestræ mihi non sunt acceptæ.* »

Et hæc quidem de Eucharistia. Nec plura addere necesse videtur, cum ex dictis constet illam, juxta Aphraatem, esse simul et novæ legis Sacrificium, sacrificii cruenti in cruce oblati commemorativum, et Sacramentum, sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Christi continens, cumque idem insuper nos docuerit hujus Sacramenti materiam et formam, neque omiserit animi conditiones ad id digne recipiendum necessarias; ad quas profecto et ille priorum sæculorum ritus pertinet, quo Eucharistia iis qui per Baptismum ab omnibus peccatis mundati erant, nulla mora interjecta, ministrabatur.

## VIII. *Aphraatis doctrina de confessione sacramentali.*

Præclara omnino sunt, ideoque nobis non prætermittenda, quæ tradit Sapiens Persa de necessitate confessionis sacramentalis ad obtinendam peccatorum remissionem.

In ea enim *Epistola* quam de pœnitentiæ virtute conscripsit, mira quadam suavitate nec minore orationis

ܒܥܡ̈ܡܐ . ܘܒܟܠ ܐܬܪ ܡܬܩܪܒܝܢ ܒܫܡܝ ܩܘܪ̈ܒܢܐ ܕܟ̈ܝܐ . ܥܠ
ܐܝܣܪܝܠ ܐܡܪ ܢܒܝܐ ܕܩܘܪ̈ܒܢܝܟܘܢ ܠܐ ܐܪܓܝܬ . ܘܬܘܒ ܐܡܪ ܕܠܐ ܩܒܝܠܝܢ
ܠܝ ܕܒ̈ܚܝܟܘܢ .

(1) Jerem. VI, 20.
(2) Ibidem.

vehementia, exemplis præsertim ex Scriptura congestis, Dei commendat misericordiam, peccatoresque monet ne reconciliationis gratiam, quæ unicuique in hac vita semper præsto est, respuant vel negligant. Porro inter conditiones veniæ a Deo impetrandæ et integritatis spiritualis reparandæ hæc imprimis inculcatur, ut qui deliquit culpas suas iis manifestet, qui, potestate clavium instructi, vulneribus acceptis remedium aptum adhibere possunt. Digna sunt auctoris verba quæ oculis lectoris subjiciantur et diligenti pensentur examine.

« Omnibus doloribus, ait (1), sunt medicamenta, sananturque, modo prudens medicus illos noverit; et iis qui in certamine nostro plagis affecti fuerint paratum est pœnitentiæ pharmacum, quo vulneribus imposito reficiantur. O medici, discipuli sapientis nostri medici, accipite remedium illud, quo languentium vulnera sanetis. Bellatoribus enim qui in prælio ab hoste percussi sunt si peritus adsit medicus, solerter inquirit hic qua ratione illis medeatur, et postquam eosdem sanavit, muneribus et honore a rege donatur. Simili modo, carissime, ei qui in pugna nostra decertat et, hosti suo

(1) Wright., p. ܩܠܗ seq.: ܠܟܠ ܟܐ̈ܒܐ ܐܝܬ ܣܡ̈ܡܢܐ ܘܡܬܐܣܝܢ . ܡܐ ܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ ܢܫܟܚ ܐܢܘܢ . ܘܠܐܝܠܝܢ ܕܐܬܡܚܝܘ ܒܐܓܘܢܐ ܕܝܠܢ . ܐܝܬ ܠܗܘܢ ܣܡܐ ܕܬܝܒܘܬܐ . ܕܣܝܡܝܢ ܠܗ ܥܠ ܡܚ̈ܘܬܗܘܢ ܘܡܬܚܠܡܝܢ ◆ ܐܘ ܐܣ̈ܘܬܐ ܬܠܡܝ̈ܕܘܗܝ ܕܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ . ܣܒܘ ܠܟܘܢ ܣܡܐ ܗܢܐ . ܕܒܗ ܬܚܠܡܘܢ ܡܚ̈ܘܬܐ ܕܟܪ̈ܝܗܐ . ܦܠ̈ܚܐ ܓܝܪ . ܕܡܬܡܚܝܢ ܒܩܪܒܐ ܡܢ ܐܝܟ ܗܘ ܡܢ ܕܡܬܟܬܫ ܒܗܘܢ . ܡܢ ܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ ܡܬܚܦܛ ܠܗܘܢ . ܡܬܚܦܛ ܠܗܘ ܠܐܣܘܬܗܘܢ . ܕܢܣܒ ܠܡܬܩܢܘܬܐ . ܘܗܘܐ ܕܡܚܠܡ ܠܗ ܐܣܝܐ ܠܗܘ ܕܡܚܐ ܒܩܪܒܐ . ܡܬܝܗܒ ܡܘܗܒܬܐ ܘܐܝܩܪܐ ܡܢ ܡܠܟܐ . ܗܟܢܐ ܚܒܝܒܝ . ܡܢ ܕܡܬܟܬܫ ܒܐܓܘܢܐ ܕܝܠܢ . ܘܐܬܐ ܒܥܠܕܒܒܗ

occurrens, ab hoc percussus fuit, si ob vulnus acceptum magnopere doleat, concedere oportet pœnitentiæ medicamentum. Deus quippe pœnitentes non rejicit. Nam dicit propheta Ezechiel (1) : *Non morte peccatoris delector, sed opto ut, a via sua mala conversus, vivat.* Virum qui in acie vulneratus est non pudet tradendi sese manibus medici sapientis, quoniam propter certaminis vehementiam plaga affectus fuit; idemque, cum sanatus fuerit, a rege non respuitur, sed militibus denuo accensetur. Ita qui a dæmone vulnus accepit non debet rubore prohiberi quominus delictum suum confiteatur, illud relinquat et pœnitentiæ remedium postulet. Quem enim pudet vulneris manifestandi, eum mox inficit gangræna, toti corpori nocumentum afferens. Qui non erubuit convalescit a vulnere et ad pugnam revertetur; contra si quem contagio semel invaserit, is

ܠܟܠܗܘܢ ܡܟܐܒܐ ܠܗ . ܘܠܐ ܠܡܟܠܝܘ ܠܗ ܣܡܐ ܕܬܝܒܘܬܐ . ܡܢ ܠܘܬ
ܬܝܒܐ ܕܗܘ ܡܬܟܫܦܝܢ ܠܗ ܠܐ ܣܠܐ . ܡܛܠ ܕܐܠܗܐ ܠܐ ܡܣܠܐ ܠܬܝ̈ܒܐ . ܐܡܪ
ܚܙܩܝܐܝܠ ܢܒܝܐ . ܕܠܐ ܨܒܐ ܐܢܐ ܒܡܘܬܗ ܕܚܛܝܐ . ܐܠܐ ܕܢܬܘܒ
ܡܢ ܐܘܪܚܗ ܒܝܫܬܐ ܘܢܚܐ . ܠܐ ܒܗܬ ܓܒܪܐ ܗܘ ܕܒܩܪܒܐ ܡܬܚܒܠ ܕܢܬܠ ܢܦܫܗ
ܠܐܝ̈ܕܝ ܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ . ܡܛܠ ܕܒܚܣܝܢܘܬ ܩܪܒܐ ܐܬܡܚܝ . ܘܗܘ
ܕܐܬܐܣܝ . ܠܐ ܡܣܠܐ ܠܗ ܡܠܟܐ . ܐܠܐ ܒܓܘ ܡܢܝܢܗ ܕܚܝܠܐ ܡܬܡܢܐ ܠܗ .
ܗܟܢܐ ܠܐ ܘܠܐ ܕܢܒܗܬ ܒܪܢܫܐ ܕܫܐܕܐ ܡܚܐ ܠܗ . ܕܢܘܕܐ ܚܛܝܬܗ .
ܘܢܫܒܘܩ ܡܢܗ . ܘܢܒܥܐ ܠܗ ܣܡܐ ܕܬܝܒܘܬܐ . ܡܛܠ ܕܡܢ ܕܒܗܬ ܕܢܚܘܐ
ܡܚܘܬܗ . ܡܚܕܐ ܠܗ ܠܐܟܠܬܐ . ܘܠܟܠܗ ܦܓܪܗ ܡܝܬܝܐ ܢܟܝܢܐ . ܘܡܢ
ܕܠܐ ܒܗܬ ܡܬܐܣܐ ܡܚܘܬܗ . ܘܗܦܟ ܗܘ ܠܡܦܩ ܠܩܪܒܐ . ܘܐܝܢܐ
ܕܡܢܐ ܚܠܝܡܘܬܐ ܠܗܘܢ ܠܐ ܡܨܐ ܠܡܬܐܣܝܘ . ܘܐܢܫܐ ܕܡܚܠ ܠܐ ܠܩܪܒ .

(1) Ezech. XVIII, 23; XXXIII, 11.

vires deinceps recuperare et arma, quæ deposuit, induere non poterit. Sic etiam qui in pugna nostra superatus est hanc habet viam recuperandæ sanitatis, ut dicat : Peccavi, et petat pœnitentiam; qui vero erubescit nequit sanari, quoniam vulnera sua non vult manifestare medico qui duos denarios accepit, ut eis salutem omnibus qui sauciati fuerint restituat.

« Vos autem, medici, qui discipuli estis illustris medici nostri, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est. Si quis plagam suam vobis ostenderit, pœnitentiæ remedium ipsi adhibete; quem vero pudet infirmitatis suæ revelandæ, hunc adhortemini ne eam vos celet, eamdemque vobis patefactam nolite (aliis) manifestare, ne propter illum etiam innocentes rei æstimentur ab inimicis et iis qui nos oderunt. Si milites interfecti ceciderint, exercitum debilissimum esse judicant hostes; et viri qui mansere incolumes commilitonum quos sauciatos repererint vulnera curant, neque

ܗܟܢܐ ܡܢ ܕܡܬܬܒܪ ܒܐܓܘܢܐ ܕܝܠܢ . ܐܝܬ ܠܗ ܗܢܐ ܦܘܪܣܐ ܕܢܬܐܣܐ .
ܡܢ ܠܡܐܡܪ ܕܚܛܝܬ . ܘܢܒܥܐ ܬܝܒܘܬܐ . ܘܐܝܢܐ ܕܒܗܬ . ܠܐ ܡܫܟܚ
ܕܢܬܐܣܐ . ܡܛܠ ܕܠܐ ܨܒܐ ܕܢܓܠܐ ܡܚܘܬܗ ܠܐܣܝܐ ܕܢܣܒ ܬܪ̈ܝܢ ܕܝܢܪ̈ܝܢ .
ܕܒܗܘܢ ܡܐܣܐ ܠܟܠܗܘܢ ܕܡܬܡܚܝܢ ✤ ܘܐܦ ܠܟܘܢ ܐܘ ܐܣ̈ܘܬܐ
ܬܠܡ̈ܝܕܘܗܝ ܕܐܣܝܐ ܢܨܝܚܐ ܕܠܐ ܬܟܠܘܢ ܐܣܝܘܬܐ . ܡܢ ܡܢ ܕܣܢܝܩ
ܕܢܬܐܣܐ . ܡܢ ܕܡܚܘܐ ܠܟܘܢ ܡܚܘܬܗ . ܗܒܘ ܠܗ ܣܡܐ ܬܝܒܘܬܐ .
ܘܡܢ ܕܒܗܬ ܕܢܓܠܐ ܟܐܒܗ . ܐܠܦܘܗܝ ܕܠܐ ܢܟܣܝܗ ܡܢܟܘܢ . ܘܡܐ
ܕܓܠܐ ܠܟܘܢ . ܠܐ ܬܦܪܣܘܢܝܗ . ܕܠܐ ܡܛܠܬܗ . ܐܦ ܙܟܝ̈ܐ ܢܬܚܫܒܘܢ ܠܗܘܢ
ܚܝ̈ܒܐ . ܡܢ ܣܢ̈ܐܐ ܘܒܥܠܕܒ̈ܒܐ . ܗܝܕܐ ܐܝܟܐ ܕܡܬܩܛܠܝܢ ܦܠܚ̈ܐ ܡܢܗ .
ܡܬܚܫܒܐ ܠܗ ܡܚܝܠܘܬܐ ܡܢ ܒܥܠܕܒ̈ܒܝܗܘܢ . ܘܗܢܘܢ ܐܢܫ̈ܐ
ܕܡܫܬܟܚܝܢ ܠܡܐܣܝܘ ܚܒܪ̈ܝܗܘܢ . ܗܢܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܠܐ ܐܬܡܚܝܘ . ܡܐܣܝܢ
ܡܚܘ̈ܬܗܘܢ ܘܠܐ ܡܓܠܝܢ ܠܒܥܠܕܒ̈ܒܝܗܘܢ . ܐܦ ܕܝܢ ܠܡܠܟܗ

eos in hostium notitiam venire sinunt : si enim res cuique manifesta fieret, inde male audiret universus exercitus; insuper rex, qui copias ducit, iis irascitur qui infamiam cohortibus suis inspergunt, illisque infligit plagas vulneribus inter præliandum acceptis graviores.

« Quod si vulnerati ulcera sua detegere nolint, medici, quamvis infirmos non sanaverint, ab omni reprehensione immunes erunt. At qui plagam sibi illatam abscondunt, ad arma dein induenda inhabiles fiunt; eorum enim corpora gangræna inficiuntur; quicumque autem, hac affecti, arma induere et pugnæ sese committere præsumpserint, illis armis mox incalescunt et, ulceribus tabescentibus atque putrescentibus, tandem moriuntur. Quorum cadaveribus repertis, iis quos vulnera celaverant derisioni est tota ista agendi ratio, qua dolorem plagarum suarum occultaverunt; mortuorum vero corpora sepultura non donantur, ipsique habentur mali,

ܡܬܒܪܝܢ ܠܟܠܗܘܢ. ܡܛܠ ܠܗܘ ܚܒܠܐ ܥܡܐ ܕܥܠܘܗܝ ܡܬܚܪܝܢܘܬܐ. ܘܐܦ
ܡܠܟܐ ܡܕܒܪܢܗ ܕܚܝܠܐ. ܪܓܙ ܥܠ ܗܠܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܡܨܥܪܝܢ ܡܫܪܝܬܗ.
ܘܡܚܐ ܠܗܘܢ ܡܚܘܬܐ. ܕܥܫܝܢ ܡܢ ܕܗܢܘܢ ܕܩܒܠܘ ܒܩܪܒܐ. ܐܢ
ܕܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܐܬܡܚܝܘ ܠܐ ܢܨܒܘܢ ܕܢܓܠܘܢ ܥܠ ܡܚܘܬܗܘܢ. ܐܣܘܬܐ
ܪܫܝܐ ܡܢܗܘܢ ܠܐ ܚܣܝܢ. ܥܠ ܕܠܐ ܐܣܝܘܗ ܠܟܪܝܗܐ ܕܐܬܡܚܝܘ. ܐܘ
ܕܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܡܟܣܝܢ ܕܠܗܘܢ ܡܚܘܬܗܘܢ. ܠܘܬ ܙܝܢܐ ܠܐ ܡܬܚܫܚܝܢ
ܠܡܠܒܫ. ܡܛܠ ܕܣܪܝܘܬܐ ܡܠܗ ܒܦܓܪܝܗܘܢ. ܘܡܢ ܕܣܪܝܘܬܐ ܐܝܬ
ܠܗܘܢ. ܘܡܡܪܚܝܢ ܠܡܠܒܫ ܙܝܢܐ. ܘܢܦܩܝܢ ܠܡܩܪܒ ܐܡܪܚܐܝܬ.
ܙܝܢܝܗܘܢ ܡܫܚܢ ܠܟܠܗܘܢ. ܘܡܬܪܝܢ ܘܡܬܡܣܝܢ ܡܚܘܬܗܘܢ ܘܡܬܡܘܬܝܢ.
ܦܓܪܐ ܕܡܬܡܣܝܢ ܡܫܟܚܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܟܣܝܘ ܡܚܘܬܗܘܢ. ܘܡܓܚܟ
ܗܘ ܓܚܟܝܢ ܥܠ ܟܠܗ ܡܘܙܥܗܘܢ. ܥܠ ܕܟܣܝܘ ܟܐܒܐ ܕܡܚܘܬܗܘܢ.
ܘܐܦ ܠܐ ܦܓܪܝܗܘܢ ܡܬܩܒܪܝܢ ܠܩܒܘܪܐ. ܘܡܬܚܫܒܝܢ ܠܗܘܢ ܒܝܫܐ

amentes et impudentes. Verum ille etiam qui, vulnere manifestato, convaluit, ei parti invigilet quæ sanata est, ne ibidem iterum saucietur. Dum enim alicui altera infertur plaga, hujus curatio medico, quamvis perito, ardua est, quia omnis cicatrix refricata non jam tollitur, vel saltem convalescenti eadem impedimento est ne arma induere possit, vel denique, etiamsi hic arma adhuc assumere audeat, cedendi tamen in prælio consuetudinem contraxit......

« Iterum adhortor vos, o qui percussi fuistis, ne vos pudeat dicendi : In certamine superati sumus. Accipite medicamentum quod gratis offertur, convertimini et vivite, antequam neci tradamini. Vobis autem, medici, in memoriam id revoco quod legitur in Scripturis prudentis medici nostri, pœnitentiam scilicet ab ipso non rejici....... Audite et vos, qui claves portarum cœli tenetis, et ostium aperite pœnitentibus. Memores sitis eorum quæ monuit beatus Apostolus (1) : *Si quis ex*

ܘܫܢ̈ܝܐ ܘܡܪ̈ܝܚܐ . ܘܐܦ ܡܢ ܕܐܬܐܣܝ ܒܡܚܘܬܗ ܡܬܓܠܝܬܐ . ܢܙܕܗܪ ܡܢ ܗܘ ܕܘܟܐ ܕܐܬܐܣܝܬ . ܕܠܐ ܢܬܚܒܠ ܒܗ ܕܬܪ̈ܬܝܢ ܙܒ̈ܢܝܢ . ܡܛܠ ܕܡܢ ܕܡܚܐ ܬܪ̈ܬܝܢ ܙܒ̈ܢܝܢ . ܐܦ ܠܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ ܥܣܩܐ ܗܝ ܐܣܝܘܬܗ . ܡܛܠ ܕܟܠ ܡܚܘܬܐ ܕܡܬܦܩܠܐ ܗܘܝܐ . ܠܐ ܡܬܐܣܝܐ . ܘܐܦ ܡܢ ܕܚܠܡ ܬܘܒ ܬܬܐܠܐ . ܐܠܐ ܠܐ ܡܫܟܚ ܠܡܠܒܫ . ܘܐܦ ܐܢ ܐܠܐ ܠܡܬܢܣ ܘܠܡܠܒܫ . ܢܣܒ ܠܗ ܥܝܕܐ ܕܢܦܠܘܬܐ + ........

ܐܦ ܠܟܘܢ ܡܠܟ ܐܢܐ ܠܡ̈ܚܝܐ ܕܡܬܡܚܝܢ . ܕܠܐ ܬܒܗܬܘܢ ܠܡܐܡܪ ܕܐܬܙܟܝܢ ܒܐܬܠܬܐ . ܣܒܘ ܠܟܘܢ ܣܡܐ ܕܠܐ ܕܡܝܢ . ܘܬܘܒܘ ܘܚܝܘ . ܥܕ ܠܐ ܬܬܡܣܪܘܢ . ܠܟܘܢ ܕܝܢ ܡܥܗܕ ܐܢܐ ܐ̈ܣܘܬܐ . ܡܕܡ ܕܟܬܝܒ ܒܟܬ̈ܒܘܗܝ ܕܐܣܝܐ ܚܟܝܡܐ . ܕܗܘ ܠܐ ܡܐܣ ܠܬܝܒܘܬܐ ............ ܫܡܥܘ ܐܦ ܐܦ ܐܢܬܘܢ ܐ̈ܚܝܕܝ ܩܠܝܕܐ ܕܬܪ̈ܥܐ ܕܫܡܝܐ . ܘܦܬܚܘ ܬܪܥܐ ܠܬܝ̈ܒܐ .

(1) Galat. VI, 1.

*vobis delicto irretitus fuerit, vos, qui spirituales estis, eum in spiritu lenitatis instruite; sitis autem solliciti, ne vos quoque tentemini.* »

Hactenus Aphraates, qui pluribus adhuc in eumdem sensum disserit. Jamvero patet iis quæ recitavimus contineri testimonium luculentissimum pro dogmate catholico de efficacia et necessitate confessionis sacramentalis. Qui enim peccatum (utique grave) admisit, is, ex auctoris doctrina, modo vulnus suum medico spirituali seu ei qui potestatem clavium accepit detegat, hoc est, modo culpam, de ea tamen dolens et proponens emendationem, sacerdoti revelaverit, sanabitur; si quem vero malesana verecundia ab hujusmodi sincera manifestatione retraxerit, hic peccati sanie tabescet et misere peribit. Quod autem probe notandum est, istius confessionis materiam, eamque necessariam, constituunt animæ lapsus et vulnera non publica tantum, verum etiam occulta, talia nempe quibus, nisi ab ipso reo patefacta fuerint, medicus, utpote illorum ignarus, fomenta admovere nequit, et quæ, vel uni exhibita, pudorem confusionemque parere nata sunt atque ideo a nonnullis omnino reticentur. Cæterum delicta hæc non aliis, nisi ministris judicandi munere fungentibus retegenda sunt, iique monentur ne, culpas evulgando, confitentes ignominia afficiant.

Ex his colliges quid sentiendum sit et respondendum, si quis contendere vellet, nequaquam de Sacramento pœnitentiæ apud Sapientem Persam sermonem esse,

ܐܬܚܫܒܘ ܠܡܠܬܐ ܕܐܡܪ ܡܫܝܚܐ ܦܪܘܩܢ . ܕܐܦ ܐܢܬܘܢ ܡܠܟܝܢ ܠܟܘܢ ܠܐܣܘܬܐ
ܒܫܒܠܬܐ . ܐܝܠܝܢ ܐܣܝܐ ܕܚܪܝܢ ܐܝܠܝܢ ܐܬܝܗܒܘ ܒܪܘܚܐ ܡܚܡܕܬܐ .
ܘܗܘܝܢ ܠܗܘܢ ܠܟܠ ܗܘ ܕܚܪܝܢ . ܕܢܟܝܬܐ ܐܦ ܐܝܠܝܢ ܬܬܢܘܢ .

sed de publica pœnitentia et confessione. Istud assertum quam futile sit et risu verius quam confutatione excipiendum, ostendunt quæcumque adhuc de scriptoris textu animadversa fuere.

Et sane ut jam omittam in eo plurima esse quæ de sola confessione secreta explicari possint, hoc in memoriam revocare lubet : discrimen esse inter *pœnitentiam publicam* et *confessionem publicam*, et illam quidem præceptam olim fuisse, licet pro quibusdam tantum criminibus gravissimis, eisdemque, juxta complures auctores, publicis, at nulla unquam Ecclesiæ lege *publicæ confessionis* necessitatem impositam esse (1).

Præterea vero constat pœnitentiam publicam seu canonicam in primæva Ecclesia nonnisi semel concessam fuisse. Hujus rei testis nobis est, e. g., S. Siricius in *Epistola I ad Himerium Tarraconensem*, n. 6 (2) : « De his vero non incongrue Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, etc. De quibus, *quia jam suffugium non habent pœnitendi*, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur; sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicæ autem mensæ convivio segregentur... » At pœnitentiam quam inculcat Aphraates nunquam, quamdiu in hoc mundo versamur, iterari non posse demonstrant tum

(1) Factum simul et facti rationem enuntiat Conc. Trid , sess. XIV cap. V *De pœnitentia* : « Etsi Christus, inquit, non vetuerit quin aliquis.... delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.»

(2) Ap. Perrone, *Prælect. theologic.* (Lovanii, 1841) tom. VI, pagg. 453 et 454.

quæ supra ex ipso adducta sunt, tum maxime quæ postea disputat, sacerdotes exhortans ne quando pœnitentiam denegent (1) : « Quidam sunt, inquit, qui, peccatum confitentes, ad pœnitentiam tamen non admittuntur. O dispensator Christi, pœnitentiam concede fratri tuo, et memineris pœnitentes a Domino tuo non sperni. Lolia in agro seminata sunt, et sementis Possessor non permisit servis suis ut illa e medio tritico ante tempus messis avellerent. Rete in mari expansum est, et donec extractum fuerit, pisces non seligentur. Famulis ab hero commissa est pecunia, et servum pœna dignum Herus ipse judicabit. Triticum et palea commista sunt, et areæ Dominus utrumque separabit, purgabitque frumentum. Multi ad convivium nuptiale invitati sunt, eum autem qui veste congrua caret Dominus in tenebras ejiciet. Virgines prudentes et fatuæ in eodem loco consistunt, novitque Sponsus quasnam sit intromissurus. — O pastores, discipuli Domini nostri, oves pascite et recte deducite......

(1) Ap. Wright., pp ܩܠܗ et ܩܠܘ : . ܐܝܬ ܠܗܘܢ ܕܡܘܕܝܢ ܣܟܠܘܬܗܘܢ
ܘܬܝܒܘܬܐ ܠܐ ܡܬܝܗܒܐ ܠܗ . ܐܘ ܪܒ ܒܝܬܐ ܕܡܫܝܚܐ . ܗܒ ܬܝܒܘܬܐ
ܠܚܒܪܟ . ܘܐܬܕܟܪ ܕܡܪܟ ܠܐ ܐܣܠܝ ܠܬܝܒܐ . ܙܝܙܢܐ ܐܙܕܪܥܘ ܒܚܩܠܐ . ܘܡܪܐ
ܙܪܥܐ ܠܐ ܫܒܩ ܠܥܒܕܘܗܝ . ܕܢܥܩܪܘܢ ܐܢܘܢ ܡܢ ܒܝܢܬ ܚܛܐ . ܥܕܡ ܐܬܐ
ܚܨܕܐ . ܘܡܨܝܕܬܐ ܦܪܝܣܐ ܒܝܡܐ . ܘܢܘܢܐ ܠܐ ܡܬܓܒܝܢ ܥܕܡܐ ܕܡܬܢܓܕܐ
ܠܝܒܫܐ . ܟܣܦܐ ܡܢ ܡܪܗܘܢ ܐܬܝܗܒ ܠܥܒܕܐ . ܘܥܒܕܐ ܚܝܒܐ ܡܪܗ ܕܐܢ
ܠܗ . ܚܛܐ ܘܬܒܢܐ ܚܠܝܛܝܢ ܐܟܚܕܐ . ܘܡܪܐ ܐܕܪܐ ܦܪܫ ܘܡܕܟܐ .
ܣܓܝܐܝܢ ܐܢܘܢ ܕܩܪܝܢ ܠܡܫܬܘܬܐ . ܘܡܢ ܕܠܝܬ ܠܗ ܠܒܘܫܐ . ܡܪܗ
ܡܦܩ ܠܗ ܠܚܫܘܟܐ . ܚܟܝܡܬܐ ܘܣܟܠܬܐ ܒܚܕܐ ܐܚܝܕܢ . ܘܡܪܗ
ܕܚܬܢܐ ܝܕܥ ܠܡܢ ܡܥܠ . ܐܘ ܪܥܘܬܐ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܕܡܪܢ . ܪܥܘ ܥܢܐ
ܘܕܒܪܘ ܫܦܝܪ ......

Accipe, amice mi, monitum hoc, quod pœnitentibus ad conversionem et justis ad cautionem proderit : mundus hic mundus gratiæ est, et donec ad finem perveniat, erit pœnitentiæ locus. Tempus appropinquat, quo, deficiente gratia, justitia regnabit nec pœnitentia admittetur. Requiescit nunc justitia, prævalente robore gratiæ. Ast adveniente justitiæ tempore, gratia pœnitentes non jam recipere volet, quoniam terminus ipsi præfixus est (hujus vitæ) exitus : qui postquam contigerit, nulla valebit pœnitentia. »

## § 2. DE DUOBUS APHRAATIS ERRORIBUS.

Recensuimus hucusque præcipuas traditionis catholicæ veritates quæ ex Sapientis Persæ scriptis probari vel aliquatenus illustrari possunt. Ad pleniorem vero auctoris ejusque operum notitiam exhibendam, reliquum est ut duo expendamus doctrinæ capita, de quibus ignorantia vel errore ipsum laboravisse notavit Georgius, Arabum Episcopus.

### I. *Aphraatis sententia de fine mundi.*

Illorum errorum prior minoris momenti est et ad

ܩܒܠ ܡܠܟܐ ܗܢܐ ܚܒܝܒܝ . ܕܡܥܕܪ ܠܬܝ̈ܒܐ . ܘܡܙܗܪ ܠܙܕܝ̈ܩܐ .
ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܕܛܝܒܘܬܐ ܗܘ . ܘܥܕܡܐ ܕܢܫܠܡ ܐܝܬ ܒܗ ܬܝܒܘܬܐ . ܩܪܝܒ
ܠܗ ܙܒܢܐ ܕܢܫܠܡ ܛܝܒܘܬܐ . ܘܡܫܬܠܛܐ ܟܐܢܘܬܐ . ܘܠܝܬ ܬܝܒܘܬܐ ܒܗ̇
ܙܒܢܐ . ܫܠܝܐ ܟܐܢܘܬܐ . ܡܛܠ ܕܚܝܠܐ ܥܒܕܐ ܛܝܒܘܬܐ . ܘܡܐ ܕܡܛܐ
ܙܒܢܐ ܕܟܐܢܘܬܐ . ܠܐ ܨܒܝܐ ܛܝܒܘܬܐ ܠܡܩܒܠܘ ܬܝ̈ܒܐ . ܡܛܠ ܕܬܚܘܡܐ
ܣܝܡ ܠܗ̇ ܡܦܩܢܐ . ܡܢ ܒܬܪ ܗܘܝܘ ܠܗ̇ ܠܐ ܥܕܪܐ ܬܝܒܘܬܐ .

tempus spectat existentiæ atque consummationis mundi, qui « sicut intra sex dies a Deo creatus fuit, ita, elapsis sex annorum millibus, finem habiturus sit (1). »

Ad hanc suam opinionem firmandam, non tantum allegat Aphraates comparationem cum tempore ad mundi effectionem insumpto, verum etiam doctorum anteriorum auctoritatem et plura S. Scripturæ effata, quæ a vera et obvia significatione miro quodam modo detorquet. Quæ ea de re profert sunt hujusmodi (2) : « Noli, carissime, illa doctrina offendi, quam tibi proposui, Deum nempe per dimidiam diei partem Hierosolymæ pepercisse. Sic enim scripsit David in psalmo nonagesimo (3) : *Mille anni ante oculos Domini tanquam dies hesterna, quæ præteriit*. Tradunt insuper sapientes doctores nostri mundum, quemadmodum intra sex dies a Deo creatus fuit, ita, elapsis sex annorum millibus, finem habiturum, futurumque tunc Dei sabbatum illius sabbati instar quod sex dies creationis excepit. Sabbati istius mentionem fecit, illudque nobis indicavit Salvator noster, dicens (4) : *Orate ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato*. Apostolus item monet (5) : *Nos manet adhuc sabbatum Dei. Strenue igitur contendamus pervenire ad requiem ejus*. »

Istam Aphraatis sententiam, quam, saltem si stricte accipiantur sex millia annorum, nemo forsan interpretum aut theologorum tueri hodie præsumeret, imo quæ,

(1) Cfr. Wright., p. ܟܗ .

(2) Ibid., pp. ܟܗ et ܟܙ . Syriaca Aphraatis verba Georgius gentium *Epistolæ* suæ inseruit, sup., pag. 36.

(3) In *Vulgata*, *Ps*. LXXXIX, 4.

(4) Matt. XXIV, 20.

(5) Hebr. IV, 9, 11.

juxta pleraque chronologiæ systemata, ipso eventu falsa comprobata est, minus mirabitur qui adverterit eamdem olim ita vulgatam fuisse, ut multi, iique non ignoti nominis, scriptores ecclesiastici ad ipsam propenderint (1). Neque Georgius gentium, dum eam expendit ac rejicit, negat complures esse illius patronos; imo Bardesanis, S. Hippolyti et S. Jacobi Doctoris, qui his propugnatoribus accensendi sunt, verba in medium adducit (2). Quibus addi possunt, inter Latinos, auctor *Quæstionum ad Orthodoxos* (3), quæ sub nomine S. Justini circumferuntur, Irenæus (4), Cyprianus (5), Victorinus (6), Lactantius (7), Hilarius (8), Gaudentius Brixianus (9), Hieronymus (10), Isidorus Hispalensis (11), Rabanus Maurus (12), aliique recentiores. Ex græcis autem consentiunt, ut cæteros mittam, Athanasius Magnus (13) et Germanus, Constantinopolitanus Patriarcha (14), qui Cyrilli Hierosolymitani et Hippolyti auctoritatem affert.

(1) De tota hac quæstione consuli possunt, ut alios taceam, Bergier, *Dictionnaire de Théologie*, ad voc. *monde*; Calmetius, *Dictionnaire de la Bible*, sub eodem vocabulo; præ cæteris vero, Cornelius a Lapide, *Commentaria in Apoc.* XX, 5, et *in Matt.* XXIV, 36.

(2) Supra, p. 28 seqq.

(3) Quæst. LXXI.

(4) *Adv. hæreses*, lib. V, capp. 28 et 29.

(5) *Ad Demetrianum*, it. *ad Fortunatum de exhortatione martyrii*.

(6) *In Apocal.* XX, 5.

(7) *Institution. divin.* lib. VII, cap. XIV.

(8) Canone XVII *in Matthæum*.

(9) *Oratione* sive *Tractatu X*.

(10) In *Expositione psalm. LXXXIX ad Cyprianum*.

(11) *Comment. in cap. V Geneseos*.

(12) *In Deuteron.*, lib. I, cap. 11.

(13) *In psalm. VI*.

(14) *Lib. de theoria rerum ecclesiasticarum*.

Prædictam porro opinionem a Judæis ad Christianos, imprimisque ad Sapientem Persam, qui frequenti cum illis commercio utebatur, transmissam esse dubitari nequit. Inter priores enim pridem usurpatur adagii instar hæc enuntiatio : *Sex millia mundus* (supple : *habebit annorum*, vel quid simile), quam a R. Helia repetendam docent, istud quasi oraculum ei in Talmude tribuentes (1) : « Sex millia annorum erit mundus, et iterum destruetur; duo millia fuerunt inanitatis (i. e. legis naturæ), duo millia legis Mosaicæ; duo millia erunt dierum Messiæ (2). » Hebræorum igitur vestigia, novis tamen rationibus adjectis, presserunt Patres quos supra nominavimus.

Ex his S. Irenæus, allatis *Geneseos* II, 2, verbis : *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*, subdit (3) : « Hoc autem est et antea factorum narratio, et futurorum prophetia. Est enim dies Domini quasi mille anni. In sex igitur diebus consummata sunt quæ facta sunt. Manifestum ergo est consummationem ipsorum sextum millesimum annum esse. Et septima die orbem judicat; et octava, quæ est futurum sæculum, alios quidem tradit in pœnam æternam, alios in vitam. Propter hoc dicti sunt psalmi pro octava. »

(1) *Gemaræ* ordine IV (נְזִיקִין), cod. IX (עֲבוֹדָה זָרָה) cap. 1.

(2) Ad confirmationem afferunt analogiam cum sex diebus creationis, quam jam antea a pluribus proponi audivimus. Addunt ad id significandum spectare sex aleph quæ in hebraico textu *Genes.* I, 1 : בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ reperiuntur : aleph enim millenarium numerum denotare, ac proinde littera illa sexies in eodem versiculo occurrente sex annorum millia, quibus cœlum et terra consistent, exprimi. Verum hæc cabalistica sunt et Judaica.

(3) In fragmento Græco quem ex Cod. ms. edidit Cotelerius in notis ad *Epistolam catholicam* S Barnabæ.

Concinit S. Cyprianus, *De Exhortatione martyrii* : « Primi, inquit, in dispositione divina septem dies annorum septem millia continentes. » — Et *ad Demetrianum* de senescente mundo ita scribit : « Scire debes senuisse jam mundum, non illis viribus stare quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere quo antea prævalebat. Hoc mundus ipse jam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur : non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia ; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est ; nec sic verna de temperie sua læta sunt ; nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est quidquid fine jam proximo in occidua et extrema devergit. » Et mox : « Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur. Cum olim ultra 800 et 900 annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur mundi ipsius senectute degenerat, ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine. » Unde postea concludit scriptor : « Quia jam mundi finis in proximo est,

ad Deum mentes vestras Dei timore convertite. » Putavit scilicet elapsa fere esse sex annorum millia, universi durationi a Deo præstituta. Id enim ipse asserit, *ad Fortunatum, de exhortatione martyrii* : « Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. »

In eumdem sensum S. Gaudentius Brixianus (1) : « Exspectamus illum vere sanctum septimi millesimi anni diem, qui adveniet post illos sex dies, millium videlicet annorum sæculi, quibus completis, requies erit veræ sanctitati et fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc utique detinebitur suppliciis religatus. »

Ipse S. Hieronymus, cujus tanta est in re scripturistica auctoritas et scientia, in epistolari *Explicatione psalmi LXXXIX ad Cyprianum*, ex illo versiculo (2) : *Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna, quæ præteriit*, infert quæ sequuntur : « Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire septenarium et octonarium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus; unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur. » — Hisce gemina scribit S. Doctor in cap. IV Michææ.

Ex adductis nominibus et testimoniis patet sententiam quam tuetur Aphraates non ipsi propriam vel singularem esse, ac proin, si erraverit, errorem istum, utpote multis communem, facili venia dignum videri. Inde simul colligitur cujus generis et roboris sint rationes

(1) *Loc. sup. cit.*
(2) *Ps.* LXXXIX, v. 4.

quæ ad eamdem doctrinam stabiliendam afferri consueverunt. De quibus illud hic advertisse sufficiat, quasdam futiles prorsus, plerasque minus firmas deprehendi, nec ulli vim cogentem inesse.

Cæterum, ut prudens hac super quæstione judicium feratur, notandum insuper est auctores antiquos, qui de ea egerunt, dubitantium vel opinantium, non asseverantium modo sæpissime locutos esse. Ita quippe S. Hieronymus, quem mox audivimus; ita et alii bene multi. Unde S. Augustinus (1), explicans mille annos de quibus *Apocalypseos* XX, 2-6 : « Mille, inquit, anni duobus modis possunt intelligi : aut quia in ultimis mille annis ista res agitur, id est sexto annorum millenario, tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur, secuturo deinde sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum quæ non habet finem; ut hujus millenarii tanquam novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo quo pars significatur a toto; — aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. » — Idem tamen, alibi (2), eos qui mundum nonnisi sex annorum millia exstiturum prædicant refellit ex verbis Christi Domini, Matt. XXIV, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater;* consentitque S. Ambrosius, libr. VII *in Lucam*.

Itaque si omnia quæ haberi possunt documenta pensentur attente et inter se conferantur, hæc veluti sponte ac necessario prodit illatio, quæstionem de tempore

(1) *De civitate Dei* lib. XX, cap. 7.
(2) *In psalm. LXXXIX*, vers. 4.

finis mundi quavis ætate intra Ecclesiæ fines libere agitatam fuisse, neque proinde concordiam in ea solvenda ullo modo, ex communi sententia, ad fidei integritatem pertinere. Hujus in opinando libertatis et discrepantiæ aliud tibi exemplum suppeditant quæ de S. Norberto, viro apostolico et ordinis Præmonstratensis fundatore, scribit oculatus et auritus testis, S. Bernardus (1) : « Quod a me de D. Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre et de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audivi. Verum de Antichristo cum inquirerem quid sentiret, durante adhuc ea quæ nunc est generatione revelandum illum esse certissime se scire protestatus est. At cum eamdem certitudinem unde haberet sciscitanti mihi exponere vellet, audito quod respondit, non me istud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. »

Posteriori adhuc tempore, sententia quæ sex millium annorum existentiam mundo assignat, minus tamen definite accepta, suos nacta est, in tanto interpretum numero, fautores et defensores. Quorum loco unum appellabo Cornelium a Lapide, qui hæc ad rem nostram spectantia habet (2) : « Hæc sententia, non definiendo certum diem nec annum, uti communis, ita probabilis est conjectura : nihil enim certi hac in re definire possumus, utpote quæ pendet a secreto Dei decreto, ne

(1) *Epistola LVI.*
(2) *In Apocalyp.* XX, 5.

audiamus illud Christi (1) : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Et hoc tantum videntur velle S. August., in Psalm. LXXXIX, v. 4, Beda, lib. de Ratione temp. c. 65, Pererius, in Genes. c. II, v. 4, Franc. Suarez, III p. disp. 53, sect. 4, Josephus Acosta, lib. I de Temp. novissim. c. 2, et aliqui alii, qui hunc computum sex millium annorum mundi respuunt, nimirum si definite et præcise intelligatur. Inde enim sequeretur, uti recte ipsi argumentantur, nos posse scire et indicare præcise annum et diem consummationis mundi et extremi judicii, scilicet diem judicii fore anno mundi primo post sexies millesimum, ejusque primo die..... Idipsum autem non sequitur, si hunc numerum sex millium annorum non arithmetice et præcise, sed geometrice et moraliter accipias, nimirum hoc sensu quod mundus duraturus sit tantum sex millenarios annorum, non plures, ac proinde non perventurus sit ad septies millesimum, sed ante eum desinet. An autem et quot anni, vel simplices, vel deni, vel etiam centeni, post sexies millesimum futuri sint et excursuri versus septies millesimum, usque ad finem mundi, hoc ignoramus. Sufficit nosse nos versari in ultimo millenario annorum mundi; an quid ei defuturum sit, an superfuturum, nos latet. » — Vides doctum interpretem simul et suam promere sententiam, et id conari, ut difficultates atque argumenta quæ opponi possent opportuna distinctione eludat. Qui conatus utrum ipsi et veritati feliciter cesserit indagare nolo.

Interim, ut eo tandem veniamus quo ab initio hujus

(1) *Actuum Apost.* I, 7.

disquisitionis tendimus, ex omnibus quæ præmissa sunt manifestum esse puto quo loco habenda sit Sapientis Persæ doctrina de tempore finis mundi : eam nempe, diversis licet conclusam limitibus, a plurimis Patribus sive ante, sive post Aphraatem, propositam esse; non defuisse etiam inter recentioris ætatis commentatores qui eidem ut probabili adhærerent vel ad eam alii magis aliis accederent; auctorem denique nostrum nullo modo ob ea quæ in præsenti materia tradidit in crimen vocari posse violatæ sive fidei, sive doctrinæ in Ecclesia communiter receptæ.

Et hæc quidem in eum demum finem dicta sint et disputata, ne iniquiorem te et severiorem judicem Aphraati præbeas. Cæterum, modo ista admittas teneasque, potes subscribere, me tibi ultro assentiente, iis quibus disceptationem a se de illa quæstione institutam claudit Georgius Arabum (1) : « Ego vero, cum audiam Salvatorem... respondentem (2) : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, parvitatis meæ mihi conscius, ut idiota dico : Annos qui ab initio mundi hactenus effluxerint, vel annos deinceps ad finem usque mundi futuros, vel etiam annos ab ejus exordio usque ad finem intercedentes, nemo inter omnes homines est, qui cognoverit, cognoscat aut cogniturus sit. »

## II. *Aphraatis doctrina de anima humana.*

Gressum nunc facimus ad Aphraatis psychologiam examinandam. In hac enim quemdam majoris momenti

(1) Opusculi hujus pagg. 36 et 37.
(2) *Loc. sup. cit.*

errorem deprehendi antea monuit Georgius (1). Ut autem ea de re prudens ferre possimus judicium, quæ ad ipsam pertinentia habet auctor primum audiamus necesse est. Præcipuum igitur locum huc facientem, qui in *Epistola de monachis* occurrit, integrum subjicimus (2).

« Prodigia multa patrata sunt a Spiritu Christi, quem prophetæ receperunt. Quamobrem nos etiam, amice, Spiritus Christi participes facti sumus, et Christus in nobis habitat, juxta id quod scriptum est; dixit enim ille Spiritus ore prophetæ (3) : *Inhabitabo in illis et inambulabo inter eos*. Nostra igitur templa Spiritui Christi præparemus, neque vexemus eum, ne a nobis recedat. Memores sitis admonitionis Apostoli (4) : *Nolite contristare Spiritum Sanctum, quo signati estis in diem redemptionis*. In Baptismo enim Spiritum Christi accepimus, siquidem ipsa hora qua Spiritum sacerdotes

(1) Sup., p. 38 seqq.

(2) Syriacum quoque textum ne omittamus ipsum rei momentum admonere videtur. Quare illum ex Wrightio, p. ܩܥܗ seqq., exscribimus, ne ea quidem parte dempta, quam Georgius, *loc. cit.*, attulit. Ambo enim fontes nonnullis variantibus lectionibus discrepant, quarum conspectu lectorem fraudatum nolumus.

ܣܓܝ̈ܐܢ ܐܠܝܢ ܐܬܘ̈ܬܐ ܕܥܒܕܬ ܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܕܢܒ̈ܝܐ ܩܒܠܘܗ̇ ܡܛܠܗܢܐ ✠
ܡܫܬܘܬܦܢܐ ܗܘܝܢ . ܐܦ ܚܢܢ ܚܒܝܒܝ ܪܘܚܗ ܗܘ ܕܡܫܝܚܐ ܩܒܠܢ .
ܘܡܫܝܚܐ ܒܢ ܥܡܪ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ . ܕܐܡܪܬ ܗܝ ܪܘܚܐ ܒܦܘܡ ܢܒܝܐ .
ܕܐܥܡܪ ܒܗܘܢ ܘܐܗܠܟ ܒܗܘܢ . ܡܟܝܠ ܢܛܝܒ ܗܝܟ̈ܠܝܢ ܠܪܘܚܗ
ܕܡܫܝܚܐ . ܘܠܐ ܢܥܝܩ ܠܗ ܕܠܐ ܢܦܢܐ ܠܗ ܡܢܢ . ܥܗܕܘ ܠܡܠܬܗ
ܕܡܙܗܪ ܠܟܘܢ ܫܠܝܚܐ . ܕܠܐ ܬܥܝܩܘܢ ܠܪܘܚܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܐܬܚܬܡܬܘܢ
ܒܗ ܠܝܘܡܐ ܕܦܘܪܩܢܐ . ܡܢ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܓܝܪ ܡܩܒܠܝܢ ܚܢܢ ܪܘܚܗ

(3) II Corinth. VI, 16.

(4) Ephes. IV, 30.

advocant, aperit hic cœlum, descendit et aquis incubat, eumque induunt qui baptizantur. Ab omnibus enim filiis carnis abest Spiritus, antequam ad nativitatem aquæ veniant; tunc autem Spiritum Sanctum accipiunt. Prima scilicet nativitate nascuntur præditi spiritu animali, qui, in medio homine creatus, immortalis est, dicente Scriptura (1) : *Factus est homo anima vivens*. Altera vero nativitate, quæ fit per Baptismum, ex parte deitatis accipiunt Spiritum Sanctum, qui et ipse immortalis est. Morientibus namque hominibus, spiritus animalis cum corpore sepelitur, sensuque privatur; at Spiritus cœlestis, quem receperant, abit ad naturam suam ad Christum. Porro ambas has veritates docuit Apostolus. Dixit enim (2) : *Sepelitur corpus animaliter et spiritualiter resurgit*. Spiritus Sanctus autem ad Christum ad

ܕܡܩܒܠܝܢܐ . ܗܢܘ ܓܝܪ ܫܡܝܐ ܕܦܬܚ ܠܫܡܝܐ . ܦܪ̈ܚܐ ܡܪܚܦܐ
ܘܠܒܫܐ . ܘܡܬܥܡܕܝܢ ܠܗ ܐܝܬ . ܘܠܒܫܝܢ ܠܗ ܐܝܠܝܢ ܕܡܥܡܕܝܢ .
ܡܢ ܟܠ ܡܠܟܘܬ ܒܢܝ ܓܝܪ ܒܣܪܐ ܗܘ ܪܘܚܐ . ܥܕܡܐ ܕܐܬܝܢ ܠܡܥܡܘܕܝܬܐ
ܕܡܝܐ . ܘܗܝܕܝܢ ܡܩܒܠܝܢ ܪܘܚ ܩܘܕܫܐ . ܒܡܘܠܕܐ ܓܝܪ ܩܕܡܝܐ .
ܡܬܝܠܕܝܢ ܒܪܘܚܐ ܢܦܫܢܝܬܐ . ܕܡܬܒܪܝܐ ܒܓܘܗ ܕܒܪ ܐܢܫܐ . ܘܠܐ
ܡܝܘܬܬܐ ܠܗܘܢ ܐܝܬܘܗܝ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ . ܕܗܘܐ ܐܕܡ ܠܢܦܫ ܚܝܐ . ܘܒܡܘܠܕܐ
ܕܬܪܝܢ ܕܒܡܥܡܘܕܝܬܐ . ܡܩܒܠܝܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܡܢ ܦܢܝܬ ܐܠܗܘܬܐ .
ܘܠܐ ܗܘܐ ܡܝܘܬܬܐ ܠܘܬ ܐܝܬܘܗܝ . ܟܕ ܡܝܬܝܢ ܓܝܪ ܒܢܝܢܫܐ .
ܡܬܩܒܪܐ ܥܡ ܪܘܚܐ ܢܦܫܢܝܬܐ ܥܡ ܦܓܪܐ . ܘܡܬܢܓܕܐ ܡܬܝܕܥܢܘܬܐ ܥܡܗ
ܥܡܗ . ܘܪܘܚܐ ܫܡܝܢܝܬܐ ܕܩܒܠܘܗ . ܐܙܠܐ ܠܗ ܠܟܝܢܗ ܠܘܬ ܡܫܝܚܐ .
ܘܬܪܬܝܗܝܢ ܗܠܝܢ ܫܪܝܪܬܐ ܐܠܦ . ܐܡܪ ܓܝܪ . ܡܬܩܒܪ ܦܓܪܐ
ܢܦܫܢܝܐ . ܘܩܐܡ ܪܘܚܢܝܐ . ܪܘܚܐ ܕܝܢ ܠܘܬ ܡܫܝܚܐ ܐܙܠܐ ܠܟܝܢܗ .

(1) *Genes*. II, 7.
(2) I Corinth. XV, 44.

naturam suam revertitur. Et ideo etiam dixit Apostolus (1) : *Quando exierimus e corpore, apud Dominum nostrum erimus*. Etenim ad Dominum nostrum abit Spiritus Christi, quem spirituales accipiunt; animalis vero spiritus in natura sua sepelitur, sensuque privatur. Spiritus Christi, si ab aliquo in puritate servatus sit, quando ad Christum discedit, sic eum alloquitur : Corpus ad quod veni et quod ab aqua Baptismi indui, in sanctitate me servavit. Et excitat Spiritus Sanctus Christum ad suscitationem corporis a quo purus custoditus est, postulatque idem Spiritus novam sui cum illo conjunctionem, in eum finem ut corpus in gloria resurgat. Ex illo autem homine qui Spiritum ex aqua acceptum vexat egreditur Spiritus ante mortem ejus, et abit ad naturam suam ad Christum, apud quem hominem qui se vexavit accusat. Porro adveniente consummationis finalis tempore atque imminente hora resurrec-

ܘܐܡܪ ܬܘܒ ܫܠܝܚܐ . ܕܐܡܬܝ ܕܢܦܩܢ ܡܢ ܦܓܪܐ ܠܘܬ ܡܪܢ ܢܗܘܐ .
ܠܘܬ ܡܪܢ ܓܝܪ ܪܘܚܐ ܕܡܫܝܚܐ ܐܙܠܐ . ܗܝ ܕܡܩܒܠܝܢ ܪ̈ܘܚܢܐ . ܘܪܘܚܐ
ܢܦܫܢܝܬܐ ܡܬܛܫܝܐ ܒܟܝܢܗ ܒܡܠܬܗ . ܘܦܪܝܫܐ ܡܪܓܫܢܘܬܐ ܡܢܗ . ܡܢ
ܕܢܛܪ ܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ ܒܩܕܝܫܘܬܐ . ܡܐ ܕܐܙܠܐ ܠܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܗܟܢܐ
ܐܡܪܐ ܠܗ . ܕܦܓܪܐ ܕܐܬܝܬ ܠܘܬܗ ܘܠܒܫܬ ܡܢ ܡܝܐ ܕܡܥܡܘܕܝܘܬܐ .
ܒܩܕܝܫܘܬܐ ܢܛܪܢܝ . ܘܡܥܝܪܐ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܠܡܫܝܚܐ . ܥܠ
ܡܩܡܬܗ ܕܦܓܪܐ ܗܘ ܕܢܛܪܗ ܕܟܝܐܝܬ . ܘܡܬܒܥܐ ܗܝ ܪܘܚܐ ܕܬܘܒ ܢܬܚܘܝܥ
ܥܡܗ . ܕܢܩܘܡ ܗܘ ܦܓܪܐ ܒܫܘܒܚܐ . ܘܐܢܫ ܕܝܢ ܕܡܥܝܩ ܪܘܚܐ ܕܩܒܠ
ܪܘܚܐ ܡܢ ܡܝܐ ܘܡܥܩ ܠܗ . ܢܦܩܐ ܠܗ ܡܢܗ . ܥܕ ܠܐ ܢܡܘܬ .
ܘܐܙܠܐ ܠܗ ܠܟܝܢܗ ܠܘܬ ܡܫܝܚܐ . ܘܡܩܒܠܐ ܠܗ ܥܠ ܗܘ ܒܪܢܫܐ
ܕܐܥܝܩܗ . ܘܡܐ ܕܡܛܐ ܙܒܢܐ ܕܫܘܠܡܐ ܐܚܪܝܐ . ܘܩܪܒ ܙܒܢܐ ܕܩܝܡܬܐ .

(1) II Corinth. V, 8.

tionis, accipiens Spiritus Sanctus qui in puritate custoditus fuerit vim magnam ex natura sua, in conspectum Christi veniet et portæ cœmeterii in quo sepulti sunt qui ipsum in puritate servaverunt adstabit, sonitum exspectans. Ubi vero angeli fores cœli ante regem aperuerint, tunc cornu vocem emittet, buccinæ clangorem edent, et, sonitu audito, Spiritus, qui exspectabat, sepulcra festinanter reserabit et corpora atque id quod in iis sepultum est suscitabit. Mortuos gloria, quam secum adduxerit, vestiet, dumque ipse in corpore ad hoc suscitandum erit, gloria corpus circumdabit ornabitque. Spiritus animalis in Spiritu cœlesti absorbebitur, hocque corpus pervadente, totus homo fiet spiritualis. Mors in vita et corpus in Spiritu absorbebitur, illeque homo, a Spiritu incitatus, obviam regi advolabit. Christus autem eum cum gaudio excipiet, gratumque se præbebit corpori quod Spiritum ipsius purum serva-

ܡܩܒܠܐ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܬܢܛܪܬ ܒܩܕܝܫܘܬܐ . ܚܝܠܐ ܪܒܐ ܡܢ ܟܝܢܗ .
ܘܐܬܝܐ ܩܕܡܘܗܝ ܕܡܫܝܚܐ . ܘܩܐܡܐ ܥܠ ܬܪܥܐ ܕܒܝܬ ܩܒܘܪܐ . ܐܬܪ
ܕܩܒܝܪܝܢ ܟܠܗ ܐܢܫܐ ܕܢܛܪܘܗܝ ܒܩܕܝܫܘܬܐ . ܘܡܣܟܐ ܠܩܠܐ . ܘܡܐ
ܕܦܬܚܘ ܡ̈ܠܐܟܐ ܬܪ̈ܥܐ ܕܫܡܝܐ ܩܕܡ ܡܠܟܐ . ܗܝܕܝܢ ܩܪܢܐ ܩܥܝܐ . ܘܫܝܦܘ̈ܪܐ
ܡܢܩ̈ܫܝܢ . ܘܫܡܥܐ ܪܘܚܐ ܕܡܣܟܝܐ ܠܩܠܐ . ܘܡܣܬܪܗܒܐܝܬ ܩܒ̈ܪܐ
ܦܬܚܐ . ܘܡܩܝܡܐ ܠܦܓܪ̈ܐ ܘܠܡܕܡ ܕܐܬܛܡܪ ܒܗܘܢ . ܘܠܒܫܐ ܠܗ
ܠܫܘܒܚܐ ܗܘ ܕܐܬܐ ܥܡܗ . ܘܗܘ ܗ̇ܘܐ ܥܡ ܠܘܬ ܩܝܡܬܗ ܕܦܓܪܐ .
ܘܫܘܒܚܐ ܡܢ ܠܒܪ ܠܐܣܟܡܗ ܕܦܓܪܐ . ܘܡܬܒܠܥܐ ܠܗ ܪܘܚܐ
ܢܦܫܢܝܬܐ . ܒܪܘܚܐ ܫܡܝܢܝܬܐ . ܘܗ̇ܘܐ ܠܗ ܟܠܗ ܪܘܚܢܐ ܕܪܘܚܐ ܒܝ
ܦܓܪܗ ܒܗ . ܘܡܬܒܠܥ ܡܘܬܐ ܒܚ̈ܝܐ . ܘܦܓܪܐ ܡܬܒܠܥ ܒܪܘܚܐ .
ܘܦܪܚ ܠܗ ܡܢ ܪܘܚܐ ܗܘ ܒܪܢܫܐ ܠܐܘܪܥܗ ܕܡܠܟܐ . ܘܡܩܒܠ ܠܗ
ܒܚܕܘܬܐ . ܘܡܩܒܠ ܡܫܝܚܐ ܛܝܒܘܬܗ ܕܦܓܪܐ ܕܢܛܪܗ ܠܪܘܚܗ ܕܩܕܝܫܘܬ .

verit. Hic porro Spiritus, amice, quem prophetæ acceperunt nosque pariter accepimus, non continuo tempore apud eos invenitur quibus datus est; at nunc ad eum a quo missus est abit, nunc vero ad eos venit qui ipsum acceperunt. Audi quæ dixit Dominus noster (1) : *Ne contemnatis unum ex his pusillis qui in me credunt, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei*. Hic igitur Spiritus sese omni tempore ad Deum confert, coram eo stat, ejus faciem contemplatur, et apud eum conqueritur de illo qui templo a se inhabitato nocumentum affert. . . . . . . . . . . . . . . . . .

« Exponam tibi, carissime, effatum illud Apostoli, quo offenduntur sectæ fallaces, diaboli instrumenta. Dixit scilicet Apostolus (2) : *Est corpus animale et est corpus spiritale, sicut scriptum est : Factus est prior Adamus anima vivens, et secundus Adamus Spiritus est vivificans*. Asserunt quidem (hæretici) alterum Adamum nos esse.

ܘܗܘ ܗܕܐ ܪܘܚܐ ܚܒܝܒܝ ܕܢܣܒܘܗ ܢܒܝ̈ܐ . ܘܢܣܒܢܗ ܐܦ ܚܢܢ . ܘܠܐ ܗܘܐ
ܒܟܠ ܐܝܟ ܙܒܢܐ ܠܘܬ ܡܩܒ̈ܠܢܘܗܝ . ܐܠܐ ܙܒܢ ܐܙܠ ܠܘܬ ܡܫܕܪܢܗ .
ܘܙܒܢ ܐܬܐ ܠܘܬ ܡܩܒܠܢܘܗܝ . ܫܡܥ ܠܡܪܢ ܕܐܡܪ ܡܢ . ܕܠܐ ܬܫܘܛܘܢ
ܚܕ ܡܢ ܗܠܝܢ ܙܥܘ̈ܪܐ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܒܝ . ܕܡܠܐ̈ܟܝܗܘܢ ܒܫܡܝܐ
ܒܟܠܙܒܢ ܚܙܝܢ ܦܪܨܘܦܗ ܕܐܒܝ . ܗܘ ܗܕܐ ܪܘܚܐ ܐܙܠ ܒܟܠܙܒܢ ܘܩܐܡ
ܩܕܡ ܐܠܗܐ . ܘܚܙܐ ܦܪܨܘܦܗ . ܘܡܢ ܕܡܚܒܠ ܠܗܝܟܠܐ ܕܫܪܐ ܒܗ .
ܡܩܒܠ ܥܠܘܗܝ ܩܕܡ ܐܠܗܐ ܀ ......

ܐܦܫܩ ܕܝܢ ܚܒܝܒܝ . ܟܠܗ ܗܝ ܡܠܬܐ ܕܐܡܪ ܫܠܝܚܐ .
ܕܡܬܬܩܠܝܢ ܒܗ ܣ̈ܝܥܬܐ ܥܒ̈ܕܘܗܝ ܕܣܛܢܐ . ܘܣ̈ܝܥܬܐ ܕܛܥܝܘܬܐ . ܐܡܪ
ܓܝܪ ܫܠܝܚܐ . ܕܐܝܬ ܦܓܪܐ ܕܢܦܫ . ܘܐܝܬ ܦܓܪܐ ܕܪܘܚ . ܗܟܢܐ ܟܬܝܒ
ܥܠܡܟ . ܕܗܘܐ ܐܕܡ ܩܕܡܝܐ ܠܢܦܫ ܚܝܐ . ܘܐܕܡ ܐܚܪܝܐ ܪܘܚܐ ܡܚܝܢܝܬܐ .

(1) Matth. XVIII, 10.
(2) I Corinth. XV, 44.

Subdit vero (Paulus) (1) : *Quemadmodum Adami terreni imaginem induimus, ita et Adami cœlestis imaginem induamus.* Terrenus nimirum Adamus ille est qui peccavit, cœlestis autem est Vivificator et Dominus noster Jesus Christus. Qui igitur Spiritum Christi accipiunt similitudinem assumunt Adami cœlestis, qui est Vivificator et Dominus noster Jesus Christus. Quod enim animale est in spirituali immergitur, sicut antea tibi significavi. Porro homo qui Spiritum Christi vexat in resurrectione animalis erit, cum ei non insit Spiritus cœlestis, a quo spiritus animalis absorbeatur; postquam resurrexerit, manebit in natura sua, Spiritu (cœlesti) non indutus; quoniam Christi Spiritum contumelia affecit, magno pudore suffundetur. Qui vero Spiritum honorat et purum custodit, illa die a Spiritu Sancto protegetur, totus spiritualis fiet nec nudus invenietur,

ܘܐܡܪܝܢ ܕܫܡܝܐ ܐܝܟ ܕܗܘ ܐܕܡ ܗܘܝܢ . ܘܐܡܪ ܕܐܝܟ ܕܠܒܫܢ ܨܘܪܬܐ ܕܗܘ ܐܕܡ ܕܡܢ
ܥܦܪܐ . ܗܟܢܐ ܢܠܒܫ ܨܘܪܬܐ ܕܗܘ ܐܕܡ ܕܡܢ ܫܡܝܐ . ܐܕܡ ܓܝܪ ܕܡܢ ܥܦܪܐ
ܗܘ ܗܘ ܕܚܛܐ . ܘܐܕܡ ܕܡܢ ܫܡܝܐ ܐܝܬܘܗܝ ܡܚܝܢܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ .
ܐܝܠܝܢ ܗܟܝܠ ܕܡܩܒܠܝܢ ܪܘܚܐ ܕܡܫܝܚܐ . ܗܘܝܢ ܒܕܡܘܬܗ ܕܐܕܡ ܫܡܝܢܐ .
ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܚܝܢܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ . ܡܛܠ ܕܡܬܒܠܥܐ ܒܗ
ܢܦܫܢܝܘܬܐ ܒܪܘܚܢܝܘܬܐ . ܐܝܟ ܕܡܢ ܠܥܠ ܟܬܒܬ ܠܟ + ܘܒܪ ܐܢܫܐ
ܕܠܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ ܡܥܝܩ . ܗܘܐ ܠܗ ܒܩܝܡܬܗ ܢܦܫܢܝ . ܡܛܠ
ܕܪܘܚܐ ܫܡܝܢܝܬܐ ܠܐ ܐܝܬܝܗ ܒܗ . ܕܬܬܒܠܥ ܒܗ ܢܦܫܢܝܘܬܐ ܐܠܐ ܡܢ
ܕܩܡ ܩܐܡ ܠܗ ܒܟܝܢܗ ܟܕ ܠܐ ܠܒܝܫ ܪܘܚܐ . ܡܛܠ ܕܨܥܪܗ
ܠܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ . ܡܬܠܒܫ ܒܒܗܬܬܐ ܪܒܐ . ܘܐܝܢܐ ܕܡܝܩܪ ܠܪܘܚܐ
ܘܢܛܪ ܠܗ ܕܟܝܐ . ܡܓܢܐ ܥܠܘܗܝ ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܒܝܘܡܐ ܗܘ .
ܗܘܐ ܠܗ ܟܠܗ ܪܘܚܢܝ . ܘܠܐ ܡܫܬܟܚ ܥܪܛܠܝ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܗܘ

(1) Ibid., v. 49.

sicut dicit Apostolus (1) : *Utinam qui vestiti sumus, non nudi inveniamur!* Hoc etiam dicit (2) : *Nos omnes dormiemus, sed in resurrectione non omnes immutabimur.* Et idem (3) : *Futurum est ut mortale hoc immortale induat, et corruptibile hoc, id quod est incorruptum; cum autem mortale hoc immortale induerit, et corruptibile hoc id quod est incorruptum, tunc evenient quæ scripta sunt : Mors victoria absorpta est.* Et iterum (4) : *Celeriter, in ictu oculi, mortui resurgent, non jam obnoxii corruptioni, et nos immutabimur.* Qui immutabuntur, ii assument similitudinem Adami cœlestis, spiritualesque erunt; at qui non immutabuntur in spiritu animali manebunt et in natura quacum creatus est Adamus terrenus; in natura sua hærebunt et in terram depressi relinquentur. Tunc rapientur cœlestes in cœlum, vo-

ܠܒܝܫܐ . ܕܐܦܠܘ ܕܝܢ ܗܟܐ ܕܠܒܝܫܝܢ ܠܐ ܢܫܬܟܚ ܥܪܛܠܝܢ . ܬܘܒ
ܐܡܪ . ܕܟܠܢ ܢܕܡܟ . ܐܠܐ ܒܩܝܡܬܐ ܠܐ ܟܠܢ ܢܫܬܚܠܦ . ܬܘܒ ܐܡܪ .
ܕܥܬܝܕ ܗܘ ܗܢܐ ܕܡܐܬ . ܕܢܠܒܫ ܠܐ ܡܐܬ . ܘܗܢܐ ܕܡܬܚܒܠ ܠܐ
ܡܬܚܒܠܘܬܐ . ܘܡܐ ܕܠܒܫ ܕܝܢ ܗܢܐ ܕܡܐܬ ܠܐ ܡܐܬ . ܘܗܢܐ ܕܡܬܚܒܠ
ܠܐ ܡܬܚܒܠܘܬܐ . ܗܝܕܝܢ ܗܘܝܐ ܡܠܬܐ ܗܝ ܕܟܬܝܒܐ . ܕܐܬܒܠܥ ܡܘܬܐ
ܒܙܟܘܬܐ . ܬܘܒ ܐܡܪ ܕܒܚܪܦܐܝܬ ܐܝܟ ܪܦܦ ܥܝܢܐ ܢܩܘܡܘܢ ܡܝܬܐ ܟܕ
ܠܐ ܡܬܚܒܠܝܢ . ܘܚܢܢ ܢܫܬܚܠܦ . ܘܗܠܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܡܫܬܚܠܦܝܢ ܠܗܘܢ .
ܗܢܘܢ ܠܒܫܝܢ ܕܡܘܬܐ ܕܗܘ ܐܕܡ ܫܡܝܢܐ . ܘܗܘܝܢ ܪ̈ܘܚܢܐ . ܘܐܝܠܝܢ ܕܠܐ
ܡܫܬܚܠܦܝܢ ܡܩܘܝܢ ܠܗܘܢ ܒܢܦܫܢܝܘܬܐ . ܒܟܝܢ ܓܒܝܠܘܬܗ ܕܐܕܡ ܕܡܢ
ܥܦܪܐ . ܘܡܩܘܝܢ ܒܟܝܢܗܘܢ ܒܐܪܥܐ ܡܫܬܦܠܘܬܐ . ܘܗܝܕܝܢ ܡܬܚܛܦܝܢ
ܫܡܝ̈ܢܐ ܠܫܡܝܐ . ܘܡܬܦܢܝܢ ܠܗܘܢ ܦܘܪܫܢܐ ܕܟܢܫܝܢ . ܘܡܬܪܡܝܢ ܡܬܠܒܫܘܬܐ

---

(1) II Corinth. V, 3.
(2) I Corinth. XV, 51.
(3) I Corinth. XV, 53, 54.
(4) I Corinth. XV, 52.

landi facultatem tribuente Spiritu quem induerint, regnumque quod ipsis ab initio præparatum est accipient. Animales contra in terra manebunt, corporum suorum gravitate detenti, descendentque in infernum ubi erit fletus et stridor dentium. »

Atque hæc Sapiens Persa. In ista autem expositione quædam apparent obscura satis et intricata, quæ Georgius, Arabum Episcopus, severe notat et reprehendit. Neque tamen omnia damnanda sunt; imo videtur Aphraates et hic veræ doctrinæ generatim inhæsisse, nec nisi in uno alterove capite dormitavisse. Plurima nimirum quæ in antecedentibus primo intuitu minus accurata videntur, haud modicam lucem accipiunt, si expendantur diligentius et præsertim cum dictis aliorum Patrum ejusdem vel superioris ætatis conferantur.

Imprimis itaque manifestum est ab Aphraate duos in homine Christiano distingui spiritus : *animalem* alterum, quo vitam primum adipiscimur, alterum *cœlestem*, qui vocatur etiam *Spiritus Sanctus* et *Spiritus Christi*. Porro quemadmodum prior est ipsa anima humana, non intelligendi tantum et volendi, sed cujuscumque vitæ in corpore organico principium, ita qui illi subinde accedit Spiritus cœlestis nihil aliud est quam Spiritus Sanctus, omnis boni supernaturalis in fidelibus fons et origo, seu tertia SS. Trinitatis persona, quatenus huic *per appropriationem*, ut aiunt, attribuitur gratiæ tam *gratis datæ* quam *gratum facientis* largitio. Nequaquam igitur ita accipienda sunt verba supra adducta ac si binas in

ܕܠܒܫܝܐ ܗܘܬ ܠܗܘܢ ܡܢ ܩܕܝܡ . ܘܢܦܫܢܝܐ ܡܬܬܣܝܡܝܢ ܠܗ ܐܪܥܐ
ܒܝܩܝܪܘܬܐ ܕܦܓܪܗܘܢ . ܘܢܚܬܘܢ ܠܫܝܘܠ . ܘܐܬܪ ܗܘܐ ܒܟܝܐ
ܘܚܘܪܩ ܫܢܐ ܀

singulis hominibus animas auctor agnosceret, more Gnosticorum et Apollinaristarum. Hanc quidem *trichotomiam*, quam vocant, ipsi a Gennadio adscriptam esse (1) haud absurde forsan dixeris, verum ista interpretatio ipso Aphraatis textu exploditur. Spiritum enim animalem tantum, non cœlestem, ex ejus sententia ad hominis naturam pertinere inde patet quod ille solus semper et omnibus mortalibus insit, hic vero fidelibus demum per Baptismum conferatur, ab eo qui ipsum per peccatum vexaverit continuo discedat et in resurrectione justis, non iniquis sit reddendus.

Hucusque igitur traditioni catholicæ consentit scriptor. Arctiorem autem affinitatem ipsius loquendi modus præ se fert cum modo loquendi quo passim utuntur plures ex iis qui primis sæculis scientia et libris editis in Ecclesia floruere; inter quos præ cæteris nominandi sunt Origenes et S. Irenæus. Hic enim contra Gnosticos, qui in homine distinguebant corpus, animam et spiritum (σῶμα, ψυχήν, πνεῦμα vel νοῦν), docet duabus partibus, corpore nempe et anima, totam naturæ humanæ compagem absolvi : ad id unum Spiritus divinus, juxta ipsum, requiritur, id unum efficit, ut homo *perfectus* evadat. Per animam homo est imago Dei, per Spiritum ad Dei similitudinem provehitur. Divinus ille Spiritus, qui nemini nisi per gratiam obtingit, iis datur qui passiones frænant et moderantur appetitus, per peccatum grave fugatur. Qui illum receperunt *pneuma-*

(1) Ita Gennadius, in *Epistola de fide sua seu de dogmatibus ecclesiasticis*, cap. XV : « Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quæ rationem ministret.» Quibus verbis de *Homiliarum* auctore agi opinatur Antonellus, *op. sæp. cit.*, præf. p. V.

*tici*, qui eodem carent *psychici* nuncupantur (1). Eadem fere sentiendi scribendique ratio occurrit apud Origenem. Quædam loca ex utroque illo auctore afferre juvat, quo Aphraatis orthodoxia, ad præsentem materiam quod attinet, ex manifestato ejus cum cæteris Patribus consensu in clariori luce ponatur.

Sic argumentatur Irenæus (2), exponens locum Apostoli (I Cor. XV, 50) : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* quo sectarii ad suas blasphemias suadendas abutebantur : « Id est quod ab omnibus hæreticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei; non conspicientes quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et spiritu : et altero quidem salvante et figurante, qui est spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter hæc est duo, quod est anima; quæ aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales dicti sunt a Domino (3) : *Sinite enim*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos;* quoniam non habent spiritum qui vivificet hominem. Quotquot autem timent Deum, et credunt in

(1) De Irenæi psychologia cfr. Stöckl, *Lehrbuch der Geschichte der Philosophie* (Mainz, 1875), pp. 282 et 283; item Schwane, *Dogmengeschichte der vornicänischen Zeit* (Münster, 1862), p. 440 seqq.

(2) *Adversus hæreses*, lib. V, cap. 9; apud Migne, *Patrol. Græcæ* tom. VII, col. 1144.

(3) Luc. IX, 60.

singulis hominibus animas auctor agnosceret, more Gnosticorum et Apollinaristarum. Hanc quidem *trichotomiam*, quam vocant, ipsi a Gennadio adscriptam esse (1) haud absurde forsan dixeris, verum ista interpretatio ipso Aphraatis textu exploditur. Spiritum enim animalem tantum, non cœlestem, ex ejus sententia ad hominis naturam pertinere inde patet quod ille solus semper et omnibus mortalibus insit, hic vero fidelibus demum per Baptismum conferatur, ab eo qui ipsum per peccatum vexaverit continuo discedat et in resurrectione justis, non iniquis sit reddendus.

Hucusque igitur traditioni catholicæ consentit scriptor. Arctiorem autem affinitatem ipsius loquendi modus præ se fert cum modo loquendi quo passim utuntur plures ex iis qui primis sæculis scientia et libris editis in Ecclesia floruere; inter quos præ cæteris nominandi sunt Origenes et S. Irenæus. Hic enim contra Gnosticos, qui in homine distinguebant corpus, animam et spiritum (σῶμα, ψυχήν, πνεῦμα vel νοῦν), docet duabus partibus, corpore nempe et anima, totam naturæ humanæ compagem absolvi : ad id unum Spiritus divinus, juxta ipsum, requiritur, id unum efficit, ut homo *perfectus* evadat. Per animam homo est imago Dei, per Spiritum ad Dei similitudinem provehitur. Divinus ille Spiritus, qui nemini nisi per gratiam obtingit, iis datur qui passiones frænant et moderantur appetitus, per peccatum grave fugatur. Qui illum receperunt *pneuma-*

(1) Ita Gennadius, in *Epistola de fide sua seu de dogmatibus eccle-sticis*, cap. XV : « Neque duas animas esse dicimus in uno homine Jacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua an[illegible] et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quæ ratio[illegible] Quibus verbis de *Homiliarum* auctore agi opinatur An[illegible] *cit.*, præf. p. V.

*tici*, qui eodem carent *psychici* nuncupantur (1). Eadem fere sentiendi scribendique ratio occurrit apud Origenem. Quædam loca ex utroque illo auctore afferre juvat, quo Aphraatis orthodoxia, ad præsentem materiam quod attinet, ex manifestato ejus cum cæteris Patribus consensu in clariori luce ponatur.

Sic argumentatur Irenæus (2), exponens locum Apostoli (I Cor. XV, 50) : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* quo sectarii ad suas blasphemias suadendas abutebantur : « Id est quod ab omnibus hæreticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei; non conspicientes quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et spiritu : et altero quidem salvante et figurante, qui est spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est [illegible] id vero quod inter hæc est duo, quod est [illegible] aliquando quidem subsequens spiritum, [illegible] aliquando autem consentiens carni, de[illegible] concupiscentias. Quotquot ergo id quod [illegible] et unitatem non habent, hi conseque[illegible] buntur caro et sanguis; quippe qui [illegible] Dei in se. Propter hoc autem et [illegible] a Domino (3) : *Sinite enim,* [illegible] *mortuos suos;* quoniam non habe[illegible] hominem. Quotquot autem [illegible]

(1) De Iren[illegible] cfr. [illegible] *Philosophie* [illegible] *geschichte d*[illegible]

(2) *Adve*[illegible] tom. VII, [illegible]

(3) Loc[illegible]

adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi, et spirituales, et viventes Deo : quia habent Spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. »

Paulo post exponitur quomodo homo terrenus a Spiritu Dei absorbeatur, transformetur ac veluti spiritualis efficiatur (1) : « Infirmitas enim carnis absorpta potentem ostendit spiritum; spiritus autem rursus absorbens infirmitatem, hæreditate possidet carnem in se : et ex utrisque factus est vivens homo; vivens quidem propter participationem Spiritus, homo autem propter substantiam carnis. Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est; non habens vitam, regnum Dei possidere non potest : sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait (2) : *Qualis terrenus, tales terreni*. Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei. Et propterea ait (3) : *Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est*. Quid est ergo terrenum? Plasma. Quid autem cœleste? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo. »

Hisce consona compluribus in locis tradit Origenes.

(1) Migne, *Patrol. Græc.* t. VII, col. 1145.
(2) I Corinth. XV, 48.
(3) Ibid., v. 49.

Ita *Commentariorum in Matthæum* tomo XVI (1) : « In hoc ergo quem expendimus Evangelii loco Servatorem *dedisse animam suam redemptionem pro multis* scriptum est (2) : at dixit Petrus (3), nos *non corruptibilibus auro vel argento redemptos esse de vana nostra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine;* ait vero Apostolus (4) : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum :* pretioso ergo Jesu sanguine empti sumus; anima vero Dei Filii redemptionis pretium pro nobis data est, non autem spiritus ejus, antea enim Patri eum tradiderat dicens (5) : *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum :* sed neque corpus, nihil enim ejusmodi de illo scriptis traditum comperimus. Et quoniam pro multis anima ipsius redemptionis pretium data est, nec apud eum remansit, cui redemptionis pretium pro multis data fuerat, idcirco in decimo quinto psalmo

(1) Ap. Migne, *Patrol. Græc.* tom. XIII, coll. 1397-1400. Sic porro sese habet textus primigenius : Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἐξεταζομένοις τοῦ Εὐαγγελίου ῥητοῖς γέγραπται ὁ Σωτὴρ ἡμῶν « δεδωκέναι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν λύτρον ἀντὶ πολλῶν· » παρὰ δὲ τῷ Πέτρῳ εἴρηται, ὅτι « οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ ἐλυτρώθημεν ἐκ τῆς ματαίας ἡμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι· » καὶ ὁ Ἀπόστολος δέ φησι· « Τιμῆς ἠγοράσθητε· μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. » Οὐκοῦν ἠγοράσθημεν μὲν τῷ τιμίῳ τοῦ Ἰησοῦ αἵματι, δέδοται δὲ λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν ἡ ψυχὴ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ οὔτε τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, πρότερον γὰρ αὐτὸ παρέθετο τῷ Πατρὶ λέγων· « Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου· » οὔτε τὸ σῶμα, οὐδὲν γὰρ εὕρομεν πω τοιοῦτον περὶ αὐτοῦ γεγραμμένον. Καὶ ἐπεὶ δέδοται ἡ ψυχὴ αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, οὐκ ἔμενε δὲ παρ' ἐκείνῳ ᾧ ἐδέδοτο λύτρον ἀντὶ πολλῶν,

(2) Matth. XX, 28.
(3) I Petr. I, 18, 19.
(4) I Corinth. VII, 23.
(5) Luc. XXIII, 46.

ait (1) : *Non derelinques animam meam in inferno.* Verum quando ad hunc locum semel perveni, perversa ac malesana se loqui eos commonefactos velim, qui Christi gloriam celebrare se existimantes, quæ ad Primogenitum omnis creaturæ pertinent cum iis confundunt quæ spectant ad animam et corpus Jesu, fortasse et ipsius spiritum. »

Manifestum igitur est ab Origene, sicut a Sapiente Persa et ab Episcopo Lugdunensi, in natura humana gratia sanctificante ornata, qualis utique erat Christi humanitas, tria distingui : *carnem*, *animam* et *spiritum*. Neque modo diverso a diversis scriptoribus tria hæc vocabula intelligi vel dissimilia de singulis prædicari, probant quæ alibi (2) habet Origenes, disserens de verbis Domini (3) : *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur et alter relinquetur* : « Duo in agro, ait, sensus hominis boni, et sensus hominis mali. Sensus bonus assumitur, malus relinquitur. Nec enim possumus dicere spiritum mali hominis non assumi, quia didici apud Ecclesiasten de omni spiritu, quoniam convertitur ad Deum qui dedit eum; sicut et de omni carne, quoniam revertitur ad terram unde sumpta est; et sicut ipse Dominus docuit nos ut timeamus *eum qui corpus et animam potest perdere in gehennam* (4); et ex eo

διὰ τοῦτό φησιν ἐν ιε´ ψαλμῷ τό· « Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην. » Γενόμενος δὲ ἅπαξ κατὰ τὸν τόπον, ὑπομνήσαιμ᾽ ἂν τοὺς φαντασίᾳ δοξολογίας τῆς περὶ τοῦ Χριστοῦ συγχέαντας τὰ περὶ τοῦ Πρωτοτόκου πάσης κτίσεως τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος Ἰησοῦ, τάχα δὲ καὶ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ.

(1) *Ps.* XV, 10.

(2) *In Matthæum commentariorum series*, n. 57; ap. Migne, *Patrol. Gr.* t. XIII, col. 1691.

(3) Matth. XXIV, 40.

(4) Matth. X, 28.

quod nihil de spiritu dixit, evidenter ostendit quoniam spiritus cum corpore vel anima peccatrice non simul punitur. Qui enim peccavit dividitur, et pars quidem ejus cum infidelibus ponitur; quod autem non ejus, revertitur ad Deum qui dedit eum. »

Paucis interjectis, in eamdem sententiam pergit (1) : « Dividit autem eum, quando spiritus quidem ejus revertitur ad Deum qui dedit eum, anima autem cum corpore suo vadit in gehennam. Justus autem non dividitur, sed anima ejus vadit cum spiritu ad regna cœlestia. Propter quod scriptum est (2) : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino.* Eorum autem qui dividuntur et deponunt spiritum revertentem ad eum qui dederat eum, et non habent postmodum in se partem aliquam quæ erat ex Deo, relinquitur eis pars eorum quæ erat ipsorum, id est anima, quæ cum corpore suo punietur a Domino veniente, cum infidelibus et hypocritis in tormentis. »

Cave autem ne his similibusque Origenis testimoniis perperam intellectis, inferas iis contineri absurdum trichotomiæ systema (3); qua interpretatione admissa, ex eorumdem convenientia cum doctrina Aphraatis non modo nulla huic commendatio accederet, verum etiam non modica contra ipsam suspicio oriretur. Illam calumniam auctor ipse a se depellit, cum sæpe asserat animam (ψυχήν) cujusvis vitæ in homine principium esse, imo passim argumenta solvat a Gnosticis ea de re afferri solita. Quare ubicumque animæ et spiritus simul men-

(1) Ejusd. tom. col. 1699.
(2) Dan. III, 86.
(3) Cfr. Stöckl, *Lehrbuch der Geschichte der Philosophie*, pp. 305 et 306.

tionem injicit, vel duobus nominibus nihil nisi duos ejusdem elementi interni status designat (1), vel theologice considerat Spiritum Sanctum inhabitantem, quo recedente per peccatum, remanet ψυχή, anima scilicet, ut ait, refrigescens.

Itaque exemplis adductis id mihi videtur solide confirmatum, quod intendebam, nimirum a Sapiente Persa animæ humanæ unitatem nullo modo negari, ejus autem scribendi et disserendi modum illi valde affinem esse, quo plures ex antiquis Patribus usi sunt.

Neque minus indubitata est Aphraati animæ immortalitas, quam expressis verbis confitetur (2) : ܣܘܟܠܐ ܓܝܪ ܡܝܬܐ . ܡܬܬܢܝܚܝܢ ܒܪܘܚܐ ܢܦܫܢܝܬܐ . ܕܡܬܩܒܪܐ ܓܘܗ ܕܒܪ ܐܢܫܐ . ܘܠܐ ܡܬܬܓܫܐ ܠܘܬܗ ܐܠܗܘܬܗ . Hujus tamen minus accuratam notionem habúit, quod spectat ad tempus a morte ad corporum resurrectionem intercedens, siquidem docuit, homine defuncto et Spiritu cœlesti ad Christum reverso, spiritum animalem in corpore sepultum ac conscientia sui privatum jacere,

(1) Explicationem hanc auctor ipse suppedidat, *De principiis* lib. II, cap. 8, num. 3 (Migne, *Patrol. Gr.* t. XI, col. 221 seqq.). Doctrinam autem ibi expositam sic breviter exhibet Stöckl, *op. cit.*, p. 306 : « Origenes unterscheidet zwar gleichfalls zwischen νοῦς und ψυχή; aber der Unterschied gilt ihm nur als ein beziehungsweiser, und er erklärt denselben auf eigenthümliche Weise. Insofern nämlich in der griechischen Sprache mit dem Worte ψυχή sich der Begriff der Kälte verbindet, meint Origenes, auch der Geist (νοῦς) sei dadurch zur ψυχή, d. i. zum Lebensprincip der Leibes geworden, dass er in der Liebe Gottes erkaltet sei. Deshalb sei es denn auch seine Aufgabe, durch Fortschreiten in der Liebe Gottes sich dieser seiner Eigenschaft, die ihm doch widernatürlich ist, zu entkleiden, um am Ende wieder ganz Geist zu werden. »

(2) Wright., p. ܩܦܗ .

donec tandem ultimi judicii die evigilet, vel in infernum una cum corpore detrudendus, vel in cœlum, Spiritu Sancto duce, ingressurus. Qua in assertione ille situs est Aphraatis error de anima, quem Georgius gentium supra redarguit. Ista porro sententia non uno in loco proponitur. Nam et in *Epistola XXII* de mortuis hæc habet auctor (1) : « Hujus mundi nulla ratione meminerunt, quoniam mors ad quam descenderunt eos turbavit. Sedent in luctu et in umbra mortis, neque mundi hujus recordantur, donec adveniat finis et resurgant ad judicium. » Et paulo post (2) : « Mors sapientibus non parcit neque dotum prudentium rationem ullam habet. Ad se abducit doctos Sacrarum Litterarum interpretes, et quod noverant ipsis usque ad tempus resurrectionis omnium justorum excidit. In illo loco mundus hic oblivioni traditur. » Hæc autem et alia id genus effata quid sibi velint, ipse scriptor satis declarare videtur ubi prædictum animæ statum somno comparat, qui, si sensum non radicitus exstinguat, ita saltem facultatum usum impedit, ut homo dici nequeat sui compos (3) : « Debemus, ait, timere mortem secundam, quæ plena

(1) Wright., p. ܫܥܚ : ܕܫܓܫ . ܠܐ ܥܗܕܝܢ ܠܓܡܪ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ . ܠܗܘܢ ܡܘܬܐ ܗܝ ܢܚܬܝܢ ܠܘܬܗ . ܘܝܬܒܝܢ ܒܐܒܠܐ ܘܒܛܠܠܗ ܕܡܘܬܐ . ܘܠܐ ܡܬܕܟܪܝܢ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ ܥܕ ܗܘܝܐ ܚܪܬܐ . ܘܩܝܡܝܢ ܠܕܝܢܐ .

(2) Wright, p. ܫܥܙ : ܠܐ ܚܐܣ ܡܘܬܐ ܠܚܟܝܡܐ . ܘܠܐ ܢܣܒ ܒܐܦܐ ܕܣܟܝܠܐ . ܕܒܪ ܡܘܬܐ ܠܘܬܗ ܦܫܘܩܐ ܚܟܝܡܐ . ܘܛܥܝܢ ܡܕܡ ܕܝܠܦܘ . ܥܕ ܗܘܐ ܙܒܢܐ ܕܢܩܘܡܘܢ ܒܗ ܟܠܗ ܙܕܝܩܐ . ܒܗܘ ܐܬܪܐ ܛܥܝܢ ܠܗ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ .

(3) Wright., p. ܫܦܚ : ܡܢ ܡܘܬܐ ܕܝܢ ܬܢܝܢܐ ܘܠܐ ܠܟܝܢ ܠܡܕܚܠܘ .

sicut dicit Apostolus (1) : *Utinam qui vestiti sumus, non nudi inveniamur!* Hoc etiam dicit (2) : *Nos omnes dormiemus, sed in resurrectione non omnes immutabimur.* Et idem (3) : *Futurum est ut mortale hoc immortale induat, et corruptibile hoc, id quod est incorruptum; cum autem mortale hoc immortale induerit, et corruptibile hoc id quod est incorruptum, tunc evenient quæ scripta sunt : Mors victoria absorpta est.* Et iterum (4) : *Celeriter, in ictu oculi, mortui resurgent, non jam obnoxii corruptioni, et nos immutabimur.* Qui immutabuntur, ii assument similitudinem Adami cœlestis, spiritualesque erunt; at qui non immutabuntur in spiritu animali manebunt et in natura quacum creatus est Adamus terrenus; in natura sua hærebunt et in terram depressi relinquentur. Tunc rapientur cœlestes in cœlum, vo-

ܥܪ̈ܛܠܝܐ . ܕܐܦܠܘ ܟܕ ܗܟܢܐ ܕܠܒܫܝܢ ܠܐ ܢܫܬܟܚ ܥܪ̈ܛܠܝܐ . ܘܬܘܒ
ܐܡܪ . ܕܟܠܢ ܢܕܡܟ . ܐܠܐ ܒܩܝܡܬܐ ܠܐ ܟܠܢ ܢܫܬܚܠܦ . ܘܬܘܒ ܐܡܪ .
ܕܥܬܝܕ ܗܘ ܗܢܐ ܕܡܐܬ . ܕܢܠܒܫ ܠܐ ܡܝܘܬܘܬܐ . ܘܗܢܐ ܕܡܬܚܒܠ ܠܐ
ܡܬܚܒܠܢܘܬܐ . ܘܡܐ ܕܠܒܫ ܗܢܐ ܕܡܐܬ ܠܐ ܡܝܘܬܘܬܐ . ܘܗܢܐ ܕܡܬܚܒܠ
ܠܐ ܡܬܚܒܠܢܘܬܐ . ܗܝܕܝܢ ܬܗܘܐ ܡܠܬܐ ܗܝ ܕܟܬܝܒܐ . ܕܐܬܒܠܥ ܡܘܬܐ
ܒܙܟܘܬܐ . ܘܬܘܒ ܐܡܪ ܕܒܚܪܦܐ ܐܝܟ ܪܦܦ ܥܝܢܐ ܢܩܘܡܘܢ ܡܝ̈ܬܐ ܕ
ܠܐ ܡܬܚܒܠܝܢ . ܘܚܢܢ ܢܫܬܚܠܦ . ܘܗܠܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܡܫܬܚܠܦܝܢ ܠܗܘܢ .
ܢܣܒܝܢ ܠܕܡܘܬܗ ܕܐܕܡ ܫܡܝܢܝܐ . ܘܗܘܝܢ ܪ̈ܘܚܢܐ . ܘܐܝܠܝܢ ܕܠܐ
ܡܫܬܚܠܦܝܢ ܦܝܫܝܢ ܒܗܘܢ ܒܢܦܫܢܝܘܬܐ . ܘܒܟܝܢܗ ܕܐܬܒܪܝ ܡܢ
ܥܦܪܐ . ܘܦܝܫܝܢ ܒܟܝܢܗܘܢ ܒܐܪܥܐ ܟܒܝܫܬܐ . ܘܗܝܕܝܢ ܡܬܚܛܦܝܢ
ܫܡܝ̈ܢܐ ܠܫܡܝܐ . ܘܡܬܚܪܪܝܢ ܠܗܘܢ ܪ̈ܘܚܐ ܕܠܥܠܡܝܢ . ܘܡܬܢܛܪܝܢ ܡܩܒܠܢܘܬܐ

(1) II Corinth. V, 3.
(2) I Corinth. XV, 51.
(3) I Corinth. XV, 53, 54.
(4) I Corinth. XV, 52.

landi facultatem tribuente Spiritu quem induerint, regnumque quod ipsis ab initio præparatum est accipient. Animales contra in terra manebunt, corporum suorum gravitate detenti, descendentque in infernum ubi erit fletus et stridor dentium. »

Atque hæc Sapiens Persa. In ista autem expositione quædam apparent obscura satis et intricata, quæ Georgius, Arabum Episcopus, severe notat et reprehendit. Neque tamen omnia damnanda sunt; imo videtur Aphraates et hic veræ doctrinæ generatim inhæsisse, nec nisi in uno alterove capite dormitavisse. Plurima nimirum quæ in antecedentibus primo intuitu minus accurata videntur, haud modicam lucem accipiunt, si expendantur diligentius et præsertim cum dictis aliorum Patrum ejusdem vel superioris ætatis conferantur.

Imprimis itaque manifestum est ab Aphraate duos in homine Christiano distingui spiritus : *animalem* alterum, quo vitam primum adipiscimur, alterum *cœlestem*, qui vocatur etiam *Spiritus Sanctus* et *Spiritus Christi*. Porro quemadmodum prior est ipsa anima humana, non intelligendi tantum et volendi, sed cujuscumque vitæ in corpore organico principium, ita qui illi subinde accedit Spiritus cœlestis nihil aliud est quam Spiritus Sanctus, omnis boni supernaturalis in fidelibus fons et origo, seu tertia SS. Trinitatis persona, quatenus huic *per appropriationem*, ut aiunt, attribuitur gratiæ tam *gratis datæ* quam *gratum facientis* largitio. Nequaquam igitur ita accipienda sunt verba supra adducta ac si binas in

ܕܛܝܒܐ ܗܘܬ ܠܗܘܢ ܡܢ ܩܕܡ ܬܪܡܝܬܗ . ܘܢܦ̈ܫܢܝܐ ܡܬܟܪܝܢ ܠܗ̇ ܠܐܪܥܐ
ܒܝܘܩܪܐ ܕܦܓܪܝܗܘܢ . ܘܢܚܬܝܢ ܠܫܝܘܠ . ܐܬܪ ܕܗܘܐ ܒܟܝܐ
ܘܚܘܪܩ ܫܢ̈ܐ ܀

singulis hominibus animas auctor agnosceret, more Gnosticorum et Apollinaristarum. Hanc quidem *trichotomiam*, quam vocant, ipsi a Gennadio adscriptam esse (1) haud absurde forsan dixeris, verum ista interpretatio ipso Aphraatis textu exploditur. Spiritum enim animalem tantum, non cœlestem, ex ejus sententia ad hominis naturam pertinere inde patet quod ille solus semper et omnibus mortalibus insit, hic vero fidelibus demum per Baptismum conferatur, ab eo qui ipsum per peccatum vexaverit continuo discedat et in resurrectione justis, non iniquis sit reddendus.

Hucusque igitur traditioni catholicæ consentit scriptor. Arctiorem autem affinitatem ipsius loquendi modus præ se fert cum modo loquendi quo passim utuntur plures ex iis qui primis sæculis scientia et libris editis in Ecclesia floruere; inter quos præ cæteris nominandi sunt Origenes et S. Irenæus. Hic enim contra Gnosticos, qui in homine distinguebant corpus, animam et spiritum (σῶμα, ψυχήν, πνεῦμα vel νοῦν), docet duabus partibus, corpore nempe et anima, totam naturæ humanæ compagem absolvi : ad id unum Spiritus divinus, juxta ipsum, requiritur, id unum efficit, ut homo *perfectus* evadat. Per animam homo est imago Dei, per Spiritum ad Dei similitudinem provehitur. Divinus ille Spiritus, qui nemini nisi per gratiam obtingit, iis datur qui passiones frænant et moderantur appetitus, per peccatum grave fugatur. Qui illum receperunt *pneuma-*

(1) Ita Gennadius, in *Epistola de fide sua seu de dogmatibus ecclesiasticis*, cap. XV : « Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quæ rationem ministret.» Quibus verbis de *Homiliarum* auctore agi opinatur Antonellus, *op. sæp. cit.*, præf. p. V.

*tici*, qui eodem carent *psychici* nuncupantur (1). Eadem fere sentiendi scribendique ratio occurrit apud Origenem. Quædam loca ex utroque illo auctore afferre juvat, quo Aphraatis orthodoxia, ad præsentem materiam quod attinet, ex manifestato ejus cum cæteris Patribus consensu in clariori luce ponatur.

Sic argumentatur Irenæus (2), exponens locum Apostoli (I Cor. XV, 50) : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, quo sectarii ad suas blasphemias suadendas abutebantur : « Id est quod ab omnibus hæreticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei; non conspicientes quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et spiritu : et altĕro quidem salvante et figurante, qui est spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter hæc est duo, quod est anima; quæ aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales dicti sunt a Domino (3) : *Sinite enim*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos;* quoniam non habent spiritum qui vivificet hominem. Quotquot autem timent Deum, et credunt in

(1) De Irenæi psychologia cfr. Stöckl, *Lehrbuch der Geschichte der Philosophie* (Mainz, 1875), pp. 282 et 283; item Schwane, *Dogmengegeschichte der vornicänischen Zeit* (Münster, 1862), p. 440 seqq.

(2) *Adversus hæreses*, lib. V, cap. 9; apud Migne, *Patrol. Græcæ* tom. VII, col. 1144.

(3) Luc. IX, 60.

adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi, et spirituales, et viventes Deo : quia habent Spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. »

Paulo post exponitur quomodo homo terrenus a Spiritu Dei absorbeatur, transformetur ac veluti spiritualis efficiatur (1) : « Infirmitas enim carnis absorpta potentem ostendit spiritum; spiritus autem rursus absorbens infirmitatem, hæreditate possidet carnem in se : et ex utrisque factus est vivens homo; vivens quidem propter participationem Spiritus, homo autem propter substantiam carnis. Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est; non habens vitam, regnum Dei possidere non potest : sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait (2) : *Qualis terrenus, tales terreni.* Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei. Et propterea ait (3) : *Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* Quid est ergo terrenum? Plasma. Quid autem cœleste? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo. »

Hisce consona compluribus in locis tradit Origenes.

(1) Migne, *Patrol. Græc.* t. VII, col. 1145.
(2) I Corinth. XV, 48.
(3) Ibid., v. 49.

Ita *Commentariorum in Matthæum* tomo XVI (1) : « In hoc ergo quem expendimus Evangelii loco Servatorem *dedisse animam suam redemptionem pro multis* scriptum est (2) : at dixit Petrus (3), nos *non corruptibilibus auro vel argento redemptos esse de vana nostra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine;* ait vero Apostolus (4) : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum :* pretioso ergo Jesu sanguine empti sumus; anima vero Dei Filii redemptionis pretium pro nobis data est, non autem spiritus ejus, antea enim Patri eum tradiderat dicens (5) : *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum :* sed neque corpus, nihil enim ejusmodi de illo scriptis traditum comperimus. Et quoniam pro multis anima ipsius redemptionis pretium data est, nec apud eum remansit, cui redemptionis pretium pro multis data fuerat, idcirco in decimo quinto psalmo

(1) Ap. Migne, *Patrol. Græc.* tom. XIII, coll. 1397-1400. Sic porro sese habet textus primigenius : Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἐξεταζομένοις τοῦ Εὐαγγελίου ῥητοῖς γέγραπται ὁ Σωτὴρ ἡμῶν « δεδωκέναι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν λύτρον ἀντὶ πολλῶν· » παρὰ δὲ τῷ Πέτρῳ εἴρηται, ὅτι « οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ ἐλυτρώθημεν ἐκ τῆς ματαίας ἡμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι· » καὶ ὁ Ἀπόστολος δέ φησι· « Τιμῆς ἠγοράσθητε· μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. » Οὐκοῦν ἠγοράσθημεν μὲν τῷ τιμίῳ τοῦ Ἰησοῦ αἵματι, δέδοται δὲ λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν ἡ ψυχὴ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ οὔτε τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, πρότερον γὰρ αὐτὸ παρέθετο τῷ Πατρὶ λέγων· « Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμα μου· » οὔτε τὸ σῶμα, οὐδὲν γὰρ εὕρομεν πω τοιοῦτον περὶ αὐτοῦ γεγραμμένον. Καὶ ἐπεὶ δέδοται ἡ ψυχὴ αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, οὐκ ἔμενε δὲ παρ' ἐκείνῳ ᾧ ἐδέδοτο λύτρον ἀντὶ πολλῶν,

(2) Matth. XX, 28.
(3) I Petr. I, 18, 19.
(4) I Corinth. VII, 23.
(5) Luc. XXIII, 46.

ait (1) : *Non derelinques animam meam in inferno.* Verum quando ad hunc locum semel perveni, perversa ac malesana se loqui eos commonefactos velim, qui Christi gloriam celebrare se existimantes, quæ ad Primogenitum omnis creaturæ pertinent cum iis confundunt quæ spectant ad animam et corpus Jesu, fortasse et ipsius spiritum. »

Manifestum igitur est ab Origene, sicut a Sapiente Persa et ab Episcopo Lugdunensi, in natura humana gratia sanctificante ornata, qualis utique erat Christi humanitas, tria distingui : *carnem*, *animam* et *spiritum*. Neque modo diverso a diversis scriptoribus tria hæc vocabula intelligi vel dissimilia de singulis prædicari, probant quæ alibi (2) habet Origenes, disserens de verbis Domini (3) : *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur et alter relinquetur* : « Duo in agro, ait, sensus hominis boni, et sensus hominis mali. Sensus bonus assumitur, malus relinquitur. Nec enim possumus dicere spiritum mali hominis non assumi, quia didici apud Ecclesiasten de omni spiritu, quoniam convertitur ad Deum qui dedit eum; sicut et de omni carne, quoniam revertitur ad terram unde sumpta est; et sicut ipse Dominus docuit nos ut timeamus *eum qui corpus et animam potest perdere in gehennam* (4); et ex eo

διὰ τοῦτό φησιν ἐν ιέ ψαλμῷ τό· « Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην. » Γενόμενος δὲ ἅπαξ κατὰ τὸν τόπον, ὑπομνήσαιμ' ἂν τοὺς φαντασίᾳ δοξολογίας τῆς περὶ τοῦ Χριστοῦ συγχέαντας τὰ περὶ τοῦ Πρωτοτόκου πάσης κτίσεως τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος Ἰησοῦ, τάχα δὲ καὶ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ.

(1) *Ps.* XV, 10.

(2) *In Matthæum commentariorum series*, n. 57; ap. Migne, *Patrol. Gr.* t. XIII, col. 1691.

(3) Matth. XXIV, 40.

(4) Matth. X, 28.

quod nihil de spiritu dixit, evidenter ostendit quoniam spiritus cum corpore vel anima peccatrice non simul punitur. Qui enim peccavit dividitur, et pars quidem ejus cum infidelibus ponitur; quod autem non ejus, revertitur ad Deum qui dedit eum. »

Paucis interjectis, in eamdem sententiam pergit (1) : « Dividit autem eum, quando spiritus quidem ejus revertitur ad Deum qui dedit eum, anima autem cum corpore suo vadit in gehennam. Justus autem non dividitur, sed anima ejus vadit cum spiritu ad regna cœlestia. Propter quod scriptum est (2) : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino.* Eorum autem qui dividuntur et deponunt spiritum revertentem ad eum qui dederat eum, et non habent postmodum in se partem aliquam quæ erat ex Deo, relinquitur eis pars eorum quæ erat ipsorum, id est anima, quæ cum corpore suo punietur a Domino veniente, cum infidelibus et hypocritis in tormentis. »

Cave autem ne his similibusque Origenis testimoniis perperam intellectis, inferas iis contineri absurdum trichotomiæ systema (3); qua interpretatione admissa, ex eorumdem convenientia cum doctrina Aphraatis non modo nulla huic commendatio accederet, verum etiam non modica contra ipsam suspicio oriretur. Illam calumniam auctor ipse a se depellit, cum sæpe asserat animam (ψυχήν) cujusvis vitæ in homine principium esse, imo passim argumenta solvat a Gnosticis ea de re afferri solita. Quare ubicumque animæ et spiritus simul men-

(1) Ejusd. tom. col. 1699.

(2) Dan. III, 86.

(3) Cfr. Stöckl, *Lehrbuch der Geschichte der Philosophie*, pp. 305 et 306.

tionem injicit, vel duobus nominibus nihil nisi duos ejusdem elementi interni status designat (1), vel theologice considerat Spiritum Sanctum inhabitantem, quo recedente per peccatum, remanet ψυχή, anima scilicet, ut ait, refrigescens.

Itaque exemplis adductis id mihi videtur solide confirmatum, quod intendebam, nimirum a Sapiente Persa animæ humanæ unitatem nullo modo negari, ejus autem scribendi et disserendi modum illi valde affinem esse, quo plures ex antiquis Patribus usi sunt.

Neque minus indubitata est Aphraati animæ immortalitas, quam expressis verbis confitetur (2) : ܩܝܡܬܐ ܓܝܪ ܕܡܝܬܐ . ܡܬܡܠܠܝܢ ܒܪܘܚܐ ܠܢܦܫܢܝܬܐ . ܕܡܬܩܒܪܐ ܒܓܘܗ ܕܓܒܪ ܐܢܫܐ . ܘܠܐ ܡܣܘܟܠܐ ܠܘܬ ܐܠܗܘܬܗ . Hujus tamen minus accuratam notionem habúit, quod spectat ad tempus a morte ad corporum resurrectionem intercedens, siquidem docuit, homine defuncto et Spiritu cœlesti ad Christum reverso, spiritum animalem in corpore sepultum ac conscientia sui privatum jacere,

(1) Explicationem hanc auctor ipse suppedidat, *De principiis* lib. II, cap. 8, num. 3 (Migne, *Patrol. Gr.* t. XI, col. 221 seqq.). Doctrinam autem ibi expositam sic breviter exhibet Stöckl, *op. cit.*, p. 306 : « Origenes unterscheidet zwar gleichfalls zwischen νοῦς und ψυχή; aber der Unterschied gilt ihm nur als ein beziehungsweiser, und er erklärt denselben auf eigenthümliche Weise. Insofern nämlich in der griechischen Sprache mit dem Worte ψυχή sich der Begriff der Kälte verbindet, meint Origenes, auch der Geist (νοῦς) sei dadurch zur ψυχή, d. i. zum Lebensprincip der Leibes geworden, dass er in der Liebe Gottes erkaltet sei. Deshalb sei es denn auch seine Aufgabe, durch Fortschreiten in der Liebe Gottes sich dieser seiner Eigenschaft, die ihm doch widernatürlich ist, zu entkleiden, um am Ende wieder ganz Geist zu werden. »

(2) Wright., p. ܩܢܗ .

donec tandem ultimi judicii die evigilet, vel in infernum una cum corpore detrudendus, vel in cœlum, Spiritu Sancto duce, ingressurus. Qua in assertione ille situs est Aphraatis error de anima, quem Georgius gentium supra redarguit. Ista porro sententia non uno in loco proponitur. Nam et in *Epistola XXII* de mortuis hæc habet auctor (1) : « Hujus mundi nulla ratione meminerunt, quoniam mors ad quam descenderunt eos turbavit. Sedent in luctu et in umbra mortis, neque mundi hujus recordantur, donec adveniat finis et resurgant ad judicium. » Et paulo post (2) : « Mors sapientibus non parcit neque dotum prudentium rationem ullam habet. Ad se abducit doctos Sacrarum Litterarum interpretes, et quod noverant ipsis usque ad tempus resurrectionis omnium justorum excidit. In illo loco mundus hic oblivioni traditur. » Hæc autem et alia id genus effata quid sibi velint, ipse scriptor satis declarare videtur ubi prædictum animæ statum somno comparat, qui, si sensum non radicitus exstinguat, ita saltem facultatum usum impedit, ut homo dici nequeat sui compos (3) : « Debemus, ait, timere mortem secundam, quæ plena

(1) Wright., p. ܬܥܒ : ܠܐ ܥܗܕܝܢ ܠܗܘܢ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ . ܕܡܛܠ ܠܗܘܢ ܡܘܬܐ ܗܝ ܕܢܚܬܘ ܠܘܬܗ . ܘܝܬܒܝܢ ܒܐܒܠܐ ܘܒܛܠܠܗ ܕܡܘܬܐ . ܘܠܐ ܡܬܕܟܪܝܢ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ ܥܕ ܗܘܝܐ ܚܪܬܐ . ܘܢܩܘܡܘܢ ܠܕܝܢܐ .

(2) Wright, p. ܬܥܓ : ܠܐ ܚܐܣ ܡܘܬܐ ܠܚܟܝܡܐ . ܘܠܐ ܢܣܒ ܦܐܘܪ̈ܐ ܕܠܒܝܒܐ . ܕܒܪ ܡܘܬܐ ܠܘܬܗ ܣܦܪ̈ܐ ܡܦܫ̈ܩܢܐ . ܘܛܥܝܢ ܡܕܡ ܕܝܕܥܘ . ܥܕ ܗܘ ܙܒܢܐ ܕܡܩܝܡܝܢ ܒܗ ܟܠܗ ܙܕܝܩ̈ܐ . ܒܗܘ ܐܬܪܐ ܛܥܝܢ ܠܗ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ .

(3) Wright., p. ܬܥܗ : ܡܢ ܡܘܬܐ ܕܝܢ ܬܢܝܢܐ ܘܠܐ ܠܟܠ ܠܡܕܚܠܘ .

est fletus, stridoris dentium, gemituum atque afflictionum, et in tenebris exterioribus habitat. Beati quidem erunt fideles et justi in illa resurrectione, qua sperant sese accepturos bona sibi promissa. Væ autem peccatoribus, qui resurrectionem non credunt : magna pœna eos manet, magisque ipsis expediret non resurgere, quemadmodum se non resurrecturos opinantur. Servus enim cui plagæ ab hero et vincula reservantur, si dormiat, non optat ut excitetur; quippe qui novit sibi, postquam, adveniente diluculo, evigilaverit, verbera et catenas a domino imponenda. Contra servus bonus, cui dominus præmia pollicitus est, primæ lucis ortum exspectat, ut illam recipiat mercedem; et ipso tempore quo dormit, in somnis videt herum ea sibi tribuentem quæ promisit, talique somnio gaudet, voluptate et lætitia afficitur. Viri iniqui somnus dulcis non est; somniat mane jam adesse et hac imagine mens torque-

ܗܘ ܕܒܟܝܐ ܒܗ ܘܚܘܪܩ ܫܢ̈ܐ . ܘܬܢܚ̈ܬܐ ܘܐܘ̈ܠܨܢܐ . ܗܘ ܕܥܡܪ ܒܚܫܘܟܐ
ܒܪܝܐ . ܛܘܒܝܗܘܢ ܕܝܢ ܠܡܗܝܡܢܐ ܘܠܙܕܝ̈ܩܐ . ܒܗܝ ܩܝܡܬܐ ܕܡܣܟܝܢ .
ܕܢܬܦܪܥܘܢ ܘܢܣܒܘܢ ܡܘܠܟܢܝܗܘܢ ܛܒ̈ܐ . ܘܘ̈ܝ ܕܠܐ ܡܗܝܡܢܝܢ
ܒܩܝܡܬܐ . ܘܝ ܠܗܘܢ ܡܢ ܡܛܠ ܕܢܬܦܪܥ ܠܗܘܢ . ܦܩܚ ܗܘܐ ܠܗܘܢ .
ܕܠܐ ܢܩܘܡܘܢ ܗܘܘ . ܐܝܟ ܡܛܠ ܕܡܣܬܒܪܝܢ . ܡܛܠ ܕܥܒܕܐ ܕܡܚܝ
ܡܪܗ ܢܛܝܪܐ ܘܐܣܘܪ̈ܐ ܡܬܢܛܪܝܢ ܠܗ . ܡܐ ܕܕܡܟ ܠܐ ܪܓܐ ܕܢܬܬܥܝܪ .
ܕܝܕܥ ܕܡܐ ܕܗܘܐ ܨܦܪܐ ܘܐܬܬܥܝܪ . ܡܚܐ ܠܗ ܡܪܗ ܘܐܣܪ ܠܗ . ܘܥܒܕܐ
ܛܒܐ ܐܝܢܐ ܕܡ̈ܘܗܒܬܐ ܐܫܬܘܕܝ ܠܗ ܡܪܗ . ܡܣܟܐ ܕܐܡܬܝ ܢܗܘܐ ܨܦܪܐ .
ܘܢܣܒ ܡ̈ܘܗܒܬܐ ܡܢ ܡܪܗ . ܘܐܦ ܟܕ ܡܕܡܟ ܕܡܟ . ܒܚܠܡܗ
ܚܙܐ . ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܪܗ ܝܗܒ ܠܗ . ܗܘ ܡܕܡ ܕܐܫܬܘܕܝ ܠܗ . ܘܚܕܐ
ܒܚܠܡܗ ܘܪܘܙ ܘܦܨܝܚ . ܘܫܢܬܐ ܚܠܝܬܐ ܠܐ ܒܣܡܐ ܠܗ . ܕܓܒܪܐ ܥܘܠܐ
ܡܛܐ ܠܗ ܨܦܪܐ . ܘܬܒܪ ܠܒܗ ܒܚܠܡܗ . ܘܪ̈ܢܝܐ ܕܡܚܫܒ

tur. Justi dormiunt, et somnus ipsorum interdiu noctuque suavis est, totamque longam noctem non sentiunt sed hæc tanquam una hora ab iis æstimatur, et tempore vigiliæ matutinæ læti expergiscuntur. Verum somnus iniquorum gravis est, similesque sunt viro qui, cum inciderit in febrim acutam ac vehementem, in lecto suo huc atque illuc volvitur, totaque nocte, quæ ipsi longa et ingrata est, agitatur et diluculum reformidat, quo illucescente a domino suo pœna mulctabitur. Fides autem nostra docet hominum qui huic somno dediti sunt sopitas esse mentes, neque eos bonum a malo secernere, neque justos præmia sua consequi vel iniquos pœna affici, donec veniat judex, qui alios a dextris, a sinistris alios statuet. Quare ex iis quæ scripta sunt hoc firmiter crede : quando judex sedebit et, libris ante ipsum apertis, revelabuntur bona et mala, tum demum qui bona fecerunt accipient mercedem a (Deo) bono et qui mala egerunt a judice justo punientur.............. Audi

ܘܫܢܬܗܘܢ ܒܣܝܡܐ ܠܗܘܢ . ܒܐܝܡܡܐ ܘܒܠܠܝܐ . ܘܟܠܗ ܠܠܝܐ ܕܐܪܝܟ
ܠܐ ܪܓܫܝܢ . ܐܠܐ ܐܝܟ ܚܕܐ ܫܥܐ ܚܫܝܒ ܒܥܝ̈ܢܝܗܘܢ . ܘܥܝܪܝܢ ܒܥܕܢ ܥܝܪܘܬܐ
ܕܨܦܪܐ ܡܬܬܥܝܪܝܢ ܘܚܕܝܢ . ܫܢ̈ܬܐ ܕܝܢ ܕܥܘܠܗܘܢ ܝܩܝܪܐ ܠܓܒܪܗܘܢ . ܘܕܡܝܐ
ܠܓܒܪܐ ܕܢܦܠ ܒܐܫܬܐ ܚܪܝܦܬܐ ܘܡܬܩܦܬܐ . ܘܡܬܗܦܟ ܒܥܪܣܗ ܠܟܐ ܘܠܟܐ .
ܘܪܗܛ ܠܠܝܐ ܟܠܗ . ܕܐܪܝܟ ܠܗ ܠܠܘܬܗ . ܘܕܚܠ ܡܢ ܨܦܪܐ
ܕܡܬܬܒܥ ܠܗ ܡܢ ܡܪܗ . ܗܝܡܢܘܬܢ ܕܝܢ ܗܕܐ ܡܠܦܐ . ܕܗܢܐ ܕܫܟܒܝܢ
ܒܗܢܐ ܗܘ ܫܢܬܐ . ܕܡܟܝܢ ܠܗܘܢ . ܘܠܐ ܦܪܫܝܢ ܛܒܬܐ ܡܢ ܒܝܫܬܐ .
ܘܠܐ ܙܕܝ̈ܩܐ ܡܩܒܠܝܢ ܐܓܪ̈ܝܗܘܢ . ܘܐܦܠܐ ܥܘ̈ܠܐ ܡܬܦܪܥܝܢ ܕܝܢܐ .
ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܕܝܢܐ . ܘܡܩܝܡ ܚܢܘܢ ܠܝܡܝܢܐ . ܘܐܚܪ̈ܢܐ ܡܢ ܣܡܠܐ
ܘܡܟܝܠ . ܕܝܬܒ ܕܝܢܐ . ܘܡܬܦܬܚܝܢ ܣܦܪ̈ܐ ܩܕܡܘܗܝ . ܘܡܬܓܠܝܢ
ܛܒ̈ܬܐ ܘܒܝ̈ܫܬܐ . ܐܝܠܝܢ ܕܥܒܕܘ ܛܒ̈ܬܐ ܡܩܒܠܝܢ ܛܒ̈ܬܐ ܡܢ ܛܒܐ .
ܘܕܥܒܕܘ ܒܝ̈ܫܬܐ ܡܬܦܪܥܝܢ ܒܝ̈ܫܬܐ ܡܢ ܕܝܢܐ ܟܐܢܐ ...............

igitur, charissime, doctrinam hanc. In fine retributio fiet. Tunc enim gregem suum Pastor dividet et alios a dextra, alios a sinistra ponet, ita ut bonis benignum se exhibeat, eosque dein regni constituat hæredes, malos vero redarguat et damnatos in tormentorum locum ableget. Qui nuntiis ad regem missis dixerunt (1) : *Iste non erit rex noster*, postquam demum rex, accepto regno, reversus fuerit, coram eo tanquam inimici trucidabuntur. Operarii, qui in vinea exercitati sunt et fatigati, mercedem non accipient antequam labor desierit. A negotiatoribus, quibus commissa est pecunia, dominus, cum venerit, usuram demum exiget. Virgines quæ sponsum exspectant, hoc adventum differente, dormitaverunt et obdormierunt donec clamorem audiant : tunc expergiscentur et lampades suas ornabunt; prudentes ingredientur, fatuæ autem foris manebunt exclusæ. Qui in fide (ante nos) vixerint non sine nobis

ܫܘܠܡܐ ܕܝܢ ܣܡܘܟ ܥܡܟ ܗܕܐ . ܕܦܘܪܥܢܐ ܒܚܪܬܐ ܗܘܐ . ܦܠܓ ܪܥܝܐ ܥܢܗ ܡܢ
ܦܪܫ ܪܥܝܐ ܗܘ . ܘܐܢܫ ܡܢ ܝܡܝܢܗ ܘܐܢܫ ܡܢ ܣܡܠܗ . ܠܛܒܐ ܕܢܚܘܐ
ܒܣܝܡܘܬܐ ܕܝܗܒ . ܘܗܘܝܢ ܝܪܬܐ ܐܢܘܢ ܕܡܠܟܘܬܐ . ܘܠܒܝܫܐ ܕܝܢܐ ܠܒܝܫܬܐ
ܘܐܟܣܝܘ . ܘܗܘܝܢ ܚܝܒܝ ܐܢܘܢ ܠܬܫܢܝܩܐ . ܘܐܝܠܝܢ ܕܫܕܪܘ ܐܝܓܪܬܐ ܒܬܪ
ܡܠܟܐ . ܘܐܡܪܘ ܕܠܐ ܢܗܘܐ ܗܢܐ ܥܠܝܢ ܡܠܟܐ . ܒܥܕܢܐ ܕܢܣܒ ܡܠܟܘܬܐ
ܘܗܦܟ . ܘܗܘܝܢ ܡܬܩܛܠܝܢ ܒܥܠܕܒܒܘܗܝ ܩܕܡܘܗܝ . ܘܦܥܠܐ ܕܠܐܝܘ
ܘܫܠܘ ܒܟܪܡܐ . ܥܕܡܐ ܕܫܠܡ ܦܘܠܚܢܐ ܠܐ ܢܣܒܝܢ ܐܓܪܐ . ܘܬܓܪܐ ܕܢܣܒܘ
ܟܣܦܐ . ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܡܪܗܘܢ . ܘܗܘܝܢ ܬܒܥ ܪܒܝܬܐ . ܘܒܬܘܠܬܐ
ܕܡܣܟܝܢ ܠܚܬܢܐ . ܢܡ ܘܕܡܟ ܕܐܘܚܪ ܠܡܐܬܐ . ܥܕܡܐ ܕܢܫܡܥܢ ܩܠܐ .
ܗܘܝܢ ܡܬܬܥܝܪܢ ܘܡܬܩܢܢ ܠܠܡܦܐܕܝܗܝܢ . ܘܚܟܝܡܬܐ ܥܐܠܢ . ܘܣܟܠܬܐ
ܡܫܬܒܩܢ ܠܒܪ . ܘܐܝܠܝܢ ܕܙܕܩܘ ܒܗܝܡܢܘܬܐ . ܡܟܠܝܢ ܕܠܚܢ ܠܐ

(1) Luc. XIX, 14.

perficientur. — Ex his omnibus infer, amice, certumque et persuasum habeto hominis meritis adhuc satisfactum non esse : nam neque justi regnum hæreditate acceperunt, neque mali tormentis addicti sunt. Gregem hucusque pastor non divisit. Ecce operarii in vinea laborant, necdum mercede donati sunt. Negotiatores pecunia occupantur; dominus autem eorum nondum venit ad exigendam rationem. Rex, profectus ad accipiendum regnum, hactenus non est reversus. Virgines illæ quæ sponso præstolantur adhuc dormiunt, clamorem exspectantes quo excitandæ sunt. Primi qui in fide laboraverunt non perficientur antequam ultimi adveniant. At objiciunt homines ignari : Si nemo retributionem consecutus est, quare dicit Apostolus (1) : *Quando e corpore discesserimus, apud Dominum nostrum erimus*? Tu vero in memoriam revoca, carissime, quæ de hac re in *Dissertatione de monachis* exposui tibi : Spiritum

ܡܫܬܡܠܝܢ ܀ ܡܢ ܗܠܝܢ ܟܠܗܝܢ ܐܣܬܟܠ ܚܒܝܒܝ . ܘܗܘܝܬ ܡܦܝܣܐ
ܠܟ ܕܥܕܟܝܠ ܐܢܫ ܠܐ ܡܛܐ ܦܘܪܥܢܗ . ܠܐ ܓܝܪ ܙܕܝܩܐ ܐܝܪܬܘ ܡܠܟܘܬܐ ·
ܐܦܠܐ ܚܛܝܐ ܐܬܕܝܢܘ ܠܫܘܢܩܐ . ܘܥܢܐ ܥܕܟܝܠ ܠܐ ܦܪܫ ܪܥܝܗ . ܘܦܥ̈ܠܐ ܗܐ
ܒܟܪܡܐ ܠܐܝܢ . ܘܥܕܟܝܠ ܐܓܪܐ ܠܐ ܢܣܒܘ . ܘܬܓܪ̈ܐ ܗܐ ܡܬܥܢܝܢ
ܒܟܣܦܐ . ܘܥܕܟܝܠ ܠܐ ܐܬܐ ܡܪܗܘܢ ܠܡܚܫܒ ܚܘܫܒܢܐ · ܘܡܠܟܐ ܐܙܠ
ܠܡܣܒ ܡܠܟܘܬܐ . ܘܥܕܟܝܠ ܠܐ ܗܦܟ ܕܢܬܐ ܐܚ̈ܠܝܢ . ܘܗܠܝܢ
ܒ̈ܬܘܠܬܐ ܕܡܣܟܝܢ ܠܚܬܢܐ . ܕܡܟܢ ܐܝܟ ܕܟܪ̈ܝܐ ܠܩܠܐ . ܘܡܣܟܝܢ ܗܘ
ܡܣܟܝܢ ܘܡܬܬܥܝܪܢ . ܘܩܕ̈ܡܝܐ ܕܠܐܘ ܒܗܝܡܢܘܬܐ . ܥܕܡܐ ܕܐܬܝܢ ܐܚܪ̈ܝܐ ܠܐ
ܡܫܬܡܠܝܢ . ܗܦܟܝܢ ܠܘܩܒܠܐ ܕܝܢ ܐܡܪܝܢ . ܕܐܢ ܐܝܟ ܕܝܢ ܠܐ ܡܛܐ
ܦܘܪܥܢܐ . ܠܡܢܐ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ . ܕܐܡܬܝ ܕܢܦܩܝܢ ܡܢ ܦܓܪܐ ܠܘܬ ܡܪܢ
ܗܘܝܢ . ܠܗܘ ܕܝܢ ܚܒܝܒܝ . ܕܟܠ ܗܕܐ ܡܠܬܐ . ܐܚܘܝܬܟ ܗܘܬ ܒܬܚܘܝܬܐ

(1) II Corinth. V, 8; I Thessal. IV, 17.

quem justi acceperant abire ad Dominum nostrum ad naturam suam cœlestem, donec tempore resurrectionis veniat ad induendum corpus quod inhabitaverit. Deo autem absque intermissione commendat corpus in quo habitavit et ad ejus suscitationem instigat, sicut dixit Isaias propheta de ecclesia gentium (1) : *Patroni tui apud Dominum constantes et assidui sunt; ne des eis requiem.* Iniquis vero nullus est patronus coram Domino; longe enim ab eis abest Spiritus Sanctus, quoniam animales sunt et animaliter sepulti. »

Ex omnibus quæ adhuc protulimus liquet qualis fuerit Aphraatis de animæ statu, corpore in sepulcro jacente, sententia, et quomodo a recto veritatis tramite deflexerit, doctrinam nempe de *hypnopsychia*, quam aiunt, mente libroque complexus. Ex hoc porro errore necessario nexu sequebatur illa alia assertio, et ipsa in antecedentibus occurrens, de mercede vel pœna justis vel iniquis usque ad tempus resurrectionis universalis differenda; quæ opinio, licet quovis tempore communi Ecclesiæ sensui, plurimis etiam modis manifestato, opposita, ideoque prorsus rejicienda fuerit, ante solem-

ܕܢܣܒܘܢܝܗ̇ . ܕܠܘܬ ܡܪܢ . ܪܘܚܐ ܕܡܩܒܠܝܢ ܙܕܝ̈ܩܐ . ܐܙܠܐ ܠܟܝܢܗ
ܫܡܝܢܝܐ . ܥܕܡܐ ܠܙܒܢ ܩܝܡܬܐ . ܕܐܬܝܐ ܠܡܠܒܫ ܦܓܪܐ ܕܥܡܪܬ ܒܗ .
ܘܡܥܗܕܐ ܡܕܡ ܠܐܠܗܐ ܡܛܠ ܦܓܪܐ . ܘܡܬܚܫܒܐ ܥܠ ܩܝܡܬܗ
ܕܦܓܪܐ . ܗܘ ܕܥܡܪܬ ܒܗ . ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܫܥܝܐ ܢܒܝܐ . ܥܠ ܥܕܬܐ ܕܥܡ̈ܡܐ
ܡܥܗ̈ܕܢܐ ، ܕܠܗܘܢ ܐܡܝܢܝܢ ܘܡܫܡܫܝܢ . ܡܬܦܪܢܣܝܢ ܩܕܡ ܡܪܝܐ ، ܘܠܐ
ܬܬܠܘܢ ܠܗܘܢ ܢܝܚܐ . ܠܥܘ̈ܠܐ ܕܝܢ ܠܝܬ ܠܗܘܢ ܡܬܦܪܢܣܢܐ ܩܕܡ ܡܪܝܐ .
ܡܛܠ ܕܪܚܝܩܐ ܗܘ ܡܢܗܘܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ . ܡܛܠ ܕܢܦܫܢܝܐ ܐܢܘܢ .
ܘܢܦܫܢܐܝܬ ܡܬܬܩܒܪܝܢ ❖

(1) Isai. LXII, 6, 7.

nes tamen concilii Lugdunensis (a. 1274) et concilii Florentini (a. 1439) definitiones (1), gravissimam hæreseos notam meruisse non videtur.

### ARTICULUS III.

### *De Aphraate Sacræ Scripturæ interprete.*

Indolem *Epistolarum* Sapientis Persæ, qua parte ad dogmatum notitiam ingerendam et probationem roborandam pertinent, in articulo superiore consideravimus. Non minoris autem pretii eædem sunt in re scripturistica : nam et loci ex Sacris Libris allati, quorum magnam suppeditat copiam auctor, plurimum prodesse possunt ei qui antiquarum versionum ecclesiæ Syriacæ originem et statum indagare velit, et quæ adjiciuntur explicationes ad sanam et traditionalem interpretationem assequendam magno usui sunt futuræ. Harum utilitatum priorem, quæ ad criticam sacri textus historiam spectat, quoniam ejus expositio et demonstratio per exempla longior foret, prætermittimus, quædam tantum hic notaturi de modo quo Aphraates in Scriptura explananda et adhibenda se gerere consueverit.

Qua de re primum fatendum est, scribenti nec semper, nec plerumque forsan propositum fuisse, ut litteralem, quam dicunt, textus inspirati vim atque sententiam investigaret et exhiberet, contra vero sensum quemdam mysticum seu allegoricum ab eo sæpissime adhiberi. Hinc, ut advertit Sassius (2), in allegandis Divinarum

(1) Cfr. Liebermann, *Institutiones theologicæ* (Neapoli, 1860), tom. IV p. 439.

(2) *Prolegg.*, p. 16.

Litterarum effatis certam viam ac rationem non est secutus; imo, contextæ orationis consideratione posthabita, ibi ea quandoque profert ubi fini quem tunc intendit convenire videntur, nec raro uni eidemque testimonio perdiversas vindicat explicationes. Sic, ut hoc utar, pœnam Adamo intentatam *Genes*. II, 17 : *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, alibi de corporis interitu (1), alibi de morte animæ per gratiæ amissionem (2) exponit. Specimina autem interpretationis allegoricæ in singulis fere omnium *Homiliarum* paginis occurrunt, auctore sub historiæ et factorum involucro mysteria frequenter perquirente ac patefaciente. Istius modi sunt quæ promit in *Dissertatione IV*, primum de visione Jacobi, *Genes*. XXVIII, 12, relata, tum de aliis vitæ ejusdem Patriarchæ eventibus ita disserens (3) : « Jacobus quoque, pater noster, in Bethel oravit, viditque portam cœli patentem et scalam qua ascensus in altum præberetur. Quod vidit Jacobus mysterium Salvatoris nostri est. Janua cœli est Christus, ipso dicente (4) : *Ego sum ostium vitæ; quicumque per me ingressus fuerit, vivet in æternum*. Et etiam David testatus est (5) *hanc esse portam Domini, per quam justi intrant*. Scala quam aspexit Jacobus et ipsa figura est Redemptoris nostri, per quem homines justi e regionibus inferioribus ad superiores evehuntur; eadem est insuper typus crucis

(1) Wright., p. ܬܢܒ .
(2) Ibid., p. ܫܡ .
(3) Ibid., p. ܥܓ seqq.
(4) Joan. X, 9.
(5) *Ps*. CXVII, 20.

Salvatoris nostri, quæ scalæ instar erecta fuit. Porro summitati scalæ Dominus innitebatur; supra Christum enim est Dominus omnium, scribente beato Apostolo (1) : *Caput Christi Deus est.* Vocavit Jacobus locum illum Bethel, ibique in testimonium erexit columnam lapideam, cui oleum infudit. Dum autem lapides unctione donavit, aliquod iterum mysterium præsignificavit pater noster Jacobus : gentiles enim qui in Christum credunt unguntur, prout de iis dixit Joannes (2) : *Ex lapidibus istis potest Deus suscitare filios Abrahæ.* Itaque in oratione Jacobi præmonstratum est mysterium vocationis gentium. Perpende igitur, carissime, quot mysteria in visione qua donatus est Jacobus recondita sint. Vidit namque januam cœli, quæ est Christus; vidit scalam, crucis figuram; lapides, typum gentium, unxit, vovitque decimas Levi dandas, cum in ipso continerentur et decimarum collatores, et qui primitias accepturi erant. In ejus lumbis erat catulus leonis Judas, et in hoc recondebatur rex Messias, qui unctione præfiguratus fuit. Tribus quæ in ipso latebant decimas Levitis voverunt; reges qui lumbis inerant cor ejus erexerunt, et per eum scrutatus est spiritus prophetarum quinam ex ejus stirpe prodituri essent. Dum Jordanem cum baculo solo trajecit, symbolum admirandum manu gestavit, figuram scilicet crucis Prophetæ magni. Ad regionem orientalem profectus est, quia ex hac lux populis orta est. Accessit ad puteum cujus os lapide claudebatur, quem plures tollere non valebant; plures namque erant pastores, nec lapidem auferre et puteum aperire potue-

(1) I Corinth. XI, 3.
(2) Matth. III, 9.

runt, donec adveniret Jacobus; is autem robore pastoris qui ipsius lumbis inerat, lapidem sustulit, gregemque adaquavit. Ita et plurimi prophetæ venerunt neque potuerunt Baptismum revelare, donec appareret Propheta magnus, qui illum solus detexit, eo tinctus est et voce suavi clamavit (1) : *Quicumque sitit veniat ad me et bibat.* Denuo preces fudit Jacobus, dum a Labano rediret; et e manibus Esavi, fratris sui, ereptus est. Sic autem oravit, gratiarum actiones conjungens (2) : *Cum baculo meo Jordanem istum trajeci; nunc vero ad duas turmas auctus sum.* O mira Salvatoris nostri figura! Quando enim primum venit Dominus noster, prodivit e trunco Jessæ, ut surculus, baculo Jacobi similis; cum autem a Patre iterum descenderit, ad eumdem redibit cum duabus turmis, altera ex populo Israelis, ex gentibus altera conflata, quemadmodum Jacobum ad patrem Isaacum revertentem duæ turmæ comitabantur. Porro Jacobus reversus est cum undecim filiis, et cum Salvatore nostro venient undecim discipuli ejus; ex horum enim numero exclusus est Judas. Postea demum natus est Benjaminus, cujus accessione fuerunt duodecim Jacobi filii, pariter nonnisi posteriori tempore electus est Bartholomæus, quo adjuncto fuerunt duodecim Salvatoris nostri discipuli. Et hæc quidem de precatione Jacobi dicenda erant. »

Legenti obvium est auctorem, in iis quæ præcedunt, de uno fere sensu mystico et allegorico sollicitum fuisse. Nec pauci sunt apud eum ejusdem indolis loci; similique interpretatione stabilire nititur duos illos errores, quos

(1) Joan. VII, 37.
(2) *Genes.* XXXII, 10.

supra tetigimus, de animæ somno et de tempore finis mundi.

At dum allegoriarum et typorum inquisitione delectatur Aphraates, sensum litteralem nullo modo negligit vel parvi facit; imo varia Sacrarum Litterarum effata tanta perspicuitate explicat, ut hodieque quidquam in hoc genere luculentius vix haberi queat aut exoptari. Quod autem hic asserimus, cum jam evidens sit ex pluribus fragmentis quæ antea passim exscripsimus, illi tamen manifestius adhuc erit, qui ipsas *Epistolas* integras, eas præsertim quæ ex fine polemico exaratæ fuerunt, vel raptim perlegerit.

Ad hoc interpretandi genus referenda sunt, v. g., quæ disputat Sapiens Persa de Amalecitarum origine, de odio Amanis in Judæos, de Mardochæo Amani reverentiam negante; quæ omnia habes hujusce partis capite primo (1).

Item dum probare intendit scriptor Judæorum nationem a Deo rejectam fuisse et ejus loco gentes universas ad salutem vocatas, testimonia ad hanc suam thesim evincendam aptissima undique congerit. *Dissertationem* de hac re agentem sic exorditur (2) : « Gentes cujuscumque linguæ in hæreditatem Altissimi ante Israelem vocatæ sunt. Dixit enim Deus Abrahamo (3) : *Patrem multarum gentium constitui te*. Et Moyses ista prænuntiavit (4) : *Populos invitabunt ad montem, ibique victimas justitiæ immolabunt*. Idem, in cantico testimonii, Israelitas sic allocutus est (5) : *Provocabo vos ad invidiam*

(1) Cfr. sup., p. 211 seqq.
(2) Wright., p. ܫܢ seqq.
(3) *Genes*. XVII, 5.
(4) *Deuteron*. XXXIII, 19.
(5) *Deuteron*. XXXII, 21.

*per populum qui non est populus, et per gentem stultam irritabo vos.* Pater noster Jacobus, quum Judæ benediceret, hoc de gentibus effatum protulit (1) : *Non deficiet sceptrum de Juda neque expositor de stirpe ejus, donec veniat ille cujus est regnum et in quem gentes sperabunt.* Isaias quoque dixit (2) : *Paratus erit mons domus Domini in vertice montium, excelsior erit collibus et ad eum confluent universæ gentes. Populi multi e regionibus longinquis advenient, dicentes : Venite, ascendamus in montem Domini et ad domum Dei Jacobi. Docebit nos vias suas et in semitis ejus ambulabimus, quoniam ex Sion exibit lex et ex Hierosolyma verbum Domini. Judicabit populos et omnes gentes longinquas arguet. Cum autem eas judicaverit et reprehenderit, correctionem accipient, reconciliabuntur et convertentur a duritie sua. Gladios suos confractos mutabunt in vomeres et lanceas suas in falces. Deinceps non assumet gladium gens adversus gentem, neque bellandi artem addiscent.* Revera populi qui Deum ignorabant, gladiis, lanceis et hastis cum oppressoribus atque raptoribus olim pugnabant; Christus autem Salvator adveniens arcum bellicum confregit, pacem nationibus annuntiavit, ex gladiis earum conflavit vomeres, lanceasque in falces convertit, ut labore manuum suarum, non rapinis vitam sustentarent. — Scriptum etiam est (3) : *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen Domini.* Antea quippe neque erant gentibus labia electa, neque nomen Domini invocabant; verum labiis suis celebrabant idola quæ ipsarum manus fecerant, et, nedum nomen Domini

(1) *Genes.* XLIX, 10.
(2) Isai. II, 2-4, et Mich. IV, 1-3.
(3) Sophon. III, 9.

invocarent, deorum suorum opem implorabant. Propheta Zacharias quoque hæc prædixit (1) : *Adhærebunt Domino gentes multæ et robustæ*. Pariter Jeremias propheta de gentibus apertissime locutus est, dum dixit (2) : *Simulacra sculpta gentes relinquent, et, exclamantes, in hæc verba erumpent : Idola mendacii, quæ a patribus nostris hæreditate accepimus, nihil sunt*. Idemque Jeremias populum suum ita admonuit (3) : *State in viis, interrogate de semitis mundi, considerate quænam via sit bona, ut in ea ambuletis*. At illi, pertinaces, responderunt sese non ambulaturos. Quare propheta rursus (4) : *Præposui vobis speculatores, tubæ vocem audite*. Et iterum responderunt (5) : *Nequaquam audiemus*. Et hæc quidem manifeste egerunt Israelitæ tempore Jeremiæ, dum hic prædicaret eis verbum Domini. Restiterunt, dicentes (6) : *Quæ præcepisti nobis in nomine Domini non audiemus; sed quod placet nobis faciemus, quidquid nobis libuerit agemus, diisque extraneis aromata offeremus*. Postquam autem perspexit (Deus) se ab illis non audiri, ad gentes conversus, istas in hunc modum adhortatus est (7) : *Audite, gentes; disce, ecclesia quæ es in nationibus; auscultet universa terra*. Vidensque Judæos sibi audacter obsistere, verbisque procacibus respondere, tunc eos dereliquit, sicut per prophetam comminatus est (8) : *Reliqui domum meam, hæreditatem meam dimisi; quam*

(1) Zachar. II, 11.
(2) Jerem. XVI, 19.
(3) Ibid. VI, 16.
(4) Ibid., v. 17.
(5) Ibid.
(6) Jerem. XLIV, 16, 17.
(7) Ibid. VI, 18.
(8) Ibid. XII, 7, 9.

*diligebam potestati inimicorum ejus tradidi. Loco ejus avis discolor facta est mihi hæreditas.* Porro hoc nomine designatur Ecclesia quæ ex gentibus et omnibus linguis collecta est. Ne vero ignorare possis Judæos a Deo vere derelictos esse, audi et Isaiam dicentem (1) : *Populum tuum, Jacobi posteros, deseruisti.* Eosdem autem vocavit (Dominus) Sodomitas et populum Gomorrhæ, atque pro eis introduxit gentes, quas domum Jacobi appellavit. Dixit enim Isaias, gentes nomine domus Jacobi compellans (2) : *Domus Jacobi, venite; ambulabimus in lumine Domini. Derelictus enim ab eo populus domus Jacobi et factus est populus Gomorrhæ, cui præsunt principes Sodomæ, cujus pater Amorrhæus et mater Cethæa; mutatus est et conversus in vineam extraneam, cujus uvæ et botri amaritudinis pleni : filii rebelles, argentum abjectum, vitis Sodomæ et planta Gomorrhæ, vinea quæ siliquas pro uvis protulit, vitis cujus ramos ignis consumpsit, ita ut nulli usui utilis vel necessaria esse possit.* Duo populi hic nomine Jacobi designati sunt, quorum alter in lumine Domini incedit, alter derelictus est. Priori, sublato Jacobi nomine, imposita est appellatio principum Sodomæ; illud vero nomen retinuit populus ex gentibus collectus. Alius etiam propheta vaticinatus est fore ut gentes, loco populi electi, victimas offerrent. Ait enim (3) : *Magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco adhibentur nomini meo oblationes mundæ.* De Israele autem hæc pronuntiavit Jeremias (4) : *Oblationes vestræ mihi non*

(1) Isai. II, 6.
(2) Isai. II, 5, 6; cf. etiam I, 10, V, 2, et XXX, 1; it. Ezech. XVI, 3 XIX, 12; Jerem. II, 21, VI, 30; *Deuteron.* XXXII, 32.
(3) Malach. I, 11.
(4) Jerem. VI, 20.

*erunt acceptæ;* addiditque (1) : *Neque victimæ vestræ mihi placuerunt.* »

Ex hoc exemplo unusquisque colligere potest quonam modo Sapiens Persa Scripturæ auctoritatem in medium afferre soleat, ubi de re dogmatica vel polemica stabilienda agitur. Sacrum scilicet textum plerumque sensu litterali et etiamnum communiter recepto usurpat; quædam tamen passim intermiscet ad quæstionem minus pertinentia vel cum veritate demonstranda verbali tantum, ut ita dicam, non reali relatione connexa, qualia sunt quæ supra de appellatione domus Jacobi, de principibus Sodomæ, populo Gomorrhæ, etc., proponit, ex diversis fontibus collecta nec unam eamdemque sententiam ex interpretum mente complectentia.

Quemadmodum autem Scripturarum oracula de vocatione gentilium et Judæorum reprobatione, ita quæ ad Messiam ejusque in mundo apparitionem spectant frequenter versat Aphraates. Huc refert tum promissionem Abrahamo factam de nationibus universis in ejus semine benedicendis, ostendens semen illud ipsum Christum esse (2), tum prophetiam Jacobi Patriarchæ, filio Judæ benedicentis, quam, a versione *Simplici* parum dissentiens, sequenti modo exhibet (3) : ܠܐ ܢܥܢܕ ܫܒܛܐ ܡܢ ܝܗܘܕܐ . ܘܡܚܩܘܩܢܐ ܡܢ ܒܝܬ ܪ̈ܓܠܘܗܝ . ܥܕܡܐ ܕܢܐܬܐ ܡܢ ܕܕܝܠܗ ܗܝ ܡܠܟܘܬܐ ܘܠܗ ܥܡ̈ܡܐ ܢܣܒܪܘܢ . Ejusdem argumenti illustrandi gratia, adducit vaticinia Isaiæ de Virgine conceptura et paritura Filium cui

(1) Loc. cit.

(2) Wright., p. ܫܘ .

(3) Ibid., pp. ܫܠܒ, ܫܢ, ܫܣ, ܫܟܒ .

nomen Emmanuel (1), Malachiæ de sacrificio universali (2) et Danielis de septuaginta hebdomadibus (3), ultimumque fuse et scite exponit. Denique, ut paucis omnia complectar, inter præcipuas de Christo futuro et de tempore adventus ejus prædictiones, vix ulla est quam non recitaverit vel aliquatenus explicuerit.

Messiam inde ab antiquis temporibus præmonstratum fuisse et exspectatum veluti ex professo docet in Epistola de divina Christi filiatione (4) : « Necesse etiam est, inquit, ut ostendamus hunc Jesum a prophetis olim prænuntiatum, simulque Filium Dei vocatum esse. Dixit David (5) : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum (6) : *In splendoribus sanctitatis ex utero pridem parvulum genui te.* Et Isaias ait (7) : *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis; principatus ejus super humerum ipsius. Vocabitur res mira, consiliarius, Deus fortis sæculorum et princeps pacis ad amplificandam potestatem suam; pacisque nullus erit finis.* Ut igitur Christum vocemus Filium Dei a Davide edocti sumus, eumdemque Deum appellandum ex Isaia didicimus. Principatus autem ejus ipsius humero impositus fuit quando, Hierosolyma egrediens, crucem suam portavit. Alio etiam loco prædixerat Isaias infantem nasciturum (8) : *Ecce Virgo*, inquit, *concipiet parietque, et vocabitur*

(1) Wright., p. ܩܣ .
(2) Ibid., p. ܩܢ .
(3) Ibid., pp. ܩܥܐ, ܩܥ et ܩܠܐ .
(4) Ibid., p. ܩܠܒ seqq.
(5) *Ps.* II, 7.
(6) *Ps.* CIX, 3.
(7) Isai. IX, 5, 7.
(8) Isai. VII, 14.

*filius ejus Emmanuel, id est, Deus noster nobiscum.* Quod si contendas Messiam hucusque non venisse, pertinaciæ tuæ dabo et hoc responsum. Scriptum est (1) *gentes in Christo, cum hic apparuerit, spem suam posituras esse.* En ego, ex gentibus ortus, audivi eum advenisse, et priusquam reapse venerit, credidi in ipsum, atque in ipso Deo Israelis adorationem exhibeo. Numquid ille, quo tempore veniet, me reprehendet, eo quod, antequam prodiret, in ipsum crediderim? Verum enimvero prophetæ non permittunt tibi, insipiens, ut asseras Messiam nondum apparuisse. Coarguit te Daniel dicens (2) : *Post hebdomades sexaginta duas Christus veniet et occidetur. Ipso adveniente, civitas sancta destruetur, vastatione finem accipiet, et donec compleantur quæ præfinita sunt, in vastitate manebit.* Tu igitur speras confidisque fore ut, Christo veniente, Israel ex omnibus locis congregetur, Hierosolyma ædificetur et exsurgat. Daniel vero docet, quum Messias venerit et occisus fuerit, Hierosolymam vastatum iri, eamque in vastitate mansuram donec impleantur quæ præfinita sunt. » — Alia dein subjungit Sapiens Persa de doloribus, opprobriis ac morte Christi, ab Isaia passim prædictis; quæ alibi (3) commemoravimus.

Finem denique de hac re dicendi fecerimus, si allata fuerint quæ in *Epistola XIX* de septuaginta visionis Danielicæ hebdomadibus fusius habentur (4). Quæ talia sunt : « Audi etiam quæ tibi traditurus sum de precibus quas Daniel coram Deo fudit, quando pro popularibus

(1) *Genes.* XLIX, 10.
(2) Dan. IX, 26, 27.
(3) Sup., pag. 250.
(4) Wright., p. ܫܢ .

suis oravit et supplicavit, ut scilicet Babylone reverterentur. Daniel enim vir desiderii erat, cui revelata fuerant mysteria et qui res circa finem futuras manifestavit. Quoniam ipse propheta erat, prophetarum oraculis recte usus est. Nam quo tempore populus Judæorum in captivitate Babylonica degebat, surrexerunt inter eos pseudoprophetæ, qui falsa sic prænuntiabant (1) : *Hæc dixit Dominus : Post duos annos jugum Nabuchodonosoris, regis Babylonis, collo omnium nationum excutiam.* Quam pseudoprophetarum prædictionem cum rescivisset Jeremias, epistolam scripsit misitque Babylonem. *Nolite,* aiebat (2), *audire prophetas mendaces qui inter vos conversantur, vosque ad confidentiam hortantur, dicentes : Post duos annos Babylone revertemini. Hæc contra præcipit Dominus : Domos ædificate, domicilium constituite, plantate hortos et fructus eorum comedite; assumite uxores filiis vestris, vestrasque filias date in matrimonium, quoniam nisi anni septuaginta Babylone transacti fuerint, ex loco isto non discedetis.* Daniel autem, qui Spiritu plenus erat, sciebat veram esse Jeremiæ prophetiam. Quare elapsis annis septuaginta, preces supplicationesque Deo obtulit. » — Recitato integro capite IX Danielis, quo et prophetæ oratio et revelatio ipsi per angelum tradita enarrantur, ita pergit Aphraates (3) : « Septuaginta hebdomades anni sunt nonaginta supra quadringentos, qui a tempore quo Daniel oravit usque ad ultimam Hierosolymæ vastationem elapsi sunt : exinde enim suis incolis civitas orba

(1) Jerem. XXVIII, 11.
(2) Ibid. XXIX, 8, 5, 6, 18.
(3) Wright., p. ܬܫܐ seqq.

fuit. Ait autem propheta (1) : *Post hebdomades septem Hierosolymam iterum ædificabimus.* Postquam Judæi duce Esdra a captivitatis loco ascenderant et templum exstruere cœperant, diebus Cyri et Darii fundamenta quidem ædificii posuerunt, sed ab hostibus, tempore Darii, Artaxerxis et aliorum regum Persarum, impediti sunt, neque facultas iis relicta fuit ut ædificationem perficerent. Qua de re tibi exponam quid Scriptura obscure significet. Hæc apud Zachariam prophetam leguntur (2) : *Vidi candelabrum cui lucernæ septem superpositæ, et lucernis singulis infusoria septem*, hoc est (si summam subducas), quadraginta novem, quot anni septem hebdomadibus continentur. Porro in eadem prophetia ista adduntur (3) : *Hoc est Domini effatum de Zorobabele : Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo.* Antea autem dictum erat (4) : *Manus Zorobabelis fundamenta hujusce domus posuerunt et manus ejusdem eam perficient.* Totum igitur tempus a die quo jacta sunt templi fundamenta usque ad absolutam ædificationem quadraginta novem annos complectitur. Hæ autem septem hebdomades ex illis septuaginta sunt. En, vides quid significet visio candelabri instructi septem lucernis quibus sunt infusoria novem et quadraginta; item quale sit Domini de Zorobabele effatum; quid de illis quadraginta novem annis sentiendum. Post istas hebdomades quæ, tempore Zorobabelis, in ædificationem templi

(1) Dan. IX, 25.

(2) Zachar. IV, 2.

(3) Ibid., v. 6.

(4) Ibid., v. 9. Cum autem asseratur hoc effatum in sacro textu iis præcedere (ܩܕܡ ܡܠ̈ܠܐ) quæ statim recitata sunt, necesse est dicamus vel auctorem memoria lapsum esse, vel librarium mendose posuisse ܩܕܡ ܡܠ̈ܠܐ, legendumque, v. g., ܩܕܡ ܫܘܠܡܐ .

insumentur, habitabitur Hierosolyma hebdomades duas et sexaginta, seu annos quadringentos triginta quatuor. Quare vero propheta supra dixit (1) : *Septuaginta hebdomades elabentur super populum tuum et super urbem sanctam tuam?* dum subinde ponit tum septem, tum sexaginta duas hebdomades, quæ simul sunt novem et sexaginta. Hoc videlicet infra subdit (2) : *Hebdomada una erit, et in dimidio hebdomadæ deficient victima et sacrificia;* ubi significatur una ex septuaginta hebdomadibus, qua currente desinet sacrificium. Infer igitur fuisse hebdomades septuaginta, non secus ac septuaginta annos comprehendit totum illud tempus quo, Judæis in regione Babylonica captivis, terra quievit atque in vastitate mansit. Persuasum tibi sit Christum, elapsis illis hebdomadibus, venisse et interfectum esse ut adimplerentur visio et prophetiæ.— Jacobus quoque, pater noster, quum Judæ benedixit, hæc vaticinatus est (3) : *Non deficiet sceptrum de Juda neque expositor de stirpe ejus, donec veniat ille cujus est regnum*. Intellige itaque, carissime, tibique certum sit hebdomades ad finem pervenisse, visiones et prophetias defecisse, regnum a Juda recessisse. Ecce enim Hierosolyma vastata est et incolæ ejus in omnes nationes dispersi; filii Israelis sacrificiorum atque altaris expertes, et donec ad exitum perducantur quæ præfinita sunt, Hierosolyma in desolatione et vastitate permanebit. Vinea depopulata est, spinasque protulit. Ambos vitis ramos ignis absumpsit. Maceries vineæ disrupta est, turris eversa, torcular destructum. Abjectum est argentum

(1) Dan. IX, 24.
(2) Dan. IX, 27.
(3) *Genes*. XLIX, 10.

neque ulli usui esse potest, Hierosolymæ datus est repudii libellus. »

Quam probe Aphraates litteralem etiam et historicum divinarum Scripturarum sensum calluerit, qua arte eumdem exposuerit, quisque, nisi fallor, ex paucis speciminibus adhuc productis aliquatenus intelligere potest. Qui plura cupiat, ea in *Epistolis* passim magno numero obvia inveniet. Conspicua imprimis sunt quæ continet *Dissertatio de bellis* in quatuor monarchias variis signis et visionibus Danieli divinitus manifestatas.

# APPENDIX.

Quod *Dissertationis* nostræ initio (1) promisimus, fore scilicet ut appendicis loco quædam Aphraatis excerpta, latinitate donata, proponeremus, quæ omnibus assertionibus considerationibusque de auctoris doctrina et scribendi modo præmissis lucem adderent atque confirmationem, id jam, post tot exempla antehac, per cujusque ferme quæstionis occasionem, producta, minus necessarium videtur. Ut tamen datam exsolvamus fidem, unumque saltem præbeamus integræ alicujus tractationis specimen, subdimus *Homiliæ XXI, de persecutione*, interpretationem (2), nulla adjecta commentatione, præter perpaucas notulas quæ ad litteralem textus sensum hic illic illustrandum pertinent.

## HOMILIA DE PERSECUTIONE.

Contumeliam audivi quæ mihi valde molesta fuit, hominibus immundis (3) asserentibus nullum esse Deum populo huic, qui ex omnibus nationibus congregatus

(1) Sup., p. 58.

(2) Alibi monuimus *Homiliam* hanc nonnisi in textu primigenio adhuc exstare.

(3) ܛܡ̈ܐܐ vocabulum, quod proprie est *impurus*, *immundus*, *infideles* hic denotat. Eodem modo hebraicum טְמֵא de gentilibus vel rebus quæ ad ipsos attinent apud Is. XXXV, 8 et LII, 11, usurpatur.

est. Sic quippe arguunt peccatores : « Si istis adsit Deus, quare ultionem populi sui non exercet? » Densiorque tristitiæ nubes mihi incubat (1), eo quod Judæi quoque nobis conviciantur et supra filios gentis nostræ superbe se efferunt. Accidit enim quadam die ut vir, qui sapientis nomen apud Judæos obtinet, me sic interrogaret : « Jesus, quem Magistrum vocatis, hæc vobis pollicitus est (2) : *Si vobis insit fides sicut unum sinapis granum, præcipietis monti huic ut discedat, et ex conspectu vestro discedet; eumdemque jubebitis tolli et in mare projici, vobisque obediet.* At ne unus quidem homo sapiens in omni populo vestro reperitur, cujus oratio ita exaudiatur vel qui persecutionum vestrarum finem rite a Deo postulet, siquidem scriptum vobis est (3) : *Nihil non poteritis facere.* » — Quem postquam blasphemantem absurdaque multa effutientem audivi, commota est mens mea, novique rectam verborum quæ mihi recitaverat interpretationem ab ipso non admitti. Tunc egó vicissim, eum de Legis et Prophetarum effatis interrogans, dixi : « Creditis vos Deum, etsi dispersi estis, vobis adesse. » Et confessus est : « Nobiscum est Deus, quoniam de Israele hæc pronuntiavit (4) : *Eos nec in hostium regionibus exstantes dereliqui, pactumque a me cum iis initum non fregi.* » Cui respondi : « Ad-

(1) ܘܝܬܝܪ ܩܛܪܬ ܥܠܝ ܥܪܦܠܐ verbotenus est : *Et magis colligavi super me nebulam*, vel *caliginem*. Nomine enim ܥܪܦܠܐ tum *nebulam, eamque densam*, tum *caliginem*, primario significari posse docent lexicographi. Legenti autem patet vocem hic translative sumi de *cura gravi* seu *tristitia*. Neque nova vel inaudita hujusmodi metaphora est. Ita, ut hoc utar, in more poetarum positum est ut mæstitiam appellent *nubila frontis*, notumque omnibus illud Horatii : Post equitem sedet *atra cura*.

(2) Matth. XVII, 19; XXI, 21.

(3) Ibid., XVII, 19.

(4) *Levit.* XXVI, 44.

modum placent quæ a te audivi, Deum vobiscum esse. Contra illa tua verba quædam et ego objiciam. Isaias propheta hæc Israeli Dei verbis promisit (1) : *Si per mare ambulabis, tibi adero, neque flumina te obruent; si in igne incesseris, non combureris, neque flamma te concremabit, quoniam tecum est Dominus Deus tuus.* Porro in universo populo vestro non existit vir aliquis, justus, rectus ac prudens, qui, per mare incedens, suffocatione non pereat, vel, in flumine ambulans, non submergatur, vel, ignem conculcans, non aduratur aut flamma non concremetur. Quod si interpretationem mihi adducas, fidem tibi non adhibebo, quemadmodum tu expositionem verborum de quibus quæstio est a me non recipis. » — Dein hominem interrogavi de alio Scripturæ effato, ab Ezechiele ad Hierosolymam directo (2) : *Sodoma et filiæ ejus manebunt* (3) *quales antea erant, et tu filiæque tuæ eritis sicut prius fueritis.* « Hanc igitur sententiam — ita ipsum provocavi mihi — explices. » Cœpitque ille defensionis causa argumentari, et dixit : « Quæ Deus per prophetam Hierosolymæ nuntiavit : — *Sodoma et filiæ ejus manebunt quales antea erant, et tu filiæque tuæ eritis sicut prius fueritis,* — eo sensu sunt accipienda, ut Sodoma atque hujus filiæ ab incolis, sicut antea, occupandæ et potestati Israelis subjiciendæ, Hie-

(1) Is. XLIII, 2, 3.
(2) Ezech. XVI, 55.
(3) Lectionem codicis A, qui pro voce ܢܬܒܢܘܢ, *ædificabuntur*, quam cod. B suppeditat, et hic et infra habet ܢܬܩܝܡܘܢ *consistent, manebunt*, nos sequimur. Illud enim ܢܬܒܢܘܢ cum prophetiæ explicatione quam mox subdit Aphraates vix aut ne vix quidem conciliari posse videtur. Cæterum de versionis *Simplicis* auctoritate, quæ cod. A patrocinatur, non est cur dicamus.

rosolyma vero ejusque filiæ decore regni, non secus ac pridem, exornandæ sint. » Istiusmodi responsio nullius pretii esse mihi visa est, sicque excepi : « Quum prophetarum oracula ex ira proferuntur, omnis sententia iram exprimit. Cur enim dimidia pars iram, et dimidia pars favorem enuntiaret? » Et fassus est Judæus in effato minaci nihil minas non spirare, nihil pacificum nuntiari. Unde ita argui : « Quoniam mecum consentis nihil pacificum illi vaticinio iræ inesse, audi absque disceptatione et convitio, huncque locum tibi enucleabo. Supra videlicet et infra contexta oratio tota ex ira profertur. Dixerat namque propheta Hierosolymæ (1) : *Vivo ego, ait Dominus Deus, et testor non egisse Sodomam et filias ejus sicut egisti tu cum filiabus tuis*. Et deinde (2) : *Erubesce et porta confusionem tuam, quia sorores tuas peccatis vicisti, ipsæque justiores te apparent*. Quoniam igitur dictum est Sodomam atque ejus filias Hierosolymæ hujusque filiabus justiores esse et Hierosolymam peccatis suis Sodomæ antecellere, æquum est ut Israel, si quando congregabitur, Sodomæ et Gomorrhæ sedem figat; *vitis* enim *eorum de vite Sodomæ et de planta Gomorrhæ est ; uvæ eorum acerbæ et botri amarissimi* (3). Unde et Isaias Israelitas vocat principes Sodomæ et populum Gomorrhæ (4). Si enim congregetur Israel, eum oportet Sodomæ et Gomorrhæ, cum principibus, inquam, Sodomæ et populo Gomorrhæ, in vinea Sodomæ et plantaribus Gomorrhæ, habitare, uvas acerbas comedere et botros decerpere amarissimos, vesci prole basilisci,

(1) Ezech. XVI, 48.
(2) Ibid., XVI, 52.
(3) *Deuteron*. XXXII, 32.
(4) Is. I, 10.

telas araneæ induere, labruscæ baccas manducare et abjectum adhibere argentum. Ita Sodoma et filiæ ejus, quæ justiores Hierosolymæ fuere, exsurgent quales antehac erant; at Hierosolyma, quæ Sodomam peccatis suis superavit, in his permanebit et in vastitate relinquetur, donec eveniant quæ in æternum constituta sunt. Dicit autem Ezechiel (1) : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ et filiarum ejus quod manum miseris et pauperibus non porrigerent; quam cum vidissem in eis, easdem subverti* (2). Numera porro et attende ab ætate qua destructa est Sodoma usque ad ædificationem Hierosolymæ lapsos esse annos 896. Postquam scilicet Deus Abrahamo per angelum hæc nuntiavit (3) : *Anno proxime futuro, hoc anni tempore, ad te revertar, et erit Saræ, uxori tuæ, filius*, quoad Jacobus in Ægyptum ingressus est, anni fuerunt 200 (4); filii autem Jacobi in Ægypto annos 205 commorati sunt, ita ut omnes anni a conceptione Isaaci et Sodomæ eversione usque ad egressionem ex Ægypto sint 419 (5). Dein ab exitu Israelis ex Ægypto quoad Hierosolyma majorem partem a Salomone ædificata est templumque constructum, anni numerantur

(1) Ezech. XVI, 49, 50.

(2) Postremum hoc incisum tum apud Aphraatem, tum in Peschittha, sic se habet : ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܚܙܝܬ ܒܗܘܢ ܗܦܟܬ ܐܢܝܢ . Quæ propositio sensum quidem fundit a Vulgata nostra diversum, at textus primigenii vim accurate exprimit. In illa quippe hæc leguntur : *Et abstuli eas, sicut vidisti*; hebraice vero : וָאָסִיר אֶתְהֶן כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי

(3) *Genes*. XVIII, 14.

(4) De hisce Aphraatis computationibus plurima codicibus mss. menda irrepsisse res ipsa statim manifestum faciet. Isthæc ut tolleret, varias proposuit conjecturas doctissimus Wrightius (p. ܫܝ seqq.), quem ducem in notulis de hac re subjectis sequimur. In præsenti loco pro 200 legendum monet 204.

(5) Juxta cod. A : 409. Quæ lectio genuina videtur.

480 (1). Itaque a conceptione Isaaci et destructione Sodomæ usque ad præcipuam Hierosolymæ ædificationem anni fluxere omnino 896. A magna vero ædificatione Hierosolymæ usque ad ejusdem vastationem annos habes 425, ac proin summa annorum a tempore eversionis Sodomæ usque ad Hierosolymæ desolationem lapsorum ad 1321 assurgit. Hi sunt universi anni quibus Sodomæ et filiarum ejus ruina ruinam Hierosolymæ præcessit; et, quamquam illa civitas justior fuit Hierosolyma, hucusque deserta manet. Si igitur omne computes tempus quod ab excidio Sodomæ ad annum 655 regni Alexandri, filii Philippi Macedonis, intercessit, annos habes 2076 (2), nam a tempore quo Babylonii Hierosolymam vastarunt usque ad hanc nostram ætatem anni sunt 955. Hierosolyma, postquam a Babyloniis direpta fuerat, denuo inhabitata est per illas 70 hebdomadas de quibus agit Daniel propheta; tum a Romanis iterum vastata est, nec deinceps unquam restituetur, sed in vastitate permanebit donec eveniant quæ præfinita sunt. Omnes porro anni utriusque vastationis Hierosolymitanæ, prioris nempe et posterioris, sunt 465; unde si 70 annos captivitatis Babylonicæ educas, restant anni 395. »

Universam hanc disceptationem tibi conscripsi propter Judæorum jactantiam, futurum esse ut ipsi denuo congregentur. Si enim Sodoma, cujus iniquitas iniquitate Hierosolymæ minor erat, neque adhuc restituta est, neque unquam, ut asserimus, restituetur, quomodo instauraretur Hierosolyma, cujus delicta delictis Sodomæ et filiarum ejus graviora fuerunt? Inde ab annis 2076 (3)

(1) Legendum : 487?

(2) Ut computationum series sibi constet, substituendus numerus 2276.

(3) Vid. sup. not. 2.

Sodomæ Deus non miseretur; quare diceremus fore ut ipsum misereat Hierosolymæ, quæ, juxta computationem supra adductam, ante 395 annos vastata est? Quod spectat ad illud effatum : *Sodoma et filiæ ejus manebunt quales antea erant, tu vero* (Hierosolyma sic compellatur) *et filiæ tuæ eritis quales prius fueritis*, eodem significatur has civitates nunquam instauratum iri. Dominus enim regioni cui irascitur ita maledicit (1) : *Nec semina accipiet, nec fructus aut ullam herbam producet, sed erit sicut Sodoma et Gomorrha, quibus succensuit Dominus et quibus non est reconciliatus*. Persuasum igitur habeas, o auditor, Sodomam et filias ejus nunquam exsurrecturas, sed mansuras quales prius fuerint, prout scilicet hucusque, incolis orbæ et iræ perpetuæ Domini subjectæ, jacuerunt. Hierosolyma quoque et filiæ ipsius in pristino statu erunt, sicut nimirum olim vastus et desertus erat mons Amorrhæorum, quum in eo exstruxit Abrahamus aram, cui illigavit filium suum Isaacum, vel sicut idem desertus erat quando emit David ab Areuna Jebusæo aream in qua altare ædificavit. Adverte enim montem illum in quo Abrahamus filium suum obtulit ipsum esse montem Jebus, seu Hierosolymam, aream vero quam emit David ab Areuna ipsum esse locum cui templum impositum fuit. Ita igitur Hierosolyma in vastitate, ut antea, existit. Animadverte etiam tum tempore quo Ezechiel prophetavit adhuc in splendore suo constitisse Hierosolymam, cujus incolæ nonnisi postea contra regem Babylonis rebellarunt, tum sententiam a propheta enuntiatam ex ira et reprehensionis gratia in Hierosolymam prolatam esse. Hoc denique,

(1) *Deuter.* XXIX, 23.

auditor, intellige et nota : si spem Deus relictam voluisset Sodomæ et urbibus quæ huic sociæ erant, ipsas non igne et sulphure, quæ signa sunt diei ultimæ mundi, consumpsisset, verum easdem in manus alicujus regis castigandas tradidisset. Ita enim, ut in Scriptura legimus, quando Jeremias poculum furoris populis atque regnis propinavit, Dominus, de singulis civitatibus agens, promisit, quum calicem illæ ebiberint, finem a se impositum iri captivitati Elymaidis, Tyri, Sidonis, filiorum Ammon et Moab. Et de unoquoque ex illis regnis dixit : *In fine dierum captivos ejus reducam* (1). Unde videmus Tyrum restitutam et bonis affluentem, postquam, annis 70 oblivioni tradita, pœnam quæstuum suorum exsolvit et in omnibus regnis fornicata est : citharam sumpsit docteque pulsavit, cantum frequentavit (2). Incolis etiam et bonis abundat Elymais. De Babylone vero dixit Jeremias (3) : *Cadet Babylon nec consurget*. Et reapse civitas ista in vastitate adhuc manet et perpetuo manebit. De Hierosolyma quoque scriptum est (4) : *Cecidit nec resurget virgo Israelis. Jacens humi derelicta est; nemo est qui ipsam erigat*. Quod si vera est prophetia quam Jeremias in Babylonem edidit, verum etiam est atque fide dignum quod de Hierosolyma prædictum fuit. Promissio autem ab Isaia ad Hierosolymam directa (5) : *Deinceps tibi non irascar neque te increpabo*, haud mendax est : civitati non irascetur Deus, neque

(1) Vid. Jerem. XXV, 15 seqq., coll. XLVIII, 47, et XLIX, 6, 39.

(2) Allusio est ad verba Isaiæ, XXIII, 15 seqq., quibus comparatur Tyrus, opibus et splendore reflorescens, meretrici, quæ per vicos et plateas discurrit, *præparata ad capiendas animas*.

(3) Jerem. LI, 64.

(4) Amos V, 2.

(5) Is. LIV, 9.

eam reprehendet unquam; quæ enim jam vastata est, nec redarguitur, nec ad iram provocat. Porro qui nobis ita conviciantur : « Vexationibus obnoxii estis neque liberamini, » erubescant ipsi quod quavis ætate persecutioni subjacuerunt et anni multi lapsi sunt antequam eriperentur. Israelitæ 225 annos (1) in Ægypto servierunt; eos tempore Barac et Deboræ Madianitæ subjecerunt; iisdem Moabitæ, in diebus Achor, Ammonitæ, in diebus Nephtah (2), Philisthæi, in diebus Samsonis, itemque Heli et Samuelis prophetæ, Idumæi, in diebus Achab, et Ituræi, in diebus Ezechiæ, dominati sunt. Eos rex Babylonis e regione ipsorum eradicavit atque dispersit. At quamvis Deus illos plurimum probaverit atque castigaverit, non sunt emendati; quod eis exprobrat (3) : *Filios tuos frustra percussi; correctionem non acceperunt*. Et iterum (4) : *Dissecui prophetas et occidi eos verbo oris mei*. Hierosolymam alibi sic compellat (5) : *Doloribus et plagis erudire, Hierosolyma, ne forte recedat a te anima mea*. Illi autem Deum reliquerunt et idola coluerunt, prout de iis testatur Jeremias (6) : *Ite ad insulas longinquas, in Cedar mittite, sedulo attendite, et videte num sit aliquid huic rei simile, num gentes deos suos, deos utique inanes, commutent. Et tamen populus meus mutavit gloriam suam in idolum inutile. Obstupescite, cœli, de hac re contremiscite et*

(1) Pro 225, supra, pag. 312, habes 205. Utra lectio utri sit præferenda alius viderit.

(2) Quem Vulgata *Jephte*, eumdem versio Simplex et Aphraates ܢܦܬܚ, *Nephtah*, ubique nominant.

(3) Jerem. II, 30.

(4) Oseæ VI, 5.

(5) Jerem. VI, 8.

(6) Jerem. II, 10-13.

*vehementer extimescite, ait Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt, fontem aquarum vivarum et abeuntes foderunt sibi cisternas, cisternas diruptas, in quas aquam colligere nequeunt.* Cisternarum diruptarum nomine significatur idolorum cultus; cœli obstupefacti sunt eo quod colerent Judæi exercitus cœli; pœnas iidem dederunt, siquidem membranæ instar involuti sunt et vis eorum decidit.

Hanc omnem disputationem, quam supra habes, tibi conscripsi, carissime, quia Judæus quidam filiis populi nostri conviciatus erat. Cæterum, prout potero, ostendam tibi eos qui vexati fuerant magna mercede donatos, persecutores autem ignominia et contemptu affectos fuisse.

Jacobus persecutionem subiit, et Esavus persecutor fuit : Jacobus accepit benedictiones et primogeniti jura, et Esavus utraque re spoliatus est. Josephus persecutionem passus est, et fratres ejus persecutores fuerunt : Josephus evectus est, ipsius autem persecutores adoraverunt eum et ejus somnia atque visiones adimpleta sunt. Porro Josephus vexatus similitudo fuit Jesu (Christi) persecutioni obnoxii : Josephum induit pater tunica manicata atque fimbriata, et Jesus corpore ex virgine assumpto a Patre indutus est; Josephus a patre præ fratribus diligebatur, et Jesum magno amore Pater prosequitur; Josephus somniis et visionibus donatus fuit, et Jesus visiones atque prophetias adimplevit; Josephus cum fratribus suis gregem pascebat, et Jesus princeps pastorum est; Josephum, a patre missum ad invisendos fratres, cum vidissent hi venientem, consilium inierunt eum interficiendi, et postquam Jesum

misit Pater ad fratres visitandos, dixerunt isti (1) : *Hic est hæres, occidamus eum;* Josephum dejecerunt fratres in cisternam, et Jesum fratres ad sepulcrum deduxerunt; Josephus exiit e cisterna, et Jesus e sepulcro surrexit; Josephus, e cisterna egressus, potestatem in fratres suos adeptus est, et Jesu, a mortuis suscitato, dedit Pater nomen magnum et egregium, ut fratres ipsi subjicerentur, atque inimici pedibus ejus suppositi sunt; Josepho fratres suos agnoscente, hi erubuerunt, timuerunt, miratique sunt magnitudinem ejus, et coram Jesu, quando, in fine temporum veniens, majestatem suam manifestabit, pudore, terrore ac perturbatione afficientur fratres ejus, qui ipsum crucifixerunt; Josephus, Juda suadente, venditus est et ductus in Ægyptum, et Jesus e manibus Judæ Iscariotæ Judæis traditus est; Josephus, dum venderetur, verbum in fratres suos non protulit, et Jesus non locutus est nec responsum judicibus suis dedit; Josephus ab hero in carcerem injuste conjectus est, et Jesum populares inique damnarunt; Josephus duas vestes, unam in manibus fratrum, in potestate uxoris heri alteram, reliquit, et Jesus deposuit vestimenta sua, quæ milites inter se diviserunt; Josephus, triginta annos natus, coram Pharaone stetit, dominusque Ægypti constitutus est, et Jesus, triginta annos natus, venit ad Jordanem, ut baptizaretur, acceptoque Spiritu, regionem prædicandi gratia peragravit; Josephus panem Ægyptiis suppeditavit, et Jesus panem vitæ universo orbi dispensavit; Josephus uxorem accepit filiam sacerdotis iniqui et immundi, et Jesus adduxit ad se Ecclesiam ex gentibus immundis conflatam; Jose-

(1) Luc. XX, 14.

phus, quum obiisset, sepultus est in Ægypto, et Jesus Hierosolymæ mortuus est atque sepultus; Josephi ossa fratres ex Ægypto asportarunt, Jesum autem Pater a mortuis excitavit et secum in cœlum evexit corpus ejus incorruptum.

Moyses quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Moysen in lucem editum occultarunt, ne a persecutoribus occideretur, et Jesum, postquam natus est, abduxerunt in Ægyptum, ne interficeret eum Herodes persecutor; tempore quo natus est Moyses, pueri in flumine mergebantur, et, Jesu nascente, infantes in Bethlehem et regione finitima occisi sunt; Moysi dixit Deus (1) : *Mortui sunt viri qui quærebant animam tuam*, et Josephum in Ægypto ita admonuit angelus (2) : *Surge, accipe puerum et in terram Israelis perge, quia defuncti sunt qui quærebant puerum, ut vitam ei eriperent;* Moyses populum suum ex servitute Pharaonis eduxit, et Jesus universas gentes a servitute Satanæ liberavit; Moyses in domo Pharaonis educatus est, et Jesus adolevit in Ægypto, cum eum illuc abduxisset Josephus; Maria secus flumen stabat, Moyse fluitante in aquis, et Maria peperit Jesum, juxta nuntium ab angelo Gabriele allatum; quando Moyses mactavit agnum, interfecti sunt primogeniti Ægyptiorum, et quum Jesus, agnus verus, crucifixus est, propter ejus occisionem mortuus est populus interfector; Moysis opera manna populo Israelis cecidit, et Jesus corpus suum gentibus dedit; aquas quæ amaræ erant Moyses per lignum dulces effecit, et Jesus, per crucem suam, per lignum patibuli sui, dulcem reddidit amaritudinem

(1) *Exod.* IV, 19.
(2) Matth. II, 20.

nostram; Moyses legem populo suo desuper attulit, et Jesus præcepta sua gentibus tradidit; Moyses Amalecitam per manuum suarum extensionem devicit, et Jesus Satanam signo crucis suæ superavit; Moyses aquas ex petra populo suo eduxit, et Jesus misit Simonem Petrum, ut hujus doctrinam familia gentium reciperet; Moyses revelata facie cum Deo locutus est, et Jesus velamen a facie populorum sustulit, ut doctrinam suam audirent atque amplecterentur; Moyses legatis suis manus imposuit, hique sacerdotium acceperunt, et Jesus imposuit manus Apostolis suis, qui Spiritu Sancto donati sunt; Moyses ascendit in montem, ibique mortuus est, et Jesus ascendit in cœlum, ubi a dextra Patris sui consedit.

Josue quoque, Nuni filius, persecutionem subiit, et Salvator noster persecutionem subiit. Josue, Nuni filius, vexatus est a gentibus immundis, et Jesus, Salvator noster, vexatus est a populo insipiente; Josue, Nuni filius, hæreditatem a persecutoribus suis ablatam populo suo dedit, et Jesus, Redemptor noster, hæreditatem a persecutoribus ablatam gentibus extraneis contulit; Josue, Nuni filius, solem in cœlo consistere jussit, pœnasque sumpsit a populis qui ipsum vexabant, et Jesus, Salvator noster, ut erubesceret populus persecutor, qui ipsum crucifixerat, solem tempore meridiano velavit; Josue, Nuni filius, hæreditatem populo suo divisit, et Jesus, Salvator noster, promisit sese gentibus terram viventium largiturum; Josue, Nuni filius, Rahab meretricem vivere permisit, et Jesus, Salvator noster, ecclesiam meretricio deditam congregavit ac vivificavit; Josue, Nuni filius, die septimo muros Jerichontis concussit dejecitque, et die septimo

Jesu, Salvatoris nostri, volvente sabbato requiei Dei, hic mundus dissolvetur ac peribit; Josue, Nuni filius, Achar (1), qui anathema furatus erat, lapidavit, et Jesus, Salvator noster, Judam, eo quod pecuniam pauperum subripiebat, a discipulis, comitibus suis, segregavit; Josue, Nuni filius, quum mortuus est, testimonium in populo suo reliquit, et Jesus, Salvator noster, in cœlum ascendens, Apostolos suos testes constituit.

Nephtah quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Nephtah a fratribus e domo paterna pulsus est, et Jesus a fatribus vexatus, in crucem actus, huicque affixus est; Nephtah, vexatus, dux populi sui evasit, et Jesus, vexatus, resurrexit, estque rex populorum; Nephtah votum emisit et filiam suam primogenitam obtulit in sacrificium, et Jesus ipse Patri suo pro omnibus gentibus tanquam victima oblatus est.

David quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. David a Samuele unctus est, ut esset rex pro Saule, qui peccaverat, et Jesus unctione a Joanne donatus est, ut esset sacerdos magnus loco sacerdotum legis prævaricatorum; David post unctionem suam vexatus est, et Jesus post unctionem suam vexatus est; David primum in unicam tribum, ac dein in omnem Israelem regnum adeptus est, et Jesus primum in paucos qui ipsi crediderant regnavit, in fine autem universo mundo dominabitur; Davidem triginta annos natum unxit Samuel, et Jesus, natus triginta annos, impositionem manuum a Joanne recepit; David uxores sumpsit duas regis filias, et Jesus duas filias regis, congregationem nempe populi Israelitici et con-

(1) In Vulgata, *Achan*.

gregationem gentium, assumpsit; David Sauli, inimico suo, beneficia rependit, et Jesus doctrinam hanc inculcavit (1) : *Orate pro inimicis vestris;* David Deo carus fuit, et Jesus Filius Dei est; David accepit regnum Saulis, persecutoris sui, et Jesus accepit regnum Israelis, persecutoris sui; David propter inimici sui mortem flevit, lamentaque emisit, et Jesus lacrymas fudit, quia Hierosolyma, quæ ipsum persequebatur, vastanda erat; David regnum Salomoni tradidit et populo suo aggregatus est, et Jesus, clavibus Simoni traditis, ad eum qui se miserat ascendit; propter Davidem filiis ejus remissa sunt peccata, et propter Jesum peccata gentibus condonantur.

Elias quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Eliam vexavit Jezabel homicida, et Jesum vexavit synagoge, persecutrix et homicida. Elias, propter peccata Israelis, cœlum a pluvia prohibuit, et Jesus, in adventu suo, propter iniquitates populi, Spiritum a prophetis prohibuit; Elias servos Baal neci dedit, et Jesus conculcavit Satanam ejusque exercitus; Elias suscitavit filium viduæ, et Jesus ad vitam revocavit filium viduæ, item Lazarum et filiam archisynagogi; Elias viduam parvulo pane aluit, et Jesus hominum millia paucis panibus satiabat. Elias curru in cœlum sublatus est, et Salvator noster ascendit et a dextra Patris sui sedet; Spiritum Eliæ accepit Eliseus, et Jesus in facies Apostolorum suorum insufflavit.

Eliseus quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Eliseus a filio Achabi, filio homicidæ, vexatus est, et Jesus a populo homicida vexatus est;

(1) Luc. VI, 28.

Eliseus vaticinatus est, fuitque abundantia in Samaria, et Jesus dixit (1) : *Qui manducat corpus meum et sanguinem bibit, vivet in æternum;* Eliseus paucis panibus centum viros satiavit, et Jesus quatuor hominum millia, præter mulieres et infantes, quinque panibus saturavit; Eliseus aquam in oleum mutavit, et Jesus aquam in vinum convertit; Eliseus viduam a creditore eripuit, et Jesus populos debitores liberavit; Elisei opera ferrum supernatavit, lignumque demersum est, et Jesus demersionem nostram sublevavit, nostramque arrogantiam demersit; supra ossa Elisei mortuus aliquis revixit, et supra ossa Jesu projectæ sunt et vivunt omnes gentes, quæ per peccata sua mortuæ erant.

Ezechias quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Ezechias persecutionem passus et contumelia affectus est a Sennacherib, inimico suo, et Jesus contumelias accepit a populo insipiente; Ezechias precatus est, hostemque suum devicit, et per Jesu crucifixionem hostis noster superatus est; Ezechias rex omnis Israelis fuit, et Jesus rex est omnium populorum; quia Ezechias ægrotavit, sol retro rediit, et quoniam passus est Jesus, solis lux obscurata est; Ezechiæ hostes morti traditi sunt, et inimici Jesu sub pedibus ejus prostrati fuere; Ezechias ex stirpe domus Davidicæ oriundus erat, et Jesus filius est Davidis per carnem; Ezechias dixit (2) : *Sit pax et æquitas in diebus meis,* et Jesus dixit discipulis suis (3) : *Pacem meam relinquo vobis;* Ezechias preces fudit atque ab infirmitate sua convaluit, et Jesus oravit, surrexitque e sepulcro;

(1) Joan. VI, 55.
(2) *IV Regum* XX, 19.
(3) Joan. XIV, 27.

Ezechias, postquam e morbo convaluit, plures adhuc annos vixit, et Jesus post suam resurrectionem, magnam accepit gloriam; in Ezechiam, post vitæ productionem, mors dominata est, at in Jesum suscitatum mors nullo unquam tempore prævalebit.

Josias quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Josias vexatus est, eumque interfecit Pharao claudus, et Jesus vexatus est atque occisus a populo, qui peccatis claudicavit; Josias terram Israelis ab immunditia purgavit, et Jesus immunditiam universæ terræ abstersit atque abegit; Josias nomen Dei sui honoravit laudavitque, et Jesus dixit (1) : *Celebravi et celebrabo;* Josias propter iniquitatem Israelis scidit vestimenta sua, et Jesus propter iniquitatem populi velum templi sancti discidit; Josias dixit (2) : *Ira magna in populum istum accensa est*, et Jesus dixit (3) : *Ira genti huic superveniet et acie gladii cadent;* Josias ex templo sancto immunditiam expulit, et Jesus mercatores immundos abegit e domo Patris sui; Josiæ calamitatem planxerunt atque lamentatæ sunt filiæ Israelis, dicente Jeremia (4) : *Filiæ Israelis, Josiæ sorti illacrimate*, et propter Jesum fleverunt luxeruntque filiæ Israelis, sicut dixit Zacharias (5) : *Singulæ tribus terræ lugebunt.*

Daniel quoque persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Daniel vexatus est a Chaldæis, cœtu hominum impiorum, et Jesus vexatus est a Judæis, congregatione hominum iniquorum; Danielem calum-

(1) Joan. XII, 28.
(2) *IV Regum* XXII, 13.
(3) Luc. XXI, 23, 24.
(4) *II Paralipom.* XXXV, 25.
(5) Zachar. XII, 12.

niati sunt Chaldæi, et Jesum calumniati sunt Judæi coram præside; Daniel, missus in lacum leonum, ex eo liberatus est, victorque ascendit, et Jesus, in foveam sepulcri demissus, inde ascendit, neque mors in ipsum dominata est; opinabantur Danielem, postquam in foveam delapsus esset, ex ea non ascensurum, et de Iesu dicebant : Quoniam cecidit, non resurget unquam; a Daniele clausum est os leonum avidorum et discerpentium, et a Jesu clausum est os mortis avidæ, quæ humanas destruit formas; Danielis fovea obsignata est atque accurate custodita, et sepulcrum Jesu sollicite custoditum est, prout dixerunt Judæi (1) : *Præcipe ut sepulcro diligenter invigilent;* quando Daniel exiit, calumniatores ejus erubuerunt, et Jesu resurgente, ejus crucifixores pudore suffusi sunt; rex qui Danielem judicavit valde dolebat quod eum Chaldæi inique criminarentur, et Pilatus magno mœrore affectus est, quod sciret Jesum, a se judicandum, a Judæis injuste accusari; Daniele orante, populus ipsius, qui captivus erat, Babylone rediit, et Jesus oravit, finemque imposuit omnium gentium captivitati; Daniel somnium et visiones Nabuchodonosoris interpretatus est, et Jesus visiones, legem et prophetas perspicue explicuit; Daniel, enucleata visione Baltassaris, tertium in regno locum obtinuit, et Jesus, postquam visiones et prophetas adimplevit, omnem principatum in cœlum et in terram a Patre adeptus est; Daniel vidit mirabilia, arcanaque effatus est, et Jesus revelavit occulta atque adimplevit quod scriptum erat; Daniel abductus est obses pro populo suo, et corpus Jesu pignus est pro universis

(1) Matth. XXVII, 64.

gentibus; propter Danielem sedatus est furor regis in Chaldæos, qui non sunt interfecti, et propter Jesum placata est ira Patris ejus in omnes nationes, quæ non sunt interemptæ nec peccatorum suorum causa perierunt; postulante Daniele, hujus fratres rex rebus civitatis Babylonicæ præfecit (1), et Jesu rogante, ipsius fratribus seu discipulis dedit Deus potestatem in Satanam ejusque exercitum; Daniel prædixit (2) Hierosolymam usque ad præfinita in vastitate mansuram, et Jesus asseruit (3) in Hierosolyma non relictum iri lapidem super lapidem, eo quod diem magnitudinis suæ non noverit; vidit Daniel hebdomades quæ populum suum manebant, et Jesus, veniens, illas adimplevit.

Ananias quoque ejusque fratres persecutionem subierunt, et Jesus persecutionem subiit. Ananias et fratres ejus a Nabuchodonosore vexati sunt, et Jesus a populo Judæorum vexatus est; Ananias et fratres ejus conjecti sunt in fornacem ardentem, quæ justis illis sicut ros frigida fuit, et Jesus ad locum tenebrarum

(1) ܕܕܢܝܐܝܠ ܒܥܐ ܡܢ ܡܠܟܐ ܘܐܫܠܛ ܒܥܒ̈ܕ . Hanc propositionem sic verbotenus transferres : *Daniel postulavit a rege et præfecit, etc.* Ideo, quod attinet ad grammaticam ejus structuram, dubitare licet utrum idem sit utriusque verbi, ܒܥܐ et ܐܫܠܛ, subjectum, scilicet ܕܢܝܐܝܠ, an potius ante ܐܫܠܛ supplendum sit ex priore inciso nomen ܡܠܟܐ . Posterior hypothesis contexta oratione commendari videtur; si quis tamen putet priorem præferendam, ei Latina interpretatio in hunc modum conformanda erit : *Daniel, potestate a rege obtenta, præfecit...* Eodem prorsus modo ambiguus est Chaldaicus Danielis textus (II, 49) : . . . . . . . וְדָנִיֵּאל בְּעָא מִן־מַלְכָּא וּמַנִּי עַל .
Nec litem diremit Vulgatæ auctor, qui hæc posuit : *Daniel autem postulavit a rege, et constituit super.....*

(2) Dan. IX, 27.

(3) Matt. XXIV, 2; Luc. XIX, 44.

descendit, hujus portas confregit, captivosque eduxit; Ananias et fratres ejus e fornace ardenti egressi sunt, flammaque ipsorum calumniatores combussit, et Jesus e mediis tenebris vivus ascendit, ejusque accusatores atque crucifixores in fine ardebunt; Anania et fratribus ejus e fornace exeuntibus, commotus est atque perturbatus Nabuchodonosor rex, et Jesu e sepulcro surgente, perturbatus est ac commotus populus qui ipsum crucifixerat; Ananias et fratres ejus simulacrum regis Babylonis non adoraverunt, et Jesus populos a cultu idolorum, quæ vita destituta sunt, prohibuit: propter Ananiam et fratres ejus, varii diversarum linguarum populi Deum laudaverunt, qui illos ab igne eripuerat, et propter Jesum omnes gentes celebrant eum qui Filium suum a corruptione servavit; in vestes Ananiæ et fratrum ejus vim suam ignis non exseruit, et fine adveniente, ignis in corpora eorum qui Jesu fidem habuerint non dominabitur.

Mardochæus etiam persecutionem subiit, et Jesus persecutionem subiit. Mardochæus ab iniquo Amane vexatus est, et Jesus a populo rebelli vexatus est; Mardochæus precibus suis populum suum e manibus Amanis eripuit, et Jesus preces fundendo populum suum e manibus Satanæ liberavit; Mardochæus manus persecutoris sui evasit, et Jesus manus persecutorum suorum effugit; Mardochæus, luctum assumendo saccumque induendo, Estherem ac populum suum a cæde servavit, et Jesus, corpus induendo et sese demittendo, Ecclesiam hujusque filios a morte tuitus est; propter Mardochæum placuit Esther regi, ingressaque sedit loco Vasthi, quæ principi morem non gesserat, et propter Jesum placuit Ecclesia Deo, apud regem successit

in locum synagogæ, quæ divinæ voluntati non obsequebatur; hortatus est Mardochæus Estherem ad jejunandum cum puellis suis, ut ipsa ejusque populus e manibus Amanis liberarentur, et admonuit Jesus Ecclesiam hujusque filios, ut iram omnes devitarent; Mardochæus munus Amanis, persecutoris sui, accepit, et Jesus pro persecutione populi insipientis ingenti gloria a Patre donatus est; conculcavit Mardochæus collum Amanis, persecutoris sui, et inimici Jesu ipsius pedibus suppositi sunt; ante Mardochæum hæc proclamavit Aman (1) : *Ita fiet viro quem rex honoratum voluerit*, et præcones Jesu exierunt e populo qui ipsum persecutus fuerat, testatique sunt hunc esse Jesum, Dei Filium; sanguinem Mardochæi postularunt Aman ejusque filii, et sanguinem Jesu persecutores ipsius in se et filios suos susceperunt.

Hasce commentationes conscripsi tibi, carissime, de Jesu persecutionem subeunte et justis persecutionem subeuntibus, ut consolationem accipiant qui hodie propter Jesum vexatum vexantur, quoniam ipse nobis suo exemplo animum ita addidit (2) : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Quare autem vos persequentur? Quia de mundo non estis, sicut et ego non sum de mundo.* Idem enim prædixit nobis (3) : *Tradent vos patres vestri, fratres et propinqui, vosque odio habebunt omnes propter nomen meum.* Et alibi hæc inculcavit (4) : *Cum adducent vos ad potestates, ad magistratus et ad reges quibus subditur mundus, nolite præmeditari quid dicturi sitis aut quam defensionem allaturi : ego dabo*

(1) *Esth.* VI, 11.
(2) Joan. XV, 20, XVII, 16.
(3) Matth. XXIV, 9, X, 21. 22; Luc. XXI, 16, 17; Marc. XIII, 12, 13.
(4) Luc. XII, 11, 12; Matth. X, 18-20; Luc. XXI, 12-15; Marc. XIII, 11.

*vobis sermonem et sapientiam, ita ut vobis prævalere nequeant inimici vestri; non enim loquemini vos, sed Spiritus Patris vestri loquetur in vobis.* Ille ipse Spiritus est, qui per os Jacobi cum hujus persecutore, Esavo, sermonem habuit; Spiritus Sapientiæ, qui per os Josephi, vexationes perpessi, Pharaonem coram allocutus est; Spiritus, qui verba fecit per os Moysis occasione omnium prodigiorum quæ hic in Ægypto patravit; Spiritus scientiæ, qui datus est Josue, Nuni filio, quando, manibus huic a Moyse impositis, in ejus conspectu evanuerunt atque dissipatæ sunt gentes quæ ipsum opprimebant; Spiritus, qui per os Davidis, vexationibus obnoxii, canebat, ad Saulem, ipsius Davidis persecutorem, a spiritu malo liberandum atque recreandum; Spiritus, quo indutus Elias Jezabelem et Achabum oppressorem suum, redarguit; Spiritus, qui in Eliseo vaticinatus est et per quem propheta regi qui se vexabat prædixit eventum postridie futurum; Spiritus, qui in verba erupit per os Michææ, Achabum, persecutorem suum reprehendentis, eumque sic compellantis (1) : *Si unquam reversus fueris, non est locutus in me Dominus;* Spiritus, quo roborante Jeremias audacter stetit coram Sedecia, eumque corripuit; Spiritus, qui Danielem et fratres ejus in regione Babylonica incolumes servavit; Spiritus denique, qui Mardochæo et Estheri in loco captivitatis salutem attulit.

Audi, carissime, nomina hæc martyrum, confessorum et eorum qui vexati fuere. Abel interfectus est et ejus sanguis clamavit de terra; Jacobus persecutionem subiit fugit et peregre habitavit; Josephus persecutionem

(1) *III Regum* XXII, 28.

subiit, venditus est et in carcerem detrusus; Moyses persecutionem subiit et in Madian aufugit; Josue, Nuni filius, persecutionem subiit et bellum sustinuit; item persecutionem subierunt Nephthah, Samson, Gedeon et Barac, de quibus beatus Apostolus (1) : *Tempus mihi deerit, si velim res ab iis præclare gestas enarrare;* David persecutionem a Saule illatam subiit et per montes, speluncas atque planities vagatus est; Samuel persecutionem subiit et luxit Saulem; Ezechias persecutionem subiit et pressus est angustiis; Heli persecutionem subiit et in deserta se contulit; Eliseus persecutionem subiit et peregre vixit; Michæas persecutionem subiit et in vincula conjectus est; Jeremias persecutionem subiit et in foveam lutosam demissus fuit; Daniel persecutionem subiit et in lacum leonum detrusus est; Ananias et fratres ejus persecutionem subierunt et in fornacem ardentem missi sunt; Mardochæus, Esther, eorumque populares persecutionem ab Amane subierunt; Judas Machabæus ejusque fratres persecutionem et ipsi subierunt ac contemptum sustinuerunt; septem fratres, filii sanctæ cujusdam mulieris, duræ flagellationis tormenta tolerarunt, factique sunt veri confessores ac martyres; senex Eleazarus in ætate provecta præclarum exemplum dedit, veritatem confessus est et fuit martyr perfectus. Excellentissimum vero est testimonium ac martyrium Jesu, qui tormentis ac veritatis confessione omnes tum antecessores, tum postfuturos superavit; hunc secutus est martyr fidelis Stephanus, quem Judæi lapidaverunt; item Simon et Paulus martyres perfecti fuerunt, Jacobusque et Joannes vestigia

(1) Hebr. XI, 32.

Christi, magistri sui, presserunt, et etiam quidam alii ex Apostolis veritati testimonium perhibuerunt et perfecti evaserunt martyres. Præterea vero fratribus nostris qui sunt in Occidente tempore Diocletiani supervenit oppressio gravis et persecutio omnis ecclesiæ Dei quæ est in eorum ditione, templisque eversis atque destructis, magnus fuit numerus confessorum et martyrum; postquam autem castigati sunt, Deus sese iis misericordem denuo exhibuit. Nostris adhuc diebus propter peccata nostra similia evenerunt; sed pacem nobis afferre debent quæ scripta sunt, cum Salvator noster hæc futura esse prænuntiaverit (1), cumque Apostolus dixerit (2) impositam esse nobis honorificam confessorum nubem, quæ multos testes fidei causa occisos complectitur.

EXPLICIT HOMILIA DE PERSECUTIONE.

(1) Cfr. Matth. XXIV, 6; Luc. XXI, 9.
(2) Hebr. XII, 1.

D. G.

## THESES.

### I.

Existentiam Dei, entis perfectissimi, rerum omnium principii et finis, ratio naturalis ex adspectabilis hujus universi consideratione potest certo cognoscere atque demonstrare citra positivam de hac ipsa existentia Dei revelationem traditam et susceptam.

### II.

*Moraliter* tamen necessaria est revelatio, ut nempe « ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint (1). » Posita vero hominis ad finem supernaturalem ordinatione, dicenda est revelatio *simpliciter* necessaria.

(1) Conc. Vat. Const. dogm. *Dei Filius*, cap. II.

III.

Si de revelationis divinæ facto inquirendo agatur, perperam exigeres, priusquam illud admittas, positivam doctrinæ propositæ cum ratione conformitatem. Quamvis autem possit intrinseca doctrinæ præstantia aliquod esse credibilitatis motivum, huic tamen criterio non sunt in probanda revelatione primæ partes deferendæ.

IV.

Alia enim, divinæ revelationi asserendæ maxime consentanea, suppeditavit Deus argumenta, « facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata (1). »

V.

Miraculum proprie dictum est effectus aliqua ratione sensibilis, qui contingit præter ordinem constitutum et supra vires naturæ omnes. Ea tamen opera, quæ angelorum vires non superant, quæque præter ordinem consuetum naturæ visibilis, Deo specialiter disponente vel jubente, patrantur, miracula etiam possunt solentque vocari, et tanquam criteria divinæ revelationis optimo jure adhibentur.

(1) Conc. Vat. Const. dogm. *Dei Filius*, cap. III.

VI.

Inepta sunt quæ increduli ex rerum essentiis et naturæ legibus vel ex divinis perfectionibus afferunt, ut miraculorum *possibilitatem* impugnent; nec validiora jure dixeris quæ contra eorumdem factorum *cognoscibilitatem* obtrudunt emotæ mentis homines.

VII.

Divinam Christi missionem patefaciunt vaticinia plurima, quæ, in libris V. T. consignata, futuri Redemptoris dotes, jura et officia, itemque varia ortus, vitæ et mortis ejus adjuncta præmonstrarunt. Hæc vero vaticinia nonnisi absurde Rationalistæ tanquam vota mere humana, ex præsentibus temporum angustiis enata et spem ætatis felicioris Judæis quondam oborituræ exprimentia, traducunt.

VIII.

Ad Messiam futurum spectant promissiones Patriarchis Abrahæ (*Genes*. XII, 2, 3; XVIII, 18; XXII, 16-18), Isaac (*Genes*. XXVI, 4) et Jacob (*Genes*. XXVIII, 14) datæ de benedictione in ipsis et in eorum semine universis gentibus obventura.

IX.

Psalmo II prænuntiari regni Christi seu Ecclesiæ miram per omnes orbis plagas diffusionem atque inconcussam stabilitatem argumentis tum internis tum externis certum est.

## X.

Miraculosa Christi Domini ex Virgine nativitas, quam referunt Evangelistæ Matthæus (I, 18 seqq.) et Lucas (I, 30-38), ab Isaia (VII, 14) hisce verbis prædicta fuit :

הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל :

Quare ex hoc vaticinio validum depromitur argumentum ad intemeratam virginitatem Beatæ Mariæ ante partum et in partu demonstrandam.

## XI.

Insignioribus prophetiis Messianis illa quoque accensenda est, quæ legitur Isaiæ cap. LII, 13-15, et cap. LIII, 1-12, ubi venturi Salvatoris, qui nomine *Servi Dei* (עֶבֶד יְהוָֹה) designatur, dolorosissima passio vividis depingitur coloribus.

## XII.

Divinum Christianæ religionis auctorem ita eamdem instituisse, ut fundaret aliquam societatem, Ecclesiam suam, in qua et per quam homines universi doctrinam salutarem sibi comparare, cujus etiam directionem atque auctoritatem amplecti et a qua sanctificationis media accipere deberent, ex Sacrarum Litterarum vel obvia inspectione est compertissimum.

## XIII.

Catholica doctrina est Ecclesiam, ideoque ecclesiasticam auctoritatem, ex Christi Domini voluntate esse in suo ordine a statu civili ejusque potestate prorsus independentem.

XIV.

Quamquam Ecclesiæ et imperii civilis potestas est distincta, potestas tamen civilis potestati spirituali est subordinata quoad ea omnia quæ ad finem spectant spiritualem; et pessime a multis asseritur optimam societatis publicæ rationem civilemque progressum requirere ut humana societas, nullo habito ad religionem respectu, constituatur atque gubernetur.

XV.

Ex constanti Ecclesiæ praxi et ex injuncto eidem officio custodiendi atque propagandi doctrinam fidei, eam et in factis dogmaticis definiendis infallibilem esse jure deducimus.

XVI.

Ut unitatem Ecclesiæ suæ in perpetuum firmaret, Christus Dominus B. Petro Apostolo ante suam resurrectionem immediate promisit (Matt. XVI, 17-19) et post suam resurrectionem reapse contulit (Joan. XXI, 15-17) primatum non honoris tantum, sed veræ proprieque dictæ jurisdictionis.

XVII.

Utriusque loci huc pertinentis genuina vis, quæ ex obvia verborum Christi inspectione facile colligitur, communi etiam Patrum Syro-Chaldæorum interpretatione egregie corroboratur. Quorum princeps et ma-

gister, Ephræmus, Christum sic loquentem inducit (1) :

ܐܢܬ ܫܡܥܘܢ ܬܠܡܝܕܝ ܣܡܬܟ ܫܬܐܣܬܐ ܠܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ .
ܟܐܦܐ ܩܪܝܬܟ ܡܢ ܠܘܩܕܡ . ܕܐܢܬ ܬܣܝܒܪ ܟܠܗ ܒܢܝܢܝ .
ܐܢܬ ܗܘ ܣܥܘܪܐ ܕܐܝܠܝܢ : ܕܒܢܝܢ ܠܝ ܥܕܬܐ ܒܐܪܥܐ . ܕܐܢ
ܢܨܒܘܢ ܕܢܒܢܘܢ ܡܕܡ ܕܣܢܐ . ܫܬܐܣܬܐ ܟܠܝ ܐܢܘܢ . ܐܢܬ ܗܘ ܪܝܫܐ
ܡܒܘܥܐ ܡܬܕܠܝܐ ܝܘܠܦܢܝ : ܘܐܢܬ ܗܘ ܪܝܫܐ ܕܬܠܡܝܕܝ . ܒܟ ܐܫܩܐ
ܐܢܐ ܟܠܗܘܢ ܥܡܡܐ . ܕܝܠܟ ܗܝ ܒܣܝܡܘܬܐ ܡܚܝܢܝܬܐ ܕܡܙܠܓ ܐܢܐ . ܠܟ ܗܘ
ܓܒܝܬ ܕܬܗܘܐ ܒܘܟܪܐ ܒܡܘܠܕܝ ܘܬܗܘܐ ܝܪܬܐ ܕܣܝܡܬܝ . ܘܩܠܝܕܐ
ܕܡܠܟܘܬܝ ܝܗܒܬ ܠܟ : ܗܐ ܫܠܛܬܟ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܣܝܡܬܝ .

« Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ; Petram vocavi te antea, quia tu sustinebis totum meum ædificium : tu es inspector eorum qui ædificant mihi Ecclesiam in terris; si quid reprobum ædificare velint, tu, fundamentum, reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tua est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi, ut sis in mea institutione primogenitus et hæres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes meos thesauros. »

## XVIII.

Primatus prærogativam et auctoritatem Petro collatam non una cum Petro desiisse, sed in Christiana Ecclesia constanter permansuram, ex ipsius fine primario et ex testimoniis Scripturarum evidenter demonstratur.

(1) Lamy, *S. Ephraem Syri hymni et sermones*. Mechl., 1882. T. I, coll. 411, 412.

## XIX.

Ex verbis quibus usus est Christus in primatu promittendo atque conferendo, sicut et ex Luc. XXII, 31, 32, facile eruitur Petrum ejusque successores, cum ex cathedra loquuntur, « ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit (1). »

## XX.

Beatum Petrum, Apostolorum principem, et totius Ecclesiæ caput, Romam venisse, Romanum tenuisse episcopatum usque ad mortem, ac Romæ perfecto martyrio supremum obiisse diem, argumentis validissimis probatur.

## XXI.

De hoc *originario*, quod aiunt, *Petri facto* unanimis est ecclesiarum orientalium, earum etiam quæ schismate vel hæresi ab unitate catholica jampridem desciverunt, consensus, isque vetustissimis gentis Syro-Chaldaicæ monumentis innixus. Speciminis ergo hæc afferre lubet :

ܒܫܢܬ ܬܠܬܝܢ ܕܩܠܘܕܝܘܣ ܩܣܪ . ܢܦܩ ܗܘܐ ܫܡܥܘܢ ܟܐܦܐ
ܡܢ ܐܢܛܝܘܟܝܐ ܕܣܘܪܝܐ ܠܘܬ ܪܗܘܡܐ . . . . ܘܟܕ ܫܠܡ ܗܘܐ
ܚܪܬܐ ܒܡܫܠܡܢܘܬܗ ܒܢܐ ܗܘܐ ܬܡܢ ܥܕܬܐ ܒܪܗܘܡܐ
ܘܡܩܕܫܢܘܬܐ ܕܫܪܪܗ ܘܡܫܡܫܢܐ ܕܟܠܗܘܢ ܕܒܢܝ ܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܘܡܫܡܫ ܗܘܐ ܬܡܢ ܕܝܢܐ ܕܡܬܦܪܢܣܢܘܬܐ ܕܩܘܫܬܐ ܠܟܪܣܛܝܢܐ ܘܡܫܡܫܢ

(1) Conc. Vat. Const. dogm. *Pastor æternus*, cap. IV.

ܫܢ̈ܝܢ . ܘܡܢ ܒܬܪ ܗܠܝܢ ܫܢ̈ܝܐ ܠܒܫܗ ܗܘܐ ܢܝܪܘܢ ܩܣܪ . ܘܚܒܫܗ ܗܘܐ ܒܝܬ ܐܣܝܪܐ . ܘܝܕܥ ܗܘܐ ܕܙܩܝܦ ܗܘܐ ܠܗ . ܘܩܪܐ ܗܘܐ ܠܐܠܝܢܘܣ ܡܫܡܫܢܐ ܘܥܒܕܗ ܗܘܐ ܐܦܣܩܘܦܐ ܚܠܦܘܗܝ ܒܪܗܘܡܐ ܀ « Anno tertio (1) Claudii Cæsaris, Simon Petrus Antiochia egressus est, ut Romam se conferret..... Cumque doctrina ejus magno cum gaudio exciperetur, illic, Romæ scilicet et in civitatibus circumjacentibus atque in universis Italorum oppidis, Ecclesiam instituit. Porro ibi officio regendi antistites annos viginti quinque functus est; quibus elapsis, apprehendit eum Nero Cæsar et in carcere inclusit. Quum autem nosset se crucifixum iri, Linum diaconum arcessivit, huncque pro se Romæ Episcopum constituit (2). »

## XXII.

Frustra Protestantes et increduli, ut B. Petri Romanum iter et episcopatum ad fabulas relegent, provocant

(1) Quod syriace hic legitur, ܬܠܝܬܝ, patet esse mendose scriptum pro ܬܠܬ. Simili errore paulo infra ܠܐܠܝܢܘܣ loco ܠܠܝܢܘܣ occurrit.

(2) Ap. Cureton, *Ancient syriac documents*, London, 1864, p. ܠܗ. Hocce testimonium ex editoris sententia ad primum sæculum vel ad initium secundi pertinet. — Idem porro factum Nestoriani, in *Officio SS. Petri et Pauli*, inde a sæc. IV multipliciter affirmant. Concinunt Monophysitæ, ex quibus Joannes, Episcopus Mardensis, scriptor sæc. XIII: ܗܢܘ ܪ̈ܗܘܡܝܐ ܕܠܘܬܗܘܢ ܗܘܘ ܗܠܝܢ ܫ̈ܠܝܚܐ ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܦܛܪܘܣ ܘܦܘܠܘܣ ܘܠܘܬܗܘܢ ܐܬܟܠܠܘ ܘܡܢܗܘܢ ܩܒܠܘ ܚܬܝܬܐܝܬ ܠܟܪܘܙܘܬܐ . ܗܘ ܗܠܝܢ ܦܛܝܪܐ ܠܚܡܝܢ ܠܐ ܚܡܝܥܐ . « Romani ipsi, apud quos Apostolorum magnates Petrus et Paulus fuerunt et martyrio coronati sunt, quique ab istis accuratam acceperunt Evangelii doctrinam, azymo utuntur pane, non autem fermentato. »

ad S. Scripturæ ista de re silentium vel etiam ad positiva quædam ejusdem effata, quæ facto huic contradicere contendunt.

## XXIII.

Ipsa B. Petri morte in episcopatu Romano, in ordine quem *historicum* dicimus, factum determinans seriem legitimam successorum ejus sicut in episcopali Sede Romana, ita et in eidem adnexo primatu, constitutum fuit. Distincta vero lege successionis a conditione successionis, tenendum est et christiana fide profitendum Romanos Episcopos jure divino in suprema primatus auctoritate B. Petro succedere.

## XXIV.

Concilium Florentinum solemni definitione sancivit Romano Pontifici « in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (1). » Inania autem sunt quæ, ut vim hujus definitionis eluderent, tum Gallicani olim, tum recentioris ætatis apostatæ ex historia Concilii et ex textu Græco Decreti unionis protulerunt.

## XXV.

Jus recipiendi appellationes in causis Episcoporum Romano Pontifici ex ipso primatu competit; graviter igitur errant qui jus istud ex canonibus Sardicensibus primum ei obtigisse docent.

(1) In definitione ad calcem sess. XXV apposita.

XXVI.

Ut leges Romani Pontificis vim ubique obligandi sortiantur, necessarium non est eas in singulis provinciis fuisse promulgatas.

XXVII.

Infensum illum Summorum Pontificum Zephyrini atque Callisti adversarium, qui opus *Philosophoumenon* conscripsit, haud putamus esse S. Hippolytum, virum in traditione Romanæ Ecclesiæ summis semper laudibus celebratum.

XXVIII.

Ex iis quibus auctor iste Zephyrini et Callisti doctrinam carpit, minime conficitur eos circa fidem de Trinitate erravisse.

XXIX.

Injusta pariter sunt quæ asserit idem scriptor de disciplina per Callistum corrupta.

XXX.

Fidei decreta a Conciliis vere œcumenicis edita ab errore immunia atque vera fidei regula existimari debent..

XXXI.

Quemadmodum ex proxima regula credendi Catholi-

corum, quæ in suprema Ecclesiæ infallibilis auctoritate consistit, optime unitati fidei prospicitur, ita ex diversis Protestantium normis nonnisi discrepantiæ in fide et sectarum variationes oriri possunt. Neque huic confusioni vitandæ quidquam consulit excogitata a Pseudo-reformatis distinctio inter *articulos fundamentales* et *non fundamentales*.

### XXXII.

Licet revelatio Christiana censeri debeat ita inde ab Apostolorum tempore completa, ut ipsius amplificatio *objectiva* nulla deinceps fuerit aut in Ecclesia militante futura sit, admittenda tamen est ejusdem perfectibilitas *subjectiva* et formalis.

### XXXIII.

Hominibus voluntarie extra Ecclesiam decedentibus nulla datur salus.

### XXXIV.

Fidei depositum verbo Dei scripto et tradito continetur, nec possunt Protestantes catholicum hoc dogma respuere quin in manifestam incidant contradictionem.

### XXXV.

Versionem Vulgatam non eo sensu declaravit Concilium Tridentinum authenticam, ut significaret eam esse inspiratam, aut nullum vel levissimum mendum in illam irrepsisse, multoque minus ut eamdem originalibus

textibus præferret; sed ut testaretur Vulgatam, præ omnibus Latinis editionibus quæ tunc circumferebantur, in universum egregie præclareque originales textus reddere, nunquam in substantialibus deficere, nihil a revelata doctrina absonum continere, nihilque a pietate alienum.

XXXVI.

Qui contendunt esse Sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, causæ suæ adjumentum frustra quærunt ex verbis *Psalmi II : Filius meus es tu, ego hodie genui te;* ac si nempe effatum illud Apostolus Paulus alibi (*Ep. ad Heb.* I, 5) de Christi divina generatione, alibi (*Ep. ad Heb.* V, 5) de ejus sacerdotio, alibi tandem (*Act. Apost.* XIII, 33) de ejusdem ad vitam revocatione intellexisset.

XXXVII.

Nullius ponderis est argumentum Rationalistarum, Vateri, Augusti, aliorum, quo ex diversis Dei nominibus יְהוָֹה et אֱלֹהִים, in *Pentateucho* passim occurrentibus, ex repetitionibus nonnullis et ex universa narrationis indole scribendique modo libri hujus authentiam impugnant.

XXXVIII.

Facultatem cognoscendi et factum cognitionis Dei existentis per lumen rationis ex operibus Dei Scripturæ ita asserunt, ut revelationem positivam traditione propagatam nullatenus supponant tanquam conditionem,

sine qua non possit ratio humana ad eam cognitionem pervenire; nec ad recognitionem tantum veritatis fide creditæ, sed ad rationalem cognitionem sufficiens manifestatio Dei per creaturas in iisdem Scripturis docetur.

XXXIX.

Notio Dei primitiva et adhuc confusa a SS. Patribus non eo sensu *naturæ insita* appellatur, quo recentiores quidam de ideis innatis loquuntur. Ideo enim, Patres illam Dei notitiam cum ipsa rationali natura consertam dicunt, quod naturæ insito lumine ex obvia rerum mundanarum consideratione citra inquisitionem philosophicam et citra institutionem positivæ revelationis velut sponte concipiatur.

XL.

Ex Scripturarum auctoritate, Patrum suffragio et universali quadam christiana persuasione indubitatum est, ad objectum infallibilis scientiæ Dei pertinere actus ad quos creata voluntas sub conditionibus actum primum constituentibus et cum actu secundo ex sese et suapte indole non infallibiliter nexis se ipsam libere determinatura esset, si conditiones illæ reapse ponerentur.

XLI.

Voluntate antecedente, vera tamen et actuosa, Deum in hoc ordine generis humani lapsi et reparati non eorum modo qui salvantur, sed aliorum etiam velle æternam salutem, immo voluntatem hanc salutiferam ad

omnes omnino homines protendi, ex SS. Scripturarum doctrina demonstratur.

XLII.

Cum voluntate Dei salvifica universali non satis conciliari posse videtur systema de reprobatione antecedente negativa, neque systema de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita supernaturalia.

XLIII.

In capite IX *Epistolæ ad Romanos* sermo non est de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita, sed de gratuita ad gratiam evangelicam vocatione. Hic igitur locus eorum opinioni non suffragatur, qui Deum homines quosdam ad æternam gloriam prædestinasse censent decreto absoluto, adeoque ante prævisa ipsorum merita.

XLIV.

Docet S. Joannes, *I Epist.* V, 7, cujus loci genuinitatem in tuto collocatam ponimus, in Deo trium personarum realiter distinctarum unitatem secundum divinam essentiam, seu mysterium SS. Trinitatis.

XLV.

Nonnulla sunt in V. T. libris testimonia quibus innuitur SS. Trinitatis mysterium. Ejusmodi sunt quæ habes *Genes.* I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* item III, 22 : *Ecce Adam*

*quasi unus ex nobis factus est*, et XI, 7 : *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum.* Ex his autem similibusque locis perspicaciores synagogæ antiquioris doctores, imprimisque paraphrastas Chaldæos, suum מֵימְרָא דַיְיָ (Λόγον τοῦ Θεοῦ) desumpsisse et personarum in Deo distinctionem, a Christo Domino demum luculentissime proponendam, obscuro quodam modo percepisse opinamur.

## XLVI.

Ex *Genes.* I, 1, facile conficitur « mundum resque omnes quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas (1). »

## XLVII.

Status naturæ puræ, quamvis ex divina liberalitate nunquam exstiterit, dicendus tamen est possibilis non tantum *absoluta*, sed etiam *ordinata* Dei potentia, et salva decentia, quam vocant, Creatoris.

## XLVIII.

Ex præsentis hominum status infirmitate atque miseriis, sive ad ordinem physicum, sive ad ordinem moralem pertinentibus, abstrahendo a doctrina fidei, originalem lapsum certo demonstrari non posse censemus.

(1) Conc. Vat. Const. dogmat. *Dei Filius*, can. 5 *de Deo rerum omnium Creatore.*

### XLIX.

Dogma catholicum de peccato originali, non imitatione, sed propagatione in omnes Adami posteros transfuso, Sacræ Litteræ, potissimum *Ep. ad Rom.* V, 12 et seqq., aperte tradunt.

### L.

Doxologiam quæ *Ep. ad Rom.* IX, 5, legitur ad Christum Dominum referendam esse argumentis constat quam firmissimis; quare continet hic locus luculentum divinitatis Christi testimonium.

### LI.

Aliunde etiam erroris arguuntur Rationalistæ illi qui audacter affirmant Christum a S. Paulo nuspiam Deum vocari : hoc quippe nomen ipsi expresse tribuit Apostolus, ut cætera exempla mittam, tum *Act. Ap.* XX, 28, tum *Ep. ad Tit.* II, 13.

### LII.

Instituta distinctione inter objectum quod adoratur et formalem rationem excellentiæ propter quam adoratur, recte infertur non modo divinæ Christi naturæ, sed ejus etiam naturæ humanæ hujusque partibus unum eumdemque supremum latriæ cultum esse deferendum. Huic doctrinæ inhærentes, SS. Cor Christi Domini adoramus, non figuratum et metaphorice pro amore sump-

tum, neque ab humanitate divisum, sed verum, animatum, et formaliter spectatum ut Cor divinæ personæ incarnatæ. Ex fine autem sapientissimo et optimis inducta rationibus, ut omnes fideles « Cor illud sanctissimum, divinæ charitatis sedem, omni honoris significatione colerent et venerarentur (1), » Ecclèsia instituit ut festum SS. Cordis Jesu celebraretur.

LIII.

Gratia omnino gratuita est, seu homo solis naturæ viribus nequit mereri gratiam sive de condigno, sive de congruo, neque potest sese ad eam positive disponere. Huic autem veritati nihil officit scholasticorum effatum illud : Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

LIV.

In statu naturæ lapsæ datur auxilium *vere* et *pure* tamen sufficiens, seu quod homini perfectam quidem, completam et relativam potentiam bene agendi tribuat, careat tamen effectu ex humanæ voluntatis resistentia.

LV.

Sermonem Christi, quem refert Evangelista Joannes, VI, 35-59, ita intelligimus, ut non in posteriori parte tantum (vv. 48-59), quod etiam ex auctoritate Concilii Tridentini certissimum est, sed inde ab initio, ubi seipsum panem vitæ appellat, intenderit atque promiserit

(1) Pius IX, litt. ap. beatif. B. Marg., 19 Aug. 1864.

Jesus manducationem carnis suæ et potationem sanguinis sui realem.

LVI.

In Sacramento Eucharistiæ vere, realiter et substantialiter contineri corpus et sanguinem Christi Domini invicte probatur ex propriis institutionis verbis, quæ habes Matt. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19, 20; I Cor. XI, 24, 25.

LVII.

Porro ex iisdem verbis demonstratur modus quo præsens fit Christus in Eucharistia, per mirabilem scilicet conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem ejus, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat.

LVIII.

Realis præsentiæ dogma qui inter Syros floruere scriptores ecclesiastici mira concordia tradunt. Illud tuentur, ut paucos tantum ex multis testes appellem, Aphraates noster, S. Ephræmus, Cyrillona, S. Isaacus Magnus, S. Jacobus Sarugensis, Paulus Edessenus et S. Joannes Maro (1).

LIX.

Nugari censendi sunt Protestantes illi, qui, ut vim

(1) Ipsorum testimonia collecta reperies ap. Th. Lamy, *Dissert. de Syrorum fide et disciplina in re Eucharistica*, pag. 18-30. Lovanii, 1859.

genuinam verborum institutionis Eucharistiæ perverterent, affirmare ausi sunt, in lingua Aramæa, qua Christus Dominus utebatur, nullum reperiri vocabulum quod *figuram* seu *signum* exprimat; adeo ut Christus corporis et sanguinis sui symbolum, quod discipulis traderet, aliter indicare non potuerit, nisi dicendo : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

## LX.

Incruentum N. L. sacrificium, quod, juxta Scripturæ auctoritatem et constantem SS. Patrum doctrinam, oblatione panis et vini a Melchisedech peracta (1) fuerat pridem adumbratum, Malachias (2) Dei verbis sic prædixit : אֵין־לִי חֵפֶץ בָּכֶם אָמַר יְהוָֹה צְבָאוֹת וּמִנְחָה לֹא־אֶרְצֶה מִיֶּדְכֶם : כִּי מִמִּזְרַח־שֶׁמֶשׁ וְעַד־מְבוֹאוֹ גָּדוֹל שְׁמִי בַּגּוֹיִם וּבְכָל־מָקוֹם מֻקְטָר מֻגָּשׁ לִשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה כִּי־גָדוֹל שְׁמִי בַּגּוֹיִם אָמַר יְהוָֹה צְבָאוֹת .

## LXI.

Unctionem quam infirmis adhibendam commendat S. Jacobus, *Epistolæ* suæ cap. V, 14-15, scribens : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*; vere et proprie dictum N. L. Sacramentum esse Patres Tridentini optimo jure definiverunt.

(1) *Genes.* XIV, 18.
(2) Cap. I, 10, 11.

## LXII.

Aphraatem, seu Sapientem Persam, quem merito viri cll. Bickell (1) et Wright (2) antiquissimum ecclesiæ Syriacæ patrem salutant, auctorem esse trium et viginti *Homiliarum*, quæ, sub ejus nomine paucis abhinc annis syriace primum editæ, antea communi errore S. Jacobo Nisibeno tribuebantur, decretoriis demonstratur argumentis.

## LXIII.

Illum autem scriptorem, de cujus vita ex fontibus historicis vix quidquam haurire est, ordini monastico adscriptum fuisse et Episcopi gessisse munus varia *Homiliarum* ejus loca luculenter ostendunt. Neque tamen iis (3) assentiri ullo modo possumus, qui sibi videntur certum dignitatis episcopalis Aphraatis indicium in his ejusdem verbis deprehendisse : ܘܐܦ ܗܫܐ ܐܝܟ ܕܚܙܐ ܩܘܫܬܐ ܕܡܬܒܥܝܢ ܐܢ̈ܫܝܢ ܡܢܝ ܠܡܟܬܒ ܗܘܦܟܐ ܒܟܢܘܫ ܕܡܬܟܢܫܝܢ ܟܠܢܫܗ̇ .

## LXIV.

In *Homilia* quam *de pœnitentibus* conscripsit, præclarum suppeditat Aphraates testimonium de necessitate atque efficacia confessionis sacramentalis ad obtinendam peccatorum remissionem.

(1) *Ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenväter*. . (Kempten, 1874), pag 5.
(2) *The homilies of Aphraates the Persian Sage*... (London 1869) vol. I, præf. pag. 10.
(3) Cfr. Bickell, *op. cit.* pag. 11, et Sasse, *Prolegomena in Aphraatis sermones homileticos* (Lipsiæ, 1879), pag. 7.

## LXV.

« Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam. per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni : necesse est autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem : unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum (1). »

## LXVI.

Conscientia non potest esse legitima operandi regula, nisi sit certa. Licitum autem est sequi sententiam certo et practice probabilem, non quod sola probabilitas sufficiat ad præbendam agendi securitatem, sed quia, stante hac probabilitate. per principium reflexum obtineri potest moralis certitudo de honestate actionis.

## LXVII.

Immerito autem quis putaret probabilismi systema in Ecclesia non semper admissum fuisse et ideo rejiciendum. Quamquam enim ante labens sæculum XVI probabilismus explicite propositus non fuit, eum tamen implicite fuisse probatum et in praxim communiter deductum

(1) S. Thomas, I. II, q. 18, a. 9.

innumera probant SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimonia.

LXVIII.

In Sacramentis conficiendis non licet sequi opinionem probabilem de Sacramenti valore, tutiore relicta, nisi defectus ab Ecclesia suppleatur vel urgeat casus necessitatis.

LXIX.

« Quidam dicunt quod omnes circumstantias quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est (1). »

LXX.

« Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum post præscriptionem (2). »

LXXI.

Cum S. Alphonso tanquam probabiliorem tuemur sententiam quæ docet, peregrinos et vagos legibus particularibus loci in quo versantur per se non ligari.

(1) S. Thomas, in 4, dist. 16, q. 3, a. 2.
(2) S. Thomas, quodlib. 12, q. 16, a. 2.

## LXXII.

Impedimentum dirimens, quod dicitur *metus*, opinamur esse juris non naturalis, sed ecclesiastici.

*Vidit S. Facultas Theologica.*
A. H. H. Dupont, S. Fac. p. t. Decanus.
F. J. Ledoux, S. Fac. p. t. a secretis.

*Vidit Rector Universitatis.*
C. F. J. Pieraerts.